WIDENER LIBRARY
HX IGQZ G

Med 215.54

696

Harvard College Library

BOUGHT WITH MONEY
RECEIVED FROM THE
SALE OF DUPLICATES

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SVCCINCTA MEDICORVM HVNGARIAE ET TRANSILVANIAE BIOGRAPHIA.

CENTVRIA ALTERA. PARS POSTERIOR.

EXCERPTA

EX ADVERSARIIS

STEPHANI WESZPREMI,

MED. DOCTORIS,

LIB. REGIAEQVE CIUITATIS DEBRECINENSIS

PHYSICI ORDINARII.

Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus vltor.
Dido apud VIRGIL. Aeneid. Lib. IV.

VIENNAE,

TYPIS IO. THOM. NOBILIS DE TRATTNERN,

CAES. REG. TYPOGR. ET BIBLIOPOLAE.

1781.

Digitized by Google

Med 215.54
✓

HARVARD COLLEGE
APR 22 1940
LIBRARY

Duplicate money

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO AC MAGNIFICO
VIRO
D. ANTONIO
LIB. BAR. DE STŐRCK
DOMINO IN JETELSEE,

AVGVSTISSIM. ROM. IMPERAT. A CONSILIIS, ARCHIATRORVM COMITI, INCL. FACVLT. MEDIC. VINDOBON. PRAESIDI, ET DIRECTORI PERPETVO, PER VNIVERSAS DITIONIS AVSTRIACAE PROVINCIAS PROTO-MEDICO, NOSOCOM. PAZMANYIANI PHYSICO, SOCIETAT. FLORENT. EDIMBVRG. ACAD. SCIENT. SIEN. ACADEM. PRINCIP. HASS. INSTITVT. BONON. ET ACADEM. S. R. I. NATVR. CVRIOSOR. DEGLI AGIATI DI ROVERDO MEMBRO, etc. etc.

Chorus Medicorum Hungariae et Tranſiluaniae Illuſtriſſimo Nomini TVO nuncupatus, TVOque ſingu-

)(2 *lari*

Digitized by Google

lari ſuffultus patrocinio, quam ſerena fronte non modo a Popularibus noſtris, ſed etiam exteris, Viris in Republica litteraria eruditis, fuerit exceptus, pluribus profari verbis verecundia ſane nos prohibet. En

alium

Digitized by Google

alium nunc e puluere et tenebris protractum Medicorum Patriae noſtrae Manipulum in venerandum conſpectum tuum adduco exanimem, TVAM, Illuſtriſſime Domine, Lib. Baro, infelices horum quoque Manes, me

 denuo

Digitized by Google

*denuo interprete, beniuolam impenſius efflagitant operam, vt in modum Aeſculapii, *) Hippolytum herbis Poeoniis ſuperas ſub coeli auras reuocantis,* rurſus corporeos animae

mae

*) Virgil. Aeneid. Lib. VII. ✱. 765. ſeq.

Digitized by Google

mae mittantur in artus: **) *Noli ceſſare, Illuſtriſſime Domine, nouis TVIS Patriam hanc iuuare officiis. Inter reliqua, TIBI in acceptum referimus, quod Inſtitutiones TVAS*

)(4 *Medi-*

**) Claudian. de rept. Proſerp. Lib. I. ℣. 62.

Medicinae practicas, vſu publico ſacratas, iam in linguam vernaculam Hungaricam translatas, liceat Patriae quoque noſtrae ciuibus cum ſingulari rerum ſuarum emolumento legere vniuerſis: quam propenſam

TVAM

Digitized by Google

TVAM beniuolam in nos, gentemque noſtram, voluntatem memori mente repoſtam ſera quoque concelebratura eſt poſteritas. Equidem conatus hoſce meos litterarios patrocinio TVO fouendos deuotiſſima

Digitized by Google

mente ſupplex offero. Debrecini ad d. XII. Kal. Mart. Anno a ſalutari Virginis partu CIƆIƆCCLXXXI.

ILLVSTRISSIMI
NOMINIS TVI

cultor deuinctiſſimus,
cliens obſequentiſſimus,
STEPHANVS WESZPREMI,
Medicus ordinarius. m. ſ.

Digitized by Google

Epigramma

Ad praeclar. Med. Doctorem et Phyſicum in Vrbe Regia Debreczen, cum Biographiam Medicorum Hungariae et Tranſiluaniae ederet, Operique hoc Lemma Virgilianum praefigeret: *Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus vltor.*

Prima Parens hominum exorta eſt ex oſſe mariti,
Punicus Hannibal ex oſſe Didonis erat,
Roma ruit Cannis, Poenos Capuana voluptas
Obruit. En Dido taliter vlta fuit.
Non ita Weſzpremius Medicorum ex oſſibus vltor
Exoritur: non his triſtia fata canit.
Quin bello mortis fuſam retro vindicat omnem
Aeſculapi ſobolem Pannoniae Daciae

Vrnis,

Digitized by Google

Vrnis, dat veniam condendi funera iuſtam,
Per famam Medicis altera vita redit.

Hanc Noſter caeco Weſzpremi exemit aceruo:
Herculeo, me Hercle, cuncta labore probat.

Qui nunc tot Medicos vnus de morte reuellis,
Vnus ab omnibus ex morte reuulſus eris.

Non licet interea riuos tibi claudere, nondum
Fontibus ex iſtis prata bibere ſatis.

*
* *

STEPHANIO poſuit BENIÂMIN, amicus amico,
WESZPREMIO SZONYIVS.
Seruet vtrosque DEVS.

Aliud

Digitized by Google

Aliud Epigramma ad Eundem.

Si facit arte ſua Medicus, releuetur vt aeger,
Officio functus creditur eſſe ſatis.

Weſzpremio haud ſatis eſt aegris reparaſſe ſalutem,
Hanc, in me expertus, praedico gratus opem.

Sed curat, Socii vt ſuperas reuocentur ad auras,
Quorum inter plures oſſa ſepulta iacent.

Qui tamen ante alios ob pulſa pericula vitae,
Viuere debuerunt, nec meruere mori.

Quin id agit, ſi fata ſinant, vbi venerit hora,
Condere ſe totum ne Libitina queat.

Eſt

Digitized by Google

Eſt virtus ſeruare alios: ſed gloria maior
Eſt, vitam morti praeripuiſſe ſuam.

Macte animi, Vir Magne, nouos age collige flores,
Queis velent Muſae tempora docta tibi.

Altera nunc prodit Centuria, qua rediuiuos
Iam ſiſtit Medicos Daciae et Hungariae.

Cum quibus ingentem vindex tua penna reducit
Ad viuos turbam, quae peritura fuit;

Tu niſi, carceribus fractis, polyandrion ipſum
Ingreſſurus eras, pharmaca dextra datum.

Nunc viuit, laetos inter de morte triumphos,
Et, ſperem, viuet, tempora donec erunt.

Plures

Digitized by Google

Plures praeterea, fer opem Mitiſſime! clamant,
O nobis Diuum munere qui datus es.

Ergo age, fac, ſi qua potes arte tua, hi quoque viuant,
Viuere quos inter — poſteritatis — erit.

Te vocat huc pietas, et opinio maxima ſecli,
Quae TE tum Medicum, tum Polyhiſtora habet.

Huc vocat et virtus vulgo laudata, ſed algens
Praemia quum deſint, vt ſolet eſſe, bonis.

Ipſa bonae menti virtus ampliſſima merces
Eſſe ſolet, recti ſi ſibi conſcia ſit.

At tibi pro meritis Auguſta Thereſia, cuius
Fatalem mortem Patria cuncta dolet:

Luxit

Digitized by Google

Luxit Turca etiam; ſed nos, niſi. Quo feror? inquam,
Rex tibi pro meritis praemia digna dedit.

Quin dedit et Caeſar etc. etc.

Haec deproperante calamo adiecit
IOANNES VARJAS,
PROFESSOR.

SVC-

Digitized by Google

SVCCINCTA MEDICORVM HVNGARIAE ET TRANSILVANIAE BIOGRAPHIA.

ARTICVLVS I.

CANTONIVS. Temporibus Sigiſmundi Regis Hungariae Archiepiſcopos Raguſinos in Dalmatia dominio Hungariae ſubiectos fuiſſe maniſeſtiſſimis conſtat documentis: *in Corpore Iuris Hungarici*, Part. I. in Concluſione Litterarum, quibus Maria Regina An. 1384. Decreta Andreae II. et Ludouici I. confirmat, inter reliquos utriusque ſacri ac profani Ordinis Proceres comparet Raguſienſis quoque Archi-Praeſulis nomen, aeque ac in Decreto Regis Sigiſmundi,

Digitized by Google

dicto Minori, an. 1405. edito; non abſimiliter illo quoque gentis Szirmaianae Diplomate inter nos ſuperſtite, quo illi *Sigismundus* Zirmam, natalem in comitatu Borſodienſi vicum anno 1418. IV. eid. Mart. confirmauerat. Ex hac ipſa Raguſienſium Archi-Epiſcoporum, Regis noſtri iuribus obnoxiorum, ſerie exſtitiſſe dubium non eſt eum quoque ſedis illius Archi-Praeſulem, *ANTONIVM* adpellatum, qui una cum Sigismundo Rege, famoſiſſimo Concilio Conſtantienſi, anno 1414. et ſequentibus quatuor celebrato, intererat, atque privilegiis honoribusque Doctoris Medicinae ſolemni ritu impetratis fruebatur, teſtibus Adverſariis Manuſcriptis in Bibliotheca Wolfenbüttelenſi latentibus *Gebhardi Dacheri* Electoris Saxoniae ibidem praeſentis Conſiliarii, qui iuſſu Heri ſui hiſtoriam magnae illius Synodi bona fide concinnauerat: hinc omnino factum eſt, vt *Antonium* hunc noſtrum, et *Hermannus von der Hardt*, et *Iac. Lenfant*, vterque in Hiſtoria Concilii Conſtantienſis Doctoris Medicinae honoribus cohoneſtent. Eundem hunc ipſum Pontificem Raguſinum, Medicum noſtrum, Antonium, non modo Seſſione VI. ad cognoſcendam in negotio fidei cauſam *Ioannis Hus*, Bohemi, et *Ioannis Wiclefi*, Angli, condemnati, memoriam uberius examinandam, ſed etiam Seſſione X. ad promulgandam et valuis publicis adfigendam, latam contra Ioannem XXIII. ſemet pro Pontifice ſummo venditantem, ſententiam, ab ordine Patrum Concilii

fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe deſignatum Commiſſarium, atque Seſſione XVIII. in Italia ad *pſeudo-pontificem Gregorium* eius nominis XII. ambaſiatoris munere ſibi impoſito rite defunctum teſtantur *Acta ſcitu digniſſima docteque concinnata, Conſtantienſis Concilii celebratiſſimi*, iuſſu Concilii Baſileenſis an. 1442. in epitomen redacta, et Hagenoae primum an. 1500. foliis quadrantibus per Henricum Gran, impenſis Io. Rynman edita. *Ioanne XXIII. Benedicto XIII. et Gregorio XII.* triumviris de Papatu contendentibus, loco ſuo cedere coactis, atque poſtliminio pace in Eccleſiam Romanam reuecta, Martinus, Quinti nomine ad ſolium papale ſublimatus, *in Regulis Cancellariae* ſuae poſtero poſt electionem die in conſeſſu Patrum publice praelectis, quas immunitates, atque priuilegia *Magiſtris Doctoribusque Medicinae* ac *Licentiatis* adtribuerit, palam innotuit ex antiquiſſimis Codicibus Manuſcriptis Vindobonenſibus, et Lipſienſibus apud Hermannum Hardtium Tom. I. pag. 965. publicatis: Voluit quippe et ordinauit Martinus V. in Articulo de *Exſpectatiuis Gratiis*, vt dum, rem omnem paucis expediam verbis, Doctores, Magiſtri, atque Licentiati in Medicina, ad obeunda munia ſacra rite admiſſi ſiue vnum ſiue plura obtinuerint beneficia eccleſiaſtica, ne Canonicatu quidem, et Eccleſiarum praebendis, aliisque id genus Gratiis ſublimioribus exceptis, pro expediendis *Litteris* eandem ſoluere tenebuntur taxam definitam, quae Doctoribus, Magiſtris, aut Baccalaureis,

Digitized by Google

aliisque in Theologia formatis, aut in Iure Canonico vel Ciuili graduatis, Magiſtrisque in Artibus praeſcripta eſt. Propenſa haec in Ordinem Medicorum Martini V. pontificis de conferendis beneficiis ſacris, voluntas repetitur in *Concordatis Gallicae Nationis*, *Conſtitutionibus*, ex Manuſcriptis Pariſienſis Bibliothecae Sancti Victoris membranis opera laudati Hardtii Tom. IV. pag. 1566. erutis. At quomodo hae Martini V. Papae conſtitutiones in Gratiam Medicorum in Concilio Conſtantienſi ſancitae, reliquis Synodorum generalium per Secula celebratarum placitis in eam rem ſonantibus, adtemperari poſſint, id inſtituti noſtri rationes arctiſſimis circumſcriptae limitibus enarrare atque enodare haudquaquam patiuntur, ſufficiat verbo monuiſſe, *Biographiae Medicor. Centur. II. part. I.* pag. 180. ſeqq. ad illuſtrandam rem hanc nos non nihil iam praelibauiſſe.

ARTICVLVS II.

'ARKOSI (*Benedictus Tegző*). In vico haud infrequenti 'Arkos adpellato, Sedi Siculicali Sepſienſi adſcripto, a quo nomen quoque ſortitus, in lucem ſuſceptus eſt: dum ab ineunte ſtatim pueritia praeclari ingenii in 'Arkoſio noſtro emicarent igniculi, eos ſedula magiſtrorum, in gymnaſio Vnitariorum Hidvegienſi primum, et mox labentibus annis in Claudiopolitano, cura ad multiiugae eruditionis ſplendorem perduxit. Salutari Arti quoque dum ſua

addi-

Digitized by Google

addixiſſet ſtudia, Patauium in Italiam ſe contulit, vbi celeberrimorum id aetatis Medicorum conſuetudine et doctrina vſus, artis eiusdem praecepta reddidit ſibi quam familiariſſima: ſed quantum in diuinarum humanarumque rerum cognitione profecerit, luculentis domi forisque demonſtratum dedit Speciminibus. Dum ſic non contentus domeſtica diſciplina, exteras regiones ſtudiorum altius prouehendorum cauſa perluſtraret, reuertit in gentile ſuum ſolum, et illico in Collegio Socinianorum Claudiaco Lectoris munus obtinuit, et erudiendis Adoleſcentibus totum fere, quo vixit, tempus adſiduo impendit, docendo conſenuit et Anno 1660. e vivis exceſſit. Vir fuit exquiſita diuinarum humanarumque rerum notitia illuſtris, quarum praeſidiis munitus, ad intima artis quoque medicae cubilia penetrauerat.

O P E R A.

1.) *Oratio panegyrica de laudibus Philoſophiae et Medicinae Patav.* an. 1639. in 4.

2.) Oratio altera in laudes Theologiae, Patavii recitata, et ibidem anno eodem in 4. typis excuſa. Adfine fere argumentum tractandum ſuſcepit Clariſſ. apud nos Philoſ. atque Mathemat. hoc tempore Profeſſor et Medicinæ Doctor experientiſſimus, *Stephanus Hathvani, in Oratione de Philoſophiae vtilitate in Theologia,* adnexa ſuae *de Iure ſummorum Imperantium in Religionem et conſcientiam*

ciuium Commentationi, aduerſus L. A. Muratorium. Baſil. an. 1757. in 4. plag. 9. editae, non abſimiliter in *Diſſertatione inaug. De Matheſeos vtilitate*, inſerta Muſaei Helvet. Volum. V. partic. XX. Sed quibus praeterea Libris bonae frugis Vir hic eruditiſſimus Rempublicam Litterariam Hungariae auxerit, iam etiam recenſebimus: 1) *Animadverſiones Theologico-Criticae.* Praeſide Iac. Chriſt. Beckio, Baſil. 1747. in 4. plag. 2. Repetitae et auctae in Muſ. Helvet. Vol. II. partic. VIII. dilucidatae Vol. III. part. IX. 2) Diſſert. inaug. med. ſine Praeſ. *De aeſtimatione morborum ex facie.* Baſil. an. 1748. 4. plag. 1½. 3) *Introductio ad Principia Philoſophiae in uſus Auditorum.* Debrecz. an. 1757. in 8. plag. 19. 4) Az Uri Scent Vacſorára meg-tanitó Könyvecske. Baſil. an. 1760. in 8. plag. 22. Liber auctoris, cuius pag. 15. fit mentio, hoc inſignitus titulo: *De perpetuitate fidei Eccleſiae Ref. in Doctrina de S. Euchariſtia*, latet in MScto cum aliis ſingulari eruditione elucubratis. 5) *Thermae Varadinenſes Examini Phyſico et Medico ſubiectae una cum illarum uſu ſalutari et obſeruationibus medicis*, nec non *de Sale medio in iis contento.* Accedit *de Natura Salium diſſertatio*, nominatim *de Nitro Saponario Debrecinenſi.* Vien. an. 1777. in 8. plag. 13. Viri huius Clariſſimi Vitam *Ferdinandus Stoſchius* Part. XII. des neuen gelehrten Europa pag. 851. ſeqq. Auctor anonymus des gelehr-

gelehrten Oeſterreichs in Artic. pag. 172. et *Alex. Horanyius* in Memoria Hungarorum Part. II. pag. 76. ſeqq. pluribus verbis expoſuerunt. Quae in Thermis his Varadinenſibus deſiderari poſſe videbantur AA. LL. Phil. et Med. Doctori, qui ſub litteris A. S. B. ἀνωνύμως latere voluit, monuit recentiſſime eorum nonnulla in *Tentamine ſuo theoretico-practico Aquae acidularis Rankenſis in Comitatu Aba-Ujvarienſi ſitae*, pag. 112. ſeqq. Caſſov. an. 1779. in 8. plag. 2½. edito.

3.) A 3 *Hétbeli minden napokra iratott, és ſokféle ſzükſégeinkre alkalmaztatott Imádſágos Könyv. Mellyben az Imádſágoknak elötte vagynak á Szent Irás ſzerint való régi egy igaz Vallásról á Kereſztyéni Hitnek tzikkellyeiröl, és a' Szent Eletröl való idveſſéges elmélkedéſek.* Vnus tantum modo idemque hic Liber eſt, quem Reuerendus *Petrus Bodius* in Athenis Hungaricis pag. 15. partim *Explicationis Locorum Sacrae Scripturae*, partim *Libelli Precum*, diuerſis puta duobus titulis, conſcriptum fuiſſe, perperam nos monuit. Liber is vno Volumine in forma 4ti ordinis exaratus manſit in MScto, nec vnquam typorum beneficio publicatus.

ARTICVLVS III.

Avner (*Stephanus*) Medgyeſini in Tranſilvania natus, ibi humaniores addidicit litteras: relicta hac patria in Vniuerſitatem ſtudiorum

Digitized by Google

Lipſienſem Studii Medici percipiendi cauſſa commigrauit, inde Vittebergam pedem promouit, et mox in eo litterarum emporio Praeſide Chriſtiano Vatero, Phil. et Med. Doct. ad ſummos in arte medica honores conſequendos publice diſputauit: patriae telluri redditus, in loco natiuitatis Medicinam, quam profeſſus eſt, exercuiſſe accepimus.

OPERA.

1.) *Diſput. anatomica, de Pulmone*, Praeſ. Io. Heinr. Heuchero, Med. Doct. Anatom. et Botanic. Prof. P. O. d. 19. Iul. Vitteb. an. 1710. in 4. plag. 2½. Inſcripſit opellam hanc ſuam *Andreae Teutſch*, Med. Doct. et Conſuli Cibinienſi, quem *e naturali atque medica ſcientia Poſitiones Miſcellaneas XX.* praeſ. Paul. Godorf. Sperlingio, Med. Doct. Profeſ. ad 4. Oct. Vitteb. an. 1690. in 4. plag. 1½. defendiſſe lego, in vltima harum *Spiritus Formicarum vrinoſus compoſitus ſummum in Epilepſia remedium* eſſe adſeritur.

2.) Diſſert. inaug. med. *de Vulneribus, eorumdemque Symptomatis*, praeſ. Pro-Rectore Chriſtiano Vatero, PP. Ser. Princip. Anhalt. Archiatro etc. pro Licentia ſummos in arte ſalutari honores rite conſequendi d. 12. April. diſſerit Steph. Aunerus Mediefo Tranſiluanus. Vitteb. an. 1712. in 4. plag. 4½. adplaudente Stephano Berglero, Tranſiluano, cuius Carmen ita incipit:

Dacia

Dacia Saxonibus, res mira, habitata colonis,
Saxonicos cultus obtinuiſſe ſtudet:
Semper habent Vitteberga et Iena etc.

ARTICVLVS IV.

Avsfeld (*Chriſtophorus*) Henricus Vollgnadius, celebratiſſimus Vratislauienſium poliater, et Academicus Curioſus in Ephemeridibus Phyſico-Medicis German. Decur. I. An. I. Obſ. CIII. pag. 208. Io. Chriſtophorum Ausfeldium noſtrum, ob exquiſitum ingenium et iudicium rarae prudentiae Medicum et Chemicum, ipſa inuidia teſte, adpellat concelebratiſſimum: dum is Archiatri Saxo-Altenburgici munus circa annum ſuperioris ſeculi LXII[dum] aliquamdiu rite ſuſtinuiſſet, et mox D. Leopoldi Imp. temporibus, in exercitu Caeſareo in Hungariae finibus contra Turcos militante caſtrenſis medici officium cum laude adminiſtraſſet, Szegedini Vrbe Comitatus Cſongradienſis primaria conſedit, et Phyſici ordinarii ciuici ſpartam exornandam intrauit; quanta vero eam induſtria et felicitate adminiſtrauerit eo potiſſimum tempore, dum Lues peſtifera, morbus ille teterrimus, vniuerſam fere Hungariam anno 1708. ſed in primis ad Tibiſci et Maruſii fluminum confluentia Vrbis Szegedinae incolas miſerum in modum adfligeret, luculentiſſimo conſtat documento ex ea potiſſimum Relatione publici iuris facta, quam de Peſte Szegedinenſi candide concinnatam ad Inclitum Caeſareum Conſi-

lium bellicum indicato ſtatim anno admonitus exmiſerat. Hac Peſtem domandi promtitudine, et mira dexteritate non modo intra Patriae noſtrae pomoeria Ausfeldius inclaruit, ſed dum idem malum an. 1713. Vindobonam inuaderet, Caroli VI. Imp. iuſſu in eam metropolim ad compeſcendam ſerpentis contagionis ferociam, interprete Sanitatis Collegio, euocatus, et Loimodochio Vindobonenſi, auctoritate publica praefectus eſt tanta quidem rerum geſtarum proſperitate, vt dum decem Doctores Medicinae, muneris Collegae Loimici, ſuis hoc loco nominibus indicandi, Scholzius, Durgantius, Kopplinger, Plaſcude, Voglneckius, Loewius, Pachman, Haberland, Iaske, Fleſſer, una cum plurimis artis chirurgicae magiſtris. peſte non modo corriperentur, et in exercitio artis ſalutiferae turbarentur, ſed e medio quoque viuentium triſti infectorum ſpectaculo tollerentur, ſolus Ausfeldius noſter nunc quoque prout ante quinquennium in Peſte Hungarica Szegedinenſi aeque ſaluus euaſit, et incolumis Noſodochium Viennenſe Lue contagioſa infectorum cum tripudiantis populi gaudio reliquit, et condignis, vt meruit adfectus praemiis domum ad ſuos in Hungariam Szegedinum reuertit. Sed dum mox interpoſita breui temporis morula curandae rei ſuae familiaris et domeſticae cauſſa Vindobonam denuo repeteret, in malignam peripneumoniam, forte e reliquiis contagii peſtiferi contractam infelici fato incidit, et elapſo trimeſtri ſpatio, vitae ſuae lau-

dabi-

Digitized by Google

dabiliter actae finem immarceſcibili lauro dignum an. 1715. ſeptuagenario maior impoſuit.

OPERA.

1. Obſervationes Miſcellaneis Phyſico - Medicis Nat. CC. intertextae:

Decur. I. An. I. Obſerv. 103. *De Anatome Ancillae Altenburgenſis, quae Bufones vomuerat:* Diſſertatio haec cadaueris manu Henr. Vollgnadii Medici conſultore Ausfeldio, inſtituta eſt pag. 208.

An. II. Obſerv. 196. *Medicamentum antifebrile nitroſum, in omnibus febribus intermittentibus, excepta quartana, proſpero ſucceſſu vſurpandum.* Legitur illud pag. 403. in Annotatione ad eam Obſeruationem adiectum; quod, quia paucis conſtat verbis, referam: ℞. ⦶.℥iiii. Boracis ʒjſs. ✱ci ʒj. fl. 🜍. ℈j. Nitro in crucibulo liquefacto, reliqua per vices adjiciantur; omnibus ſic rite coniunctis, mixtura effundatur in patinam aut tabulam ex aurichalco etc.

2. *Relatio Medica de Peſte Vrbis Szegedinae in Hungaria an. 1708. ſaeuiente, ad Incl. Caeſareum*

reum Conſilium Bellicum anno eodem Szegedino transmiſſa. In hac inter cetera peſtiferum hoc venenum eſſe de natura ſalis volatilis oleoſi talibus adſeritur verbis: *So habe auch gefunden, daſs die Melancholici, bey welchen dann insgemein ein copioſum acidum ſich findet, nicht ſo proni ſeynd, das venenum peſtilentiale an ſich zu ziehen, weilen dann das acidum auſterum, ſo bey ihnen die exhalationes venenatas dämpfet, praedominirt, welche die ärgeſten Giffte vermög eines acidi ſo zu enerviren wiſſen, daſs ihre virtus venenata, ſo meiſtens in volatilitate alcalium beſtehet, in vim diaphoreticam, et ſpiritus ſumme exorbitantes in motu ſopientem et inhibentem transmutata exhölt.* Singulare in eadem Relatione commemorat naturae phaenomenon hic commemorandum: *Den* 10. *July* 1708. *Vormittag um* 10. *Uhr entſtunde ein ſtarcker Wind, welchen eine groſſe ſchwarze Wolken, ſo mit einem groſſen Geſtanck die Lufft erfullete, und den Strich, da es hingienge gantz finſter machte, daſs man keinen Himmel ſahe, folgte, nicht anderſt, als wenn eine groſſe Mine auffgienge, oder Rueſs in Menge in den Lufft geſtreuet wurde. Vnde poſt foetentem iſtum a terrae viſceribus ſalino-ſulphureum et fuliginoſum cuniculi per fracti ad inſtar prorumpentem vaporem in Aradina et Szegedinenſi vicinitate inter Raſcianos in ſubterraneis caſis degentes mox febres peſtilentialiter prodierunt.* Ita infelix exordium labentis ſeculi noſtri exſtitit, vt diriſſima Peſtis inte-

gram

Digitized by Google

gram fere Europam, prouinciarum tenus ſerpendo peragrauerit, et vbique gentium horrendam ediderit ſtragem, vt eius Hiſtoriam integram vna cum enumeratione ſcriptorum Loimicorum vnius cuiusque gentis egregie deſcriptam exhibuit Io. Chriſt. Kundman in *Hiſtoria von der erſchrecklichen Menſchen-Peſtilentz, wie ſie vom Anfang dieſes Seculi bis auf das Iahr* 1715. *von Orient aus durch die Polniſche, Ungariſche, Teutſche, Schwediſche, und Däniſche Reiche von Jahren zu Jahren, von Ort zu Ort aufs heftigſte gewütet.* Vratislav. an. 1737. in fol. Quomodo ex vicina nobis Polonia in noſtram quoque Hungariam an. 1708. malum hoc contagioſum penetrauerit, et quam triſtem ſequentibus 1709. 1710. annis inter nos et Tranſiluanos luſerit tragaediam, ſtrictim laudatus auctor pag. 1112. ſeqq. ex Loigkio, Beintema, Köleſerio et aliis expoſuit, vt inde colligere liceat Hungariam ea aetate non viuorum domicilium, ſed mortuorum exſtitiſſe ſepulchrum, ob id ſane Regnum Hungariae ad diuinam Prouidentiam lugubri ſed compto ſatis Carmine elegiaco in Loigky Loimologia a pag. 12. ad 20. conſignatam ſcripſiſſe dicatur Epiſtolam, quae ita l. c. incipit:

O Diua aeternae moderatrix prouida mentis
Aethereas inter celſior una deas!

Scri-

Scribere quas vetuit famulas timor ultro tabellas,
Perfricta has iuſſit promere fronte dolor.
Vda proin lacrimis ſi pallet Epiſtola parce:
A lacrimis pallet littera ſcripta meis.
Illa ego ſum primas inter celeberrima Nymphas
Pannonia, heu quondam terra habitata diis.
Illa ego Regnorum princeps, foecundaque Regum
Innumeros genitrix digna videre dies.
Hungaria hoc fuimus! Princeps celebrata per orbem
Heu! ſed iam cineres vndique moeſta fero.
Vix etenim ceſſit Regno Bellona ruinis,
Mox ſaturat tetro regna cruore Lues.
Quin coaceruatis, monſtrum miſerabile viſu!
Foeda cadaueribus proſpiciebat humus.
Nempe Acheronteis vltrix metuenda Meduſis
Ingruerat terris exitioſa meis.
Vndabant tabo campi, laniabat auaris
Faucibus exangues mors inopina Viros?
Vndique funeribus cumulabant funera regnum
Terraque iam tumulis vndique foſſa ſtetit.
Non ita Erichtonios peſtis populata colonos,
Romulidum non ſic ſaeuiit illa plagis.
Ac tabo exhauſtis deſertas Ciuibus Vrbes
Reddidit et noſtros euacuauit agros.
Quid tibi ſaeua Lues mentis? maleſana libido
Quid iuuit ſacros abripuiſſe Viros?
Non ſic ſaeua Lues exhauſit tecta Peruſi,
Paſſa nec eſt tantam gens Pariſina necem.
O vtinam patrio tumularer et ipſa ſepulcro!
Heroës rapti, nec mihi vita placet.
Ite mei gemitus, iuuat aſtra ferire, ſolumque
Cladibus haec Merces ſola relicta meis.

Ite

Ite per Hungariae campos, per deuia Regni,
Vrbes, et querulo ſoluite rore domos. etc. etc.

Maximopere doleo chartae anguſtia impeditus, flebile Carmen hoc me recitare non poſſe integrum. Ita dum amplius quam trecenta Ciuium ſuorum millia Hungariae Regnum, laudato Kundmanno pag. 1153. referente, in Peſte hac amitteret, ad Loca Patriae, incolis Belli, Luisque ferocia hunc in modum nudata, quantocius impopulanda, quadraginta Sueuicae nationis colonorum millia velut ex Equo quopiam Troiano effuſa, relictis auitis ſedibus, in deſertas has, Italo quodam Marchione conſultore, ſed ſimul impoſtore ſummo, cateruatim irruperunt Patriae noſtrae oras, vt haec, *Kramerus von der Oeſterreichiſchen Peſt*, et Behrenſius im Bericht von der Peſt pag. 79. et 80. ſed praeprimis *Famae Europeae auctor*, Part. 136. pag. 297. fidelibus enarrarunt verbis. Sed mox ob neceſſariorum vitae ſubſidiorum defectum et inſuetam coeli temperiem maior emigrantium horum pars inedia confecta adverſo Danubio nauibus vecta in patrium ſolum redire, et Poſonii aliquamdiu ſubſiſtere dum cogeretur, noua contagioſae Luis ſemina ſecum ex Hungaria adportata in Vrbe hac diſperſit, contagium de nouo propagavit: quanta vero ferocia Poſonienſis mox populus, feminarum potiſſimum maleſanus exercitus, arreptis fuſtibus furcisque, eo

tem-

tempore ſuum loci Magiſtratum adortus, et effractis Loimodochiorum carceribus, in eum impune graſſatus fuerit, armatos milites de ſtationibus ſuis motos disiecerit, ferales verſus in hanc rem conditi apud Loigkium pag. 386. et 387. ſuperſtites, hunc in modum nos edocuerunt:

Poſonii raptis Dux Loimodochia ſignis
Foemina peſtiferam vertit adorta l em,
Aſſeruitque inopem morboſo e carcere plebem
Victrices Medico vix fugiente ſudes,
Vim peſtis patiens hilarem raptatur in Vrbem,
Magna triumphantis pompa futura Colus.
Bubo ſequebatur, tum flammea turba, Maligni
Carbones veteri nil renitente foco.
Petechiaeque genus diri exitiale veneni,
Tracta per inſignes foeda trophaea vias.
Diuiſae exuuiae dein millia multa virorum
Et nuruum celeri rapta dedere neci.
Poſonii Spolium melius diſtinguite Ciues,
Praeda videbatur, praedo tremendus erat.

Haec ipſa per Hungariae fines errabunda gens Sueuia, quae Poſonienſibus diſcurſatione ſua tantum in reditu pepererat malum, Viennenſem quoque vrbem, Auſtriae metropolim, immo vniuerſam, qua transibat, Germaniam contagionis peſtiferae lue miſerandum in modum infecerat, ad quam domandam auxiliatrices *Ausfeldii Noſtri* manus medicae a Vindobonenſibus quoque, memorato

ſtatim

ſtatim ſuperius anno 1713. deſideratae ſunt. Perennatura tam diu eſt in animis hominum atrociſſimae contagionis huius Viennenſis memoria: quoad aedes Sacra D. Carolo Borromaeo hoc fine a D. Carolo VI. Imp. conſecrata perſiſtet Vindobonae inuiolabilis, durabunt illaeſae Baadenſis, Stocherauienſis, Meidlingenſis, Mariae Hülffenſis Columnae ab eodem Caeſare pientiſſimo S. S. Trinitati voto de precatorio dicatae, quarum Inſcriptiones ſingularibus Numiſmatibus arte fabrefactis impreſſae ſub Lapidibus Monumentorum illorum aeternorum angularibus reconditae in omne aevum ſine labe cuſtodiuntur perennaturae, legeſis harum Hypographarum, in recordationem Peſtis ab Vrbe Viennenſi propulſatae, conſignatarum, ſeriem apud laudatiſſimum Kundmannum in Rarior. Nat. & Art. pag. 1158. ſeqq.

3. *Auſzführlicher Bericht, wie daſz anietzo 1713. in Wien, vor und in der Stadt graſſirende Contagion nit allein in allen dem biſzhero gantz Hungarn durchgelauffenen Contagio ſich gleiche, ſondern was ſigna invadendi? ſymptomata und eventus habe? neben dem biſzhero geführten Methodo, und Annotirung der wohl ausgeſchlagenen Mittel ſo wol ex fonte Pharmaceutico, als Chirurgico.* Tractatus hic Theotiſco ſermone exaratus legitur integer inſertus Loimographiae Antonii Loigk, Styrae an. 1716. in 8. editae a pag. 94. ad 125. in quo Peſtem Hungaricam nuper in eo Regno graſ-

ſatam in omnibus quoad ſigna inuadendi, ſymptomata, euentus, et methodum curandi optime ex aſſe conuenire cum Viennenſi, nec quidquam Szegedinam a Viennenſi differre ex obſeruationibus a propria experientia petitis demonſtrat. Auro quovis libellus iſte tanto pretioſior omnino haberi debet, quod parem in materia hac tam ardua, tanta cum accuratione verſantem neminem in hunc vſque diem vniuerſa viderit Hungaria auctorem, dum Peſtis utriusque Hungaricæ, ac Germanicæ, Szegedinae ſcilicet ac Viennenſis naturam, ſigna diagnoſtica, prognoſtica, differentiam, indicationes, curationem præſervatoriam, politicam, pharmaceuticam, chirurgicam, diaeteticam etc. concinno ordine et eruditione prorſus ſingulari explicat. E re noſtra eſſe duximus ipſam Auctoris Curationem pro ſpecimine in ſchedam hanc coniectam heic loci repetere integram: *Curatio: Einen gewiſen methodum hiervon vorzuſchreiben laſt ſich ſchwaer thun, und dieſes auſz Urſachen der vielen differenten ſymptomatum, deren oben gedacht worden, ſondern ſo in einer Krankheit das Judicium Medici jemahlens nöthig, ſo wird es hier erfordert nach Unterſchied der Zufähl die Cur anzuſtellen: jedoch haben wir volgenden methodum biſzhero am beſten befunden, und wollen hiemit Anlaſz geben denen Doctoribus ſolchen nach denen eröffneten klaren ſignis und differentiis weiter nachzuſinnen, und dem bono publico zum beſten*

beſten ſolchen verbeſſert auſz Chriſtilicher Lieb (gleich uns) zu eröffnen. So bald nun bey ietziger Zeit ſich einer klaget über Fröſtlein, Kopffwehe, Drucken umb die Bruſt, und Hitz, iſt da nicht mehr auf andere ſigna zu warthen, ſondern ein ſolcher gleich in deſſen Hauſz in etwas von andern zu ſepariren, und ein Schweiſz-treibendes Mittel einzugeben, ſolches auch nachmal in 8. Stunden zu widerholen, worauf ſich dann entweder die Bubones oder Petechiae oder Carbunculi hervorthun werden, da man ohne Zeit Verliehrung längſtens alle 8. bis 12. Stund mit den alexipharmacis vi diaphoretica praedictis fortfahren muſz, wir haben in vſu vornemlich 4. Stuck: welche wir einen merklichen Effect bey vielen gethan zu haben finden, ſolche ſeynd 1.) Oleum Camphorae Heüniſii. 2.) Pulvis alexipharmacus D. de Sorbaith 3) Electuarium Diaſcordii rite paratum, und 4.) Liquor CC. ſuccinatus. Welche wir pro differentia ſymptomatum glücklich genug adhibiren, dardurch doch allezeit mehr aufkommen, als ſterben, ſonderlich, ſo ſie in der Zeit gebraucht werden, die aber ſchon in extremis heraus in das Lazareth kommen, iſt wenig Hoffnung und zwar halten wir diſe differentiam, daſz wir denen, ſo mit Erbrechen oder Durchfahl zugleich ſich zeigen, das Electuarium Diaſcordii innerlich, euſſerlich aber das Emplaſtrum theriacale oder unſer ordinari Cataplaſma und mixturam contra vomitum appliciren, die Mixtur folgende: ℞. Conſerv. ros. rubr. ℥jſs.

Elect. Diaſc. Tracaſt. ʒjjj. ▽ theriacal. jv. Cinamom. Succ. lim. recent. ana ℥jſs. M. Stent per horam vnam aut alteram, dein per linteum colentur, Colaturae adde Confect. de Hyacinth s. Moſch. ʒj. M. Detur cochleatim. *Das Cataplaſma iſt folgendes:* ℞. Rad. Calam. aromat. Nuc. Moſch. ana ʒj. Caryophill. Benzoe ana ʒſs. Fol. Menth. ſubtiliter pulveriſat. ʒjj. Mic. pan. ſecal. ℥jv. Acet. roſar. q. ſ. M. f. Paſta molliuſcula regioni ventriculi applicanda calide.

Denen ſo groſſes delirium und hitze, haben wir den Pulverem alexipharmacum Herrn Doctoris Sorbait conſtantem ex ⦶ *fl.* 🜕 *myrrh. und camphora exhibirt. Auf die Pulſz-Ader aber obgedachten Balſamb ex* ⁂ *Scorp.* ⁂ *Nuciſt. et* ⁂ *camph. Pro ſiti haben wir ein abgegoſſenes Wæſſer mit CC. uſto, oder gelatinam von Hirſchhorn in einen warmen Suppen aufgelöſt vor bewehrt befunden. Pro ordinario potu aber ein Decoct ex rad. ſcorzon. C. C. uſt. hord. mundat. rad. Liquir. vorgeſchrieben, und in täglichen brauch gehabt nicht ohne gewünſchten effect. Die Drückne der Zungen zu lindern öfters ein Mund-Spiellung ex Lap. prunel. in friſchen Waſſer aufgelöſt gerathen. Bey denen gar groſſe Malignitat ſich zeiget; das ol. Camphorae meae compoſitionis, ſo in allen Herrn Doct. Heuniſii gleichet, darneben ihnen nodulum ex cort. citr. ʒjjj. Cinam. Caryoph. gran. Cardamom. min. ana ʒj. mac. ℈jj.* ▽. *ros. Vin. generoſ. acet. ſambuc. vel aq. cinam. ana ℥j.*

ge-

Digitized by Google

gewaichet, vor die Naſen öffters zu riechen geben.

In Schmertzen des Haubts einen ordinari Umbſchlag von Bacc. Junip. ſem. cumin. pan. ſecal. camph, mit etwas acet. ſambuc. angefeuchtet, und lau überbunden. Bey denen, ſo vielen Schlaffen unterworffen: geben wir volatilia als Liq. cc. ſuccin. wo hingegen continuirliche Vigiliae das Laud. liquid. mit bezoard. ſine acid. vermiſcht. Pro potu ordinario haben wir in uſu; wie oben gedacht, ein Decoct. ex rad. Scorz. Liquir. C. C. uſt. mit Hordeo; biſzweilen aber wo das Sal volatile oleoſum bilis ſcheinet zu praedominiren, laſſen wir in das Waſſer etliche tropffen Spir. nitr. dulc. thun.

Unſere Confortantia ſeynd das ▽ confort. perlat. ſecundum Auguſtanam biſzweilen Conſ. alkermes, biſzweilen das Electo Confortat. unterweilen die Gelatina CC. cum et ſine ſaccharo: welche erſtere wir in warmer Hener-Suppen diſſolviren und öffters exhibiren, die andere aber c. Saccharo öffters zu abkiellung des munds, und drückne der Zungen geben laſſen. In Obſtructionibus, damit die maiſten wegen groſſer Hitz geplagt werden, ſeynd uns Pil. ex aloë, Croco, et Rhabarb. in uſu, da von abends pro differentia aetat. 4. 5. auch 6. geben werden, ſo gegen morgen den Leib ein oder zweymahl öffnen. Biſzweilen heben ſolche Obſtructiones die Suppoſitoria auff, bey ermanglenden Effect aber ſchreiten wir ad Clyſteres; da man dann gefun-

 den,

den, daſz die excrementa ſ. v. ganz verbrandt fortgangen.

In gebrauch dieſer Medicamenten continuiren wir biſz zur nachlaſſung aller Symptomatum, befindet ſich hernach der Patient völlig beſſer, wird er gleich ſeparirt, und in die Meliorations-Stuben gethan, allwo er noch über 2. oder 3. tag noch ein lene Sudoriferum bekomt, zu letzt wird die Cur, ſo alles völlig gehaillet, mit einen Laxante beſchloſſen, ſeine Kleider verbrendt, und völlig mit neuer montierung verſehen, alsdann ad contumaciam geſchickt. Iuuabit verbo duntaxat meminiſſe Ausfeldium Noſtrum per totum Szegedinenſis et Viennenſis contagionis decurſum, dum ille Expoſiti Peſtilentiarii Medici munere utrobique laudabiliter defungeretur, ab omni tantae luis infectione ſolo olei camphorati cuiuspiam uſu ſe immunem conſervaſſe, quod lege hac Eum paraviſſe accepimus, ut adiecto ad tantillum Camphorae, olei deſtillati ſuccini et citri triplo, ex eo vel ſola digeſtione ſex dierum intervallo, protracta, vel ope deſtillationis per Retortam vitream facta elicuerit laudatum ſuum oleum peſtilentiale, quod ille poſtmodum guttatim in infuſo theiformi aut alio quopiam potu conuenienti quotidie optumo, vt euentus docuit, ſucceſſu in medio infectorum grege vſurpauerit.

Michaël Tſerei vero in Hiſtoria ſui temporis Tranſyluaniae MScta ad An. 1711. refert iuſſu Palatini accuratum civium initum eſſe

eſſe uumerum, quos aut peſte enectos aut in ſeditione novenali trucidatos Regnum Hungariae noſtrum amiſerit; atque horum numerum ad octoginta quinque millia; illorum vero ad trecenta et decem millia adſurrexiſſe in ſolo regni Hungariae ambitu adſerit, in Tranſyluania enim ne hoc quidem commemorato ſtatim anno contagium illud conquieverat: additque laudatus auctor, a prima rerum origine nunquam ullibi forte gentium Luem peſtiferam ita crudeliter inter homines aeque ac pecora ſaeviiſſe; ac eo tempore in Tranſiluaniae oris; nulla enim amplius jumenta ſupererant a peſte reſidua, vt ager aratro renouari potuiſſet, ipſumque damnum ex Lue hac bouilla Tranſilvaniae illatum ad tres, immo amplius, ſignati aeris Hungarici milliones facile adſcendiſſe exiſtimat, nec queri deſinit, ut meſſem anno hoc, ita etiam vindemiam ſubſecutam fuiſſe prorſus nullam, quod adſiduae aquae reſolutis ſubinde nubibus coelo effuſae laetas quoque vites hominumque labores diluerint omnes: quanta enata inde fuerit annonae caritas, quis iam enarrauerit? Enarrabo tamen hic aliam, aſt non meis, ſed Rev. Stephani Gyimothi, olim in Barouia Hungariae ſuperattendentis verbis: *Anno* 1683. *cepta obſidione Viennenſi, et incrementis malorum ſine intermiſſione auctis, caritas frumenti eousque proceſſit, vt an.* 1686 *millium unius cubuli, quod* 130. *librarum, erat capax,* 20. *florenis emerim, tri-*

ticum autem eodem cubulo 32. *Rhenanis* 5. *Germanicis florenis. Vnde fames tam validas nacta eſt vires in Barovia, vt Chriſtianorum iuuentus ſit non vnus, qui prolem ſuam Turcis pro pane Eſzekini vendiderit, et Eſzekini Chriſtianorum eſurientium quolibet die morientium multitudo, inhumata canum eſca facta eſt, mendicorum ſupervixit nemo etc.* Haec ita Vir ille ſanctioris eruditionis et eloquentiae laude conſpicuus in *Curſu Vitae ſuae temporalis MScto*, in Hiſtor. eccl. Hung. Lampeana quoque pag. 678. commemoratus, memoriae poſteritatis commendauit.

ARTICVLVS V.

Balog (Stephanus) Medic. Doctor, ab oppido natali, in Comitatu Nitrienſi Vagi ripae adpoſito, Séllye nuncupato, *Séllyei* cognominatus eſt. Quoniam in puero matura vis praeſtantiaque ingenii, amor litterarum haud vulgaris animaduertebatur, cura ſuorum factum eſt, vt in prima ſtatim pueritia eius animus Latinarum Graecarumque litterarum iuſta cognitione in diuerſis Hungariae Tranſiluaniaeque Scholis imbueretur, elegantioribus labenti tempore ſubſidiis ornatus ac praemunitus, prouehendae ſolidioris eruditionis cauſſa excurrit in nobiliores Europeae ſtudiorum Vniuerſitates. Licet ille maiore quodam Numinis adflatu ad diuinarum rerum intelligentiam in primis omnes cogitationes, atque ſtudia contuliſſet, non

poſt-

poſthabita tamen reliquarum honeſtarum artium ſcientia, ſalutari quoque arti ſeſe initiandum tradidit, et dum celeberrimos Med. Doctores publice priuatimque docentes non praepoſtero audiret ſtudio, ſed ſumma et fide et pietate eos obſeruaret; ſummum ſtudii Medici praemium, ſolitos honores Academicos, et priuilegia adeptus eſt. Tam praeclaris igitur variae ſcientiae acceſſionibus auctus rediit in patriam, ſacro miniſterio initiatus in loco natiuitatis coepit primum ſacri curionis fungi munere, aſt non diu in ſtatione hac potuit permanere, Huſztinum enim ad rem diuinam curandam a primoribus vrbis auocatus, eo feruore, prudentia et dexteritate has partes dum expleret, in Dioeceſi Marmaroſienſi honorificum Senioris titulum breui conſecutus eſt: hoc Noſtrum decoratum axiomate, ſynodo nationali, iuſſu Principis Tranſiluaniae Szathmar-Nemethinum anno 1646. conuocatae, contubernii ſui nomine interfuiſſe Hiſtoria Lampeana pag. 422. et 611. teſtis eſt locupletiſſimus. Quum vero ſingulari eſſet facundia, et haud obſcuram inculpatae vitae ſpeciem prae ſe ferret, in gratiam iunioris principis *Georgii Rákoczii II.* ſeſe inſinuauit, qui ipſum in Aulam Albenſem adſcitum, conſcientiae arbitrum ſibi delegit. Hic dum infauſtum an. 1657. aduerſus Poloniam veſano conſilio commoueret bellum, et Noſter herum ſuum in ea expeditione lateri adfixus, preſſo ſequeretur pede, accepta mox ab aduerſariis clade funeſta, vna cum ſummo

armorum Rákoczianorum praefecto, et trucidati exercitus reliquiis, 30. Iulii captus eſt Bologius noſter, et in crudelem ſeruitutem Tartaricam abreptus eſt, non niſi grandi perſoluto aere redimendus. Deplorandam hanc gentis Tranſiluanicae tragoediam plures rerum Polonicarum Scriptores, et ex domeſticis noſtris praeter Seipſum in Hiſtoria ſui temporis MScta, *Io. Bethlenius in Innocentia Tranſiluaniae*, in 4. plag. 3½. edita, *Ioannes Szalárdi in Chronico Rerum luctuoſarum* Hungaric. MScto, Lib. V. Cap. 8. et 9. alii bene multi querulis conſignatam litteris poſteritatis memoriae fideliſſime commendarunt. Sed acceſſit ad ſummam in captiuitate barbarica gementis Balogii noſtri infelicitatem ſingularis ea felicitas, vt illum *Ioannes Keményius*, captiuus Dacici exercitus imperator, vadem ſe pro Eo interim exhibente, Supplicibus Litteris Die 6. Auguſt. in caſtris Tartaricis in Moldauia poſitis Anno 1657. ſignatis munitum ad proceres Regni Tranſiluanici in patriam exmitteret: cuius fines dum per varios viarum anfractus circumductus attigiſſet incolumis, et fidei ſuae commiſſa fuiſſet fideliter exſecutus, vt conuaſato vndique ſufficienti auri argentique pondere, reliqui quoque populares lege hac vinculis Tartarorum Crimenſium ſoluti priſtinae libertati reſtituerentur: ſubſecuturas imminentes Tranſiluaniae turbas euitaturus, ſeceſſit in Hungariam; loca, quae antea inhabitauerat, viſitauit; ſed dum ſacri ſui ordinis homines in his oris degen-

gentes maiorem in modum diuexari animaduerteret, trans Iſtrum Papae, nobili Comitatus Weſzpremienſis oppido conſedit; verbum divinum, quod ſermonis vernaculi facundia in primis pollebat, ingenti plauſu et egregio auditorum fructu praedicauit, et mox concordibus Fratrum ſuffragiis dignus repertus eſt, qui mortuo Emerico Gallo in dignitate Superattendentis trans Danubium excubantis ſuccederet: quam adeptam rite ſacri muneris prouinciam dum ſingulari cura, dexteritate, ac ſollertia ad promouendum ordinis ſui decus feliciter annis nonnullis adminiſtraſſet, anno ſeculi ſuperioris ſeptuageſimo quarto, reipublicae ſanctiori in Hungaria fatali, nefandi criminis reus poſtulatur, quod ille diuina ſacris permiſcendo turbulentis concionibus plebem ac proceres commouere voluiſſe crederetur, auctoritate publica ad dicendam cauſſam Poſonium accerſitur, comparet ille in foro iudiciario intrepidus, conſtanter adſerendo, ſe nihil eorum quicquam ſibi eſſe conſcium, quae pro praecipuis accuſationis capitibus, vulgo hodiedum quoque notis, nec vlla vnquam temporum iniuria obliterandis, venditarentur; fato tamen infelici a conſtitutis Iudicibus pridie Non. Aprilis capitis ſententia Balogio pronuntiatur, die vero III. Non. Maii ferreis conſtringitur compedibus, et mox Berentſinum deportatus, arctiſſima tamdiu detinetur cuſtodia, quoad adulto anno ſequente extra patriae limites opera lictorum eductus, et per Moraviam

viam

viam, Auſtriam, Styriam, Carnioliam raptatus, Trieſtam Iſtriae vrbem introduceretur, inde mari vectus et iuxta Piſcariam Italiae vrbem in aridum expoſitus, per Theatinam, Caprocottam, Tſerniam pedeſtri itinere circumductus, Neapolim Italiae vſque abigeretur. Heic loci venum expoſitus, et quinquaginta nummis aureis diuenditus duriſſimo triremium Regis Hiſpaniae iugo ſubiectus eſt, ſed mox in initio anni ſeptuageſimi ſexti opera Ruyteri, architalaſſi, viri pientiſſimi, accepto ab Ordinibus Reipublicae Batauae in hanc rem mandato, tantis vitae aerumnis ſingulari numinis prouidentia eripitur, fruſtra refragante Kellione, libertati reſtituitur, conducto laudati fautoris beneuolentia nauigiolo, inſtructus viatico, Venetias transmittitur, inde per Patauium, Vincentiam, Veronam, Breſciam, Clavennam, Curiam Rhoetorum, in mediam penetrat Helvetiam, a Tigurinis quam ſerena fronte fuerit vna cum itineris ſui comitibus exceptus, luculento demonſtratum dedit documento *Ioan. Henricus Heidegger in Conſolatione Chriſtiana S. Martyrum*, Tigur. an. 1678. in 4. plag. 12. edita, quam celebris ille diuinorum oraculorum interpres Noſtro, in ea vrbe praeſenti, laeta indole inſcripſit. Perluſtratis Heluetiae finibus, facto per Germaniam itinere, ad patrios penates dicto ſtatim anno reuertit, vxorem et impuberes liberos exoſculatus, functionem ſacram, quam interrumpere fatorum iniquitas coegerat, ſumma denuo alacritate apud

Pa-

Papenſes exorſus eſt, et vtramque muneris ſui prouinciam ad obitum vſque fideliter adminiſtrauit, quum nonnullis ante hebdomatibus acerbiſſimos articulorum dolores toleraſſet, grandis natu die 17. Oct. an. 1692. piam efflauit animam. Virum hunc ab omni ſcientiarum genere inſtructiſſimum vt et pientiſſimum pro funeris celebritate laudauit *Rev. Samuel Hodoſi*, Weſzpremienſium Verbi diuini praeco facundiſſimus, lugubri tali oratione, cuius titulum integrum hic iam recitabo: „ Pállyáját álhatatoſſan meg-
„ futó Iſten hü ſzolgájának eltétetett Igaſſág'
„ Koronája, az az, Oly ſzomorú alkal ma-
„ toſſággal tétetett édgyügyü Tanitás, melly-
„ ben à Sz. Pál Apoſtolnak 2. Tim. 4. 6. 7. 8.
„ le tött ſzavainak alkalmatoſſágával rövide-
„ den 's együgyüven, de a' menyire lehet
„ világoſſan meg-mutogattatik, hogy valakik
„ amaz nemes Hartzot meg hartzollyák, pál-
„ lyájokat meg-futtyák, hiteket meg-tar-
„ tyáck, mind azok cſalhatatlan remén ſég-
„ gel várhattyák az életnek koronáját: Egy-
„ ſzer 's mind ez is, hogy az igaz Egyházi
„ ſzolgáhnak valoſágos igaz jutalmok nem ta-
„ láltatik e' földön, hanem menyekben tarta-
„ tik á Kriſtusnal amaz Napra, 2. Tim. 1. 12.
„ Mellyet amaz bold. eml. kegyes Férjfiunak
„ néhai Tiſzt. Séllyei Iſtván Uramnak, a' Pá-
„ pai H. C. L. K. gyülekezetben közel negy-
„ ven Eſztendökig izzadozott, és ſok kéſér-
„ teteken meg-fordult Iéſus Chriſtus tanujá-
„ nak 's hü ſzólgájának, az Edgyházi Tárta-

„ ſág-

Digitized by Google

„ ſágnak penig majd Huſzonnégy eſztendöktöl
„ fogva botránkoztatás nélkül való jo lelki
„ eſmérettel ſzólgált fegyhetetlen életü Gene-
„ ralis Inſpecturának, éltében ſok nyomorúſá-
„ gok által gyalulodott, immár pedig minden
„ fáradtſágaitol meg-nyugodott teſtének nyu-
„ govó Boltyában való bé-ſzállittatáſakor a'
„ Pápai Temetó Kertben az ott lévö Edgyhá-
„ zi Nemeſi és Vitézlö Rendekböl álló Gyü-
„ lekezet elött a' fellyebb el-folyt 1692dik
„ Eſztendöben Mindſzent havának 19. napján
„ ſzomoruan elpredikállot, moſtan pedig Iſten
„ ditſöſſégére, az meg-hóltnak halhatatlan
„ bóldog emlékezetire, az igen nagy keſerü-
„ ſéggel ületetett özvegynek vigaſztaláſára 's
„ a't. Közönſégeſſé tett, és ſzem eleibe ter-
„ jeſztett Hodoſi Sámuel, az Veſzprémi H. C.
„ L. K. G. E. M. L. P. Debreczenben nyom-
„ tattatott Vintze György által 1693. Eſzt.
Suſannae Sándor. Incl. Comitatus Weſzpremien-
ſis Procomitis, Nicolai Izkázy Horvát Viduae
nuncupata explet plag. 3. in 8. Effigies Noſtri
picta, apud nos honoris ergo adpenſa, ectypa
illius eſt, quae cupro inciſa in Bibliotheca
Turicenſium publica cuſtoditur, hoc decorata
Elogio:

Vir plurimum Reverendus D. Stephanus Sellyei, Eccleſiae Papenſis in Hungaria quondam Paſtor, et Superintendens, nunc Tiguri pro nomine Chriſti Exul, Aetat. 49. Anno Chriſti MDCLXXVI.

Hun-

Hungaricos inter Papenſis Myſta Miniſtros
Sellaeus Stephanus tollit ad aſtra caput.
Verbera, tonſuras, ergaſtula, vincla, triremes,
Pro Chriſto Martyr viuus ouansque tulit.
Ioan. Huldricus
Conr. Meyer pinxit.

Iniqua *Séllyeii* noſtri huius et Sociorum fata plures enarrarunt Scriptores, inter eos eminet *Abrahamus Pootius*, Med. Doctor Amſtelodamenſis in *Naawkeurig Verhaal van der Vervolginge angerecht tegens de Euangeliſe Leeraaren etc.* Amſtel. an. 1684. in 4. c. figg. aen. XIII. adnexus eſt Ger. *Hamel Bruininxii*, foederatorum Belgarum Nuntii, Libellus Supplex ſacris D. Leopoldi Imp. manibus Viennae an. 1675. exhibitus, in Belgicum ſermonem ſub titulo hoc traductus: *Onſchuld der Euangeliſe Leeraaren aan de Rebellie:* apographum Latinum ex MScto originali, in Auguſtiſſimo Tabulario Vindobonenſi cuſtodito, deſcriptum phylliris 28. ipſi poſſidemus. *Georgius Lanius*, Carponenſis, in *Narratione Rei eiusdem Hiſtorica* Lipſ. an. 1676. 4. et eiusdem *Apologia*, ibid. an. 1677. in 4. illa Belgice quoque verſa an. 1677. in 8. hoc eodem G. Lanio Auctore prodiit Diaſceptis Philoſophica naturalis de vnguento armario, quo vulnera longe abſentium ſine contactu ſanantur. Lipſiae an. 1680. in 4. *Tobias Maſnizius*, Ilauienſis, et *Io. Simonides*, Briznenſis, triſtem temporum illorum faciem depinxerunt, et libellis bis geminis luci publicae in Germania

lu-

luſtrandam expoſuerunt. Ex fida auctorum horum narratione *Io. Georg Schelhornius* praecipua momenta collegit cum delectu, et Analectorum nomine Muſei Heluet. Part. XXV. pag. 46. ſeqq. inſeruit. *Nicol. Bethlen in Apologia ſua* an. 1677. in 4. plag. 8. *Iobi Kreſtyansky kurtze Nachricht von dem Bericht des Gerichts Auszugh Ioh. Lapſántzky, was bey dem Iudicio delegato vorgenommen* an. 1683. in 4. *Anonymus* kurtzer Bericht von der letzten Verfolgung etc. an. 1678. in 12. *Idem* anno 1675. in 4. Paullus *Ember* et *Zádorſalvi* in Compilatione *Hiſt. Eccl. Hung. Lampeana*, Vltraj. an. 1728. in 4. *M. Chriſtoph. Kleſchius* in ſuccincta ſua Scepuſienſium Enarratione. Ienae an. 1679. 4. *Io. Heideggerus* in Hiſtor. Papatus, Period. VII. edit. Amſtel. an. 1684. in 4. et in Eiusdem Vita §. CVIII. *Valentinus Kocſi*, Papenſis, reliquorum omnium vt prolixiſſimus, ita etiam accuratiſſimus in *Narratione breui de Oppr. Libert. Eccl. Hung.* Tigur. an. 1676. in 4. alph. 3. *Io. Iablonczai*, M. E. Bejienſis, in *Furore τοῦ Θηρίου* Vltraj. an. 1678. in 4. plag. 17. Vterque horum poſtremo loco nominatorum fuit Confeſſorum Socius indiuiduus, qui indicatos hos Codices, manibus ſuis exaratos, nobis reliquerunt pretioſiſſimi Cimelii loco ab interitu conſeruandos. Alii.

OPERA

OPERA.

1.) Temető Kert, mellyben egynehány halotti alkalmatoſſággal való Predikátiók vadnak, mellyeket ir és prédikállott különkülön helyeken Sélyei Balog Iſtván, moſtan Fejérváratt edgyik udvari Praedikátor. Váradon 1655. 8. plag. 20. Dicit in dedicatione ad Deum Patrem directa: *A' teſti fegyvert te oldottad le Uram az en oldalamrol, és te ruháztál fel á te Lelked nek erejével: á Tengernek habjai közzul kegyelmeſſen meg-ſzabaditottál, és iſmét hazámnak meg adtál: tizenöt eſztendeje már, hogy á te gabonádnak aratáſára ki-boeſátottál 's a' t.* Sunt Orationes ſacrae ſingulari eruditione refertae XXV. in exſequiis luculentorum hominum recitatae: primae argumentum depromtum eſt ex Geneſ. XXXV. 16. 17. ſeqq. vltimae vero Pſal. CXIX. 2.

2.) *Uti-társ mellyben majd minden alkalmatoſſágokra tartozó rövid és együgyü Tanitáſok foglaltatnak-be. Mellyeket irt, és kiis bocſátott á Hiveknek épuletekre Sélyei Balog Iſtván, Moſtan Fejérváratt egyik Udvari Praedikátor. Varadon* 1657. 8. *pl.* 18½. Sermones diuini argumenti ſunt numero XXIX, ſummo et inuictiſſimo Regi, Domino Ieſu Chriſto commendati.

3.) *Az Néhai Tekintetes és Nagyſágos Iktári Gróff Bethlen Péter Uramnak meg-hidegedett teſte felett való rövid úti Predikácio, mellyet*

tött Sáros-Vármegyében Sz. Mihályon, *an.* 1646. 28. *Oct. Sélyei Balog Iſtván*, *Huſzti Lelki-tanitó. Pſal.* 102. 4. *Más Prediká-cio mellyet tött azon uti alkalmatoſſággal Szán-ton*, *Sz. Mihály havának harminczegyedik nap-ján*, *an.* 1646. *Ugyan Sélyei Balog Iſtván Huſzti Lelki-tanitó. Apoc.* 7. 17. Dum ſcilicet Ill. Comitis *Petri Bethlenii* Iktarien-ſis, Comitatûm Hunyad et Maramaros per-petui Comitis, cadauer ex pago prouinciae Liptorienſis Liſzkafaluenſi, Roſenbergae vi-cino, in oppidum Nyir-Bátor ſollemni ritu ad tumulandum deportaretur, ſermonum ho-rum funebrium alterum ad Fanum S. Mi-chaëlis in Comitatu Sároſienſi, alterum Szántoini noſter recitauit. Vterque legitur inſertus Collectioni Laudationum funebrium dicti Comitis Bethlenii *Temetéſi Pompa* in-ſcriptae, et M. Varadini an. 1646. in 4. plag. 23. typis Abrah. Szentzi Kertéſz pu-blicatae. Reliqui exſequiarum Comites et laudatores ſacri, praecipui fuerunt, *Nicol. Lázár*, Szathmarienſis; *Val. Dobrai*, Ecſe-dienſis; *Franc. Verézi*, S. Patakienſis, cu-riones ſacri: *Georg Cſulaji*, Georg. Rá-koczii Senioris Concionator Albae Iuliae Aulicus, et *Steph. Benjam. Szilágyi*, S. Pa-takinus Profeſſor, qui funebrem orationem ſuam, ſuper obitu Bethlenii 21. Octob. 1646. Liſzkafaluae publice recitatam, ad-pellauit *Fatalem Regni Hungarici Periodum.* Bene latina, docta, et lectu digna eſt oratio.

4)

Digitized by Google

4.) *Oratio Valedictoria a Viro Venerando ac clariſſ. Stephano Séllyei, Superintendente, conſtantiſſimo Chriſti martyre, pridie diſceſſus ex vrbe Tigurina, cum inde a* 19. *Maii* 1676. *An. ad. d.* 20. *Oct. An.* 1677. *hoſpes in eadem fuiſſet, nomine RR. DD. Fratrum ſuorum exhibita.* Ita Oratio gratiarum actoria incipit: *Viri Magnificentiſſimi, Ampliſſimi, Sereniſſimi inclytae Reipublicae huius Proceres etc. Tritum illud:* ingrato homine terrae nihil grauius, *vobis bene notum eſt, quo vt etc.* Cicatrices rerum harum pluribus refricare non eſt animus, ne tacitus ſemet dolor ipſe accendat, vimque praeteritam integret. Ait aliud quidpiam de *Séllyeio* hoc commemorandum nobis eſt nouiſſime, euidentioribus ita nos commonefacientibus temporum rationibus, falli omnino exiſtimamus eruditiſſimos in Tranſiluania duumviros, Rev. *Petrum Bodium in Athen. Hungar.* et Rev. *Ioſephum Benkó in Tranſiluania ſua nondum cognita*, Tom. II. dum duos *Stephanos Séllyeios homonymos*, alterum concionatorem Papenſem et in Neapolitana, alterum Albenſem, et in Tartarica captiuitate detentos, in vnum eumdemque conflarint hominem: quum prolixioribus nobis haudquaquam eſſe liceat, ſufficiat illorum errorem detexiſſe, noſtrum vero candide profiteri, alio et loco et tempore emendandum. *Stephani Séllyeii* interim *Papenſis* Filium, patri vt cognominem, ita non degenerem, apud *Bitskeienſes*, in vico

Digitized by Google

Albae-Regalis non infrequenti, Sacrorum Miniſtrum egiſſe; viduam vero a morte relictam Viro Nobili *Ioanni Cſernel*, celebri Iurisconſulto, nupſiſſe; atque filiam ex hoc poſtea matrimonio progenitam *Ioanni Szondi*, concionatori primum Comaromienſi, mox Miskolczienſi elocatam genuiſſe *Suſannam Szondi*; eamque Viro Nobiliſſimo *Stephano Keneſſey*, Conſiliario Regio, et munifico ſtudiorum in Patria altori, nuptui fuiſſe datam non vano rumore intelleximus. *Stephano Séllyeio*, *Huſztienſium Concionatori* vero, et Eccleſiarum Maramaros Seniori egregiam Diſputationem theologicam *de Syncretiſmo* ſeu *Vnione diſſidentium Eccleſiarum* inſcriptam fuiſſe obſeruauimus, quam *Ioan. Kazai*, *Nob. Hungarus*, marte ſuo elaboratum et praeſide Voetio defenſam, Trai. ad Rhen. an. 1644. in 4. plag. 7. typis vulgauerat.

ARTICVLVS VI.

Brenner (*Martinus*) Patria Biſtricenſis Transilvanus, exantlatis in Univerſitatibus Viennenſi et Baſileenſi laboribus ſcholaſticis, adulto ſeculo XV. non infelix Med. Doctor practicus euaſit, apud luculentos Hungariae et Tranſilvaniae Cives plurimum auctoritate et gratia valuit, gentis ſuae hiſtoriam ſingulari induſtria intra et extra patriae limites illuſtrare voluiſſe certo demonſtratum dedit argumento Factionem Zapolytanorum in tantum deteſtatus, ut Vien-

Viennam, in ſinu Ferdinandi I. Regis conquieturus, ad habitandum commigrarit. (*) De loco genereque mortis Viri huius eruditiſſimi iuvabit ea repetere, quae *Matthias Miles* in *Siebenbürgiſchen Würg-Engel* impreſſo Hermenſtadii an. 1670. in 4. pag. 52. adducit his verbis: *Martinus Brennerus der Artzney Doctor, und in allerley Sprachen und Künſten ein gelehrter Mann ſtirbet aus überflieſſigkeit der gelben Gallen den 24. Jan. an. 1553. Wird begraben in der groſz Kirchen in Hermanſtadt, da er kurz zu vor dieſe Grabſchrifft ihm gemacht:*

Ευσεβηα χρηστε σοφιαῖε ϗ ηθεσιν αγνοις
Μαρτινος Βρεννερ ευθαδε ζητε θανον.

(*) Ad aetatem Ferdinandi I. Regis huius Hungariae refertur alter quoque Medicus, isque Regius quidam *Magiſter Petrus* adpellatus, cuius *Frater Franciſcus I. de Frangepanibus*, Archiepiſcopus Colocenſis, & Adminiſtrator Epiſcopatus Agrienſis in Teſtamenti tabulis Poſonii in feſto S. Vincentii Martyris anno Domini 1543. confectis, atque a Clar. Prayo, Hierarchiae ſuae Part. II. pagg. 79. ſeqq. nota f. inſertis, his verbis meminit l. c. pag. 81. *Item Magiſtro Petro, Medico Regio lego coclear meum argentum, alterum Joanni Pereni. Medico Caeſari ſoluatur iuxta conuentionem noſtram.* Ipſum quoque Archiepiſcopum Medicorum horum opera in curanda ſua ſanitate vſum fuiſſe, luculenter ex his colligitur.

OPERA.

1) *Antonii Bonſinii Rerum Vngaricarum Decades tres, nunc demum induſtria Martini Brenneri, Biſtricienſis Tranſilvani, in lucem editae, antehac nunquam excuſae. Quibus accedunt Chronologia Pannonum Joan. Heroldi a Noach uſque haec tempora, et Coronis Hiſtoriae Vngaricae diverſorum Auctorum.* Baſileae ex Roberti Winter officina an. 1543. in fol. philyr. 152.

Quid Brennerus noſter in hac Bonfinii editione omnium prima, eaque profecto rariſſime obuia praeſtiterit, quia nobis prae manibus nunc eſt, placet paucis de illius argumentis lectorem edocere. Praemiſſa eſt Epiſtola nuncupatoria ad Franciſc. a Rewa, Comitem Turocenſem, Regis Ferdinandi Conſiliarium, regnique Vngariae Palatinum directa, quam excipit Ant. Bonfinii ad D. Vladislaum Regem praefatio, tandem ſequitur Roberti Winteri ad Lect. admonitio cum adnexo Catalogo Auctorum, quorum teſtimonio uſus eſt in edendis hisce tribus Decadibus; quibus *Joan. Heroldi* Chronologia Pannoniae plag. 1. adiecta eſt: in Coronide collati ſunt *Mich. Ritii*, Bonfinii rhapſodi, et epitomatoris, Libri duo, plag. 4. conſtantes, iam antea Baſil. an. 1517 in 4. apud I. Frobenium editi, tandem *Callimachi Attila* plag 2½ Hagenoae primum an. 1531 in 4. et mox Baſil. an. 1541 in 8. excuſus; no-

nouiſſime T. *Alex. Corteſii* Verſiculi de regis Matthiae laudibus bellicis, praemiſſo Vinc. Opſopoei ad Hallerum prooemio, et Auctoris ad Matthiam regem epiſtola. Brennerianas has Bonfinii Decades, Libris XV. id eſt, Decade IV. et V. dimidia e tenebris erutis auctas, *Io. Sambucus*, Medicus Tyrnauienſis, adiectis ſuis et aliorum minutorum Scriptorum opuſculis primum publicauit. Baſil. an. 1568. quae poſtea editio Francof. an. 1581. Hanov. an. 1606. Colon. an. 1690. et reſciſſis Brenneri et Sambuci appendicibus Vindobonae et Poſonii an. 1744. atque noviſſime omnium curante Celeberr. Carol. *Andr. Belio* Lipſiae an. 1771. toties in folio repetita eſt. Editionis Bonfinii Brennerianae geminam interpretationem theotiſcam Baſileenſem, vnam Winteranam an. 1545. alteram Oporinam; Sambucinae vero unam dumtaxat Francof. an. 1581. exſtare *Czuittingerus* adſerit, ſed *Georg. Soterius* hanc in Belgicum quoque ſermonem transfuſam eſſe in Bibliotheca ſua MScta comminiſcitur. Aſt non Sambucus eſt, vt communis fert Opinio, qui poſt editos Brennerianos Bonfinii libros XXX. alios nonnullos in lucem publicam primus produxerit, *Caſpar* enim *Heltai* Claudiopolitanus ſacer curio, et typographus, in *Hiſtoria Inclyti Matthiae Hunyadis Regis Hungariae auguſtiſſimi*, Claudiop. an. 1565. in fol. edita, Parte II. a littera F. uſque ad finem, Decadis IV. Libros VI. in apricum pri-

mus produxit, in ſubnexo Epilogo enixe rogat eruditos quosvis lectores, ut reſiduos quoque Decadis eiusdem Libros IV. ſecum communicare nulli intermittant. Idem *Heltus* reliquos quoque Bonfinii libros in MScto haerentes magno et labore et induſtria undique conquiſivit, et ſic integrum Bonfinium, prius in Hungaricum idioma conuerſum, in compendio typis ſuis expreſſit Claudiopoli an. 1575. in fol. ita Libri titulus ſe habet: *Chronica, az Magyaroknac dolgairol, mint iöttec ki á nagy Scythiaból Pannoniában, Es mint foglaltac magoknak az Orſzágot: és mint birtác aſzt Hertzegröl Hertzegre, és Királyról Kiralyra; nagy ſoc tuſakodáſſockal, és ſzántalan ſoc viadallyockal, Mellyet* HELTAI GASPAR. *megirta Magyar nyeluen, és ez rendre hoſzta, Az Bonfinius Antalnac nagy Könyvéböl es egyeb Hiſtorias Könyuekböl nem kiczin munkáual.* In praefatione poſteaquam multum de Bonfinio diſſeruiſſet, cur Libros Hiſtoriarum Eius, in MScto haerentes poſt adhibitum longum ſcrutinium tam difficulter nanciſci potuerit integros, his verbis rationes exponit: *Máttyás Király vtán Bonfinius, Láſzlo Király vdvarában az ö üdejebeli dolgokat is nagy fizetéſert meg irta, és az egéſz Chronicat dedicaltа és ajánlotta Láſzlo Kiralynac. De az könyv nem volt nyomtottua, Hanem czac irua. Es á püſpekec annac vtánna, kiki mind magának meg iratta. De miért hogy á köny nagy és hoſzſzu, reſteltic meg irni*

mind

mind á Könyuet. Ezért egyik egy réſzét irta, maſic á máſikot harmadic a harmadikat. E ſoc darabokból annac vtánna mu udönkbe egybe ſzedegettünk, és rendre hoſztuc mind az egéſz Könyuet, nagy munkával es nagy nehezen. Mert az *egéſz köny el - veſzet* Bonfiniusnál *'s a' t. Máttyás Kir - alynac Köſzenyuc ezokáért hogy a' Magyar Chronicat Bouſinius bölez es ékes Deác ſzóual meg irta: Mert ha Máttyás Kiraly olly böw fuzetéſt nem tött volna, es viaſz fazékban és ſom fánál fözet volna; Mint azmoſtani Feiedelmec és Wrac: Bizony egy czöp Chronicánc ſem volna 's a' t.*

2) *Aurelii Lippi Brandolini Dialogum de Vitae humanae conditione et corporis aegritudine toleranda ad Matthiam Regem et Beatricem Reginam* exaratum, Nicolao de Gerend Epiſc. Tranſilvanienſi inſcripſit, et Baſileae in officina Rob. Winteri an. 1540. in 8. edidit. Recus. ibidem an. 1543. in 8. in Germanicam Linguam translatus per Io. Remhart prodiit Auguſt. Vindelic. an. 1622. in 8. Haec Brennerus in Epiſtola Dedicatoria de Bibliotheca Budenſi, quam triennio ante oculis luſtraverat, quam a barbarie Turcica plene diriperetur: *Matthias, qui cum tot variis bellis diſtraheretur, doctiſſimos tamen quosque viros, imo quoscunque dote aliqua ingenii virtuteque nobilitatos videret, in ſummo honore habuit, ampliſſimisque praemiis ornavit. Cuius rei praeter inſignem Bibliothecam Budae in regia a ſe aedificata, quam ſelectiſſime Graecis et*

 Lati-

Latinis Auctoribus ex ipſa Aſia, Graecia, Italia vndequaque conquiſitis non ornatiſſimam ſolum, ſed etiam copioſiſſime omni librorum genere inſtructam ſuperioribus annis Aſiatica barbaries deuaſtauit (me enim ante biennium diligenter eam perluſtrante vix vlla priſtini ornatus, ſi vnum atque alterum Auctorem Graecum excipias, illic exſtabant veſtigia) teſtes ſunt tot doctiſſimorum lucubrationes ac volumina ex omnibus orbis partibus ipſi nominatim dicata, et inſcripta. Hinc clarum eſt ante cladem Mohacſianam fuiſſe eam Regum incuria diſſipatam. Brandolinum hunc Lippum, a lippientibus oculis ita vocitatum, excellentem et oratorem et muſicum, et poëtam fuiſſe dum clariſſimus Rex Matthias intellexiſſet, ad profitendam Rhetoricen, teſte Seb. Conrado in epiſtola nuncupatoria Libris Brandolini Baſil. apud Oporinum excuſis praemiſſa, in Pannoniam noſtram euocauit Florentia, quo munere ſcholaſtico vir ille ſuae aetatis doctiſſimus in Budenſi Coruiniana, et mox Strigonienſi quoque Viteziana, Scholis, pluribus annis inſigni cum iuuentutis Hungaricae adprobatione functus eſt. Quos praeterea Libros Brandolinus, ſi non poene caecus, inſigniter tamen Lippus, conſcripſerit eruditione multiiuga refertiſſimos, Petrus Bayle in Dictionario Hiſtorico-Critico in Artic. praemiſſo vitae curriculo, pro ſuo modulo examinat, *Hiſtorias* ſcilicet *V. et N. Teſtamenti, carmine heroico expreſſas; Commentarios*

rios in Epiſtolas D. Pauli Apoſtoli; Tractatum de Lege; De ratione ſcribendi epiſtolas: hunc quoque poſtremum Lippi Brandolini Librum Matthiae Regi fuiſſe olim nuncupatum, Morerius ex mente Miraei in Voce adſerit; quod tamen Bayle l. c. non ſine ratione pernegat. Coruini Regis providentia, vt verbo dumtaxat commemorem, Nobiles Pannonii Adoleſcentes quam perito praeceptore duce ea aetate vſi fuerint in addiſcenda Rhetorica, facile licet colligere ex laudatis Brandolini *Libris III. de ratione ſcribendi* concinnatis, hanc enim illius Rhetoricen Königius Biblioth. V. et Nov. pag. 131. his concelebrauit encomiis: *Ex ea*, inquit, *praecepta collegit, et a ratione dicendi ad rationem ſcribendi tam docte transtulit, et tam diligenter accommodauit, vt veriſſime de eo ſcripſerit Seb. Conradus, nihil neque maiorum ſuorum memoria neque ſua doctius aut elegantius in ea ſcriptum videri.*

3) *Paradoxa Lippi Brandolini Aurelii Auguſtiniani Heremitae ſane Chriſtiana nullibi hactenus a quoquam impreſſa, recens vero per JOANNEM HEROLD Acropolitam Chriſtianae Reip. ergo in lucem edita cum Praefatione ad Othonem Principem illuſtriſſ. Epiſcopum Auguſtanum, ac indice non poenitendo*. Baſil. an. 1543. in 8. plag. 8. Ex recitato hoc titulo aperte falſum videri, quod Lud. Morerius dans le grand Dictionaire Hiſtorique in Art. adſeruit, libellum hunc Matthiae Coruino Regi fuiſſe

fuiſſe nuncupatum et mox an. 1498. Baſil. impreſſum. Exemplum codicis MSctum Brennerus noſter a Turcarum immanitate conſervatum Editori Heroldo ſine vulgandi cum adiuncto comite epiſtolio Baſileam dono exmiſit, qui in praemiſſa Epiſtola nuncupatoria ita de Brennero, eiusque iniquiori fortuna diſſeruit: *Quem quidem* (Libellum) *nuper ab amico obſeruandiſſimo Martino Brennio Tranſiluano Biſtricienſi dono accepi, quo homine neſcio an ſol unquam viderit candidiorem: certe patria indigniſſime ab indigno ac crudeliſſimo tyranno Turca illo exutum, fortunis multis ſpoliatum, amicis priuatum, vix librorum ſuppellectile, victus neceſſariis ſuſtentaculis, et vita ſaluum fugientem (puto haud ſine dolore) vidit. Is inter cetera mihi ita ſcribit: Chriſtiana paradoxa hominis non indocti eleganter conſcripta, nec vmquam impreſſa tibi dono mitto, quae tu aliquando edes.* Praefationem Heroldi excipit eiusdem Epiſtola ad Mart. Brennium Baſileae Kal. Sept. an. 1543. exarata; ſequitur Dedicatio Raphaëlis Brandolini iunioris Lippi, Romae IX. Cal. Apr. an. 1506. ſignata, in qua ille Petro Hiſpano Presbytero Cardinali Regino Paradoxa haec germani fratris ſui obtulit typorum beneficio publicanda; ſed ſalutares hos conatus fatorum iniquitatem intervertiſſe dolere potuit triſtiſſima illorum temporum conſtitutio. Nemo crediderim, vitio mihi verterit, ſi ſola paradoxorum horum argumenta l. h. recenſuero:

1)

1) *Diligendos eſſe inimicos.* 2) *Mortem flagitio anteponendam eſſe.* 3) *Nullam in hac vita felicitatem eſſe.* 4) *Non eſſe in honoribus felicitatem.* 5) *Felicitatem in fama et gloria non eſſe.* 6) *Felicitatem in virtute non eſſe.* 7) *Felicitatem in diſciplinarum ſcientia et humanarum rerum contemplatione non eſſe.* Quibus moribus Iuuentus Academica Budenſis, Matthia Corvino imperante, imbuta fuerit, Brandolino, conſummatiſſimo illo morum praeceptore, viam praeeunte, ex hoc ipſo libello Auro quouis pretioſiore luculenter perſpicitur, digniſſimus profecto, qui typis denuo exſcribendus, ciuibus noſtris offeratur publice legendus.

ARTICVLVS VII.

Cilano (*Georg. Chriſtianus Maternus de*) Fuit gens Materniana per antiqua nobilis et illuſtris Italiae Familia, cognomine de Cilano adpellata, ex Longobardia primum oriunda, ſed poſt duriſſima iniquiorum temporum fata per Burgundiam, Bauariam, Alſatiam, Sueviam, Auſtriam, et Pannoniam Seculo medio XVI. mire diſperſa. Inter ceteros Maternianae proſapiae ciues *Iacobum Maternum de Cilano* ex Italia ob diſturbia, loco hoc haud commemoranda, profugum, et in Hungariam ingreſſum, Poſonii conſtantem manſionis ſuae ſedem fixiſſe, ibique vitam in otio tranquille degiſſe, atque *Martinum de Cilano*, laudatae

poſtea

poſtea Ciuitatis Senatorem conſultiſſimum progenuiſſe, certis ſuperſtitibus documentis referimus. Hoc patre, ſenatorii ordinis Viro, *Georgius Chriſtianus Maternus de Cilano* Poſonii die 18. Decembr. an. 1696. natus eſt, qui filium hunc ſuum a teneris ſeuera diſciplina primis elementis in ludo litterario patrio inſtituendum curauit, et mox humanioribus diſciplinis domi probe excultum ad imbibendas ſublimiores ſcientias in Vniuerſitatem ſtudiorum Hallenſem mature emiſit. In hoc ille Litterarum emporio philoſophiam et theologiam magno perdidicit progreſſu; id quod in eo tanto erat admirabilius, quod a pueritia imbecille nactus corpus cum variis moleſtiſſimisque morbis conflictari cogeretur. Hac valetudinis infirmitate factum eſt, vt aditum ad obeundum miniſterium ſacrum fruſtra expoſceret, itaque mutato conſilio Helmſtadium profectus, totum ſe ad naturalium rerum contemplationem, ad Matheſin, ad Medicinam conuertens, prius in his omnibus perfectus atque excellens adparuit, quam ea ipſum didiciſſe conſtaret. Supremis in Medicina honoribus academicis ſub Praeſidio Celeberrimi Heiſteri rite decoratus cum ſic artem humanae ſalutis praeſidem ſibi praecipue iam excolendam delegiſſet, Halberſtadium ſe contulit, in ea, aliisque vicinis celebrioribus vrbibus partim medendo, partim medicos ea aetate clariſſimos audiendo, partim etiam ſcribendo hauſtam in ſcholis doctrinam locupletare, atque perficere ſtuduit: comparatu

Digitized by Google

ratu non vulgari pretio Bibliotheca ſatis ampla, ſelectiſſimisque libris rem in primis Hiſtoriae naturalis illuſtrantibus inſtructa, Altonaviam nouiſſime omnium inde conceſſit; tanto ſcientiarum adparatu noſter inſtructus, diu in obſcuro non delituit, percrebeſcente in dies eruditionis fama, gymnaſium academicum Chriſtianeum, a fundatore Chriſtiano VI. adpellatum, non magis ſplendorem ſuum augeſcere poſſe exiſtimauit, quam ſi Materni doctrina illuſtraretur, publicus itaque in eo Medicinae ac Antiquitatum Romanarum Graecarumque Profeſſor luculentis conditionibus renunciatus, cui paulo ante idem Chriſtianus VI. Daniae Rex, valetudinem ſuam curandam commiſerat, et Phyſici titulo eum liberaliter cohoneſtauerat. Sed vt grauioribus diſciplinis operam navare, obtentamque docendi prouinciam tanto felicius exornare poſſet, honorificentiſſimo Archiatri munere vltro ſemet abdicauit, et erudiendis adoleſcentibus totum fere, quo poſtea vixit, tempus impendit ſolertiſſime. Illuſtrem ac peruagatam viri eruditi famam medendo, non minus quam docendo conſecutus meruit, vt ad diuerſos in republica litteraria progrederetur honores, non enim modo ampliſſima Societas Scientiarum Regia Hafnienſis dignum iudicauit, quae illum ſibi ſocium adiungeret, ſed Caeſarea quoque Nat. Curioſ. Academia, conceſſo illi *Menandri II.* nomine, ſuum declarauit commembrum: ita Illuſtriſſ. *Buchnerus in Hiſtoria Academ. S. R. I. Nat. CC.* Halae Magdeb.

deb. an. 1754. in 4. edit. pag. 512. omnia ſimul axiomata complexus num. 541. de Noſtro loquitur: *D. Georgius Chriſtianus Maternus de Cilano, primo Philoſoph. natural. et Medicin. Prof. publ. in Gymnaſio Academico Altonenſi, Comitat. Pinnebergenſ. et Ranczouienſ. Medicus prouincial. Altonenſium Poliater, et Collegii Anatom. Director, nunc Antiquitat. Graecar. et Roman. Profeſſor, praedicti Gymnaſii Director, et Reg. Hafnienſi Societat. Scientiar. adſcriptus, receptus in Academiam Imperial. Nat. Curioſ. an.* 1745. *d.* 20. *Auguſt. dictus MENANDER II.* Vltimus tandem vitae menſibus, variis aduerſae valetudinis caſibus conflictatus, emenſo doctrinae ac virtutum ſtadio, luctuoſa omnibus bonis mors ad d. 9. Iul. an. 1773. intercepit. Elatus eſt funere ſplendido atque copioſiſſimo non academicorum modo, verum etiam virorum praecipue nobilitatis, ac paene totius vrbis comitatu. Priſcum Gentis Maternianae inſigne buxo impreſſum, vt hoc quoque breuiter exponamus, a *Chriſtophoro Martino Materno de Cilano*, in Eccleſia Germanicae Nationis Auguſt. Confeſſioni addictorum Poſonienſi Verbi diuini Praecone, ſemper caelibe, anno 1746. acceptum, tale eſſe cognouimus lege Heraldica illuminatum: Supra Caſſidem apertam et clatratam, dextrorſum reclinatam, et monili pendenti ornatam eminet corona aurea, e cuius apice media erigitur apluſtre horizontaliter in duas partes, inferiorem rubro, ſuperiorem caeruleo colore diſtinctas, diuiſum,

et

et in hac ipſa colorum diſtinctione, corona, altera minori, aeque aurea, cui crux aurea impoſita eſt, decoratum; e cornubus vero eiusdem dictae coronae maioris, dextro quidem corallium rubrum, ſiniſtro vero album, vtrumque in plures ramos diffuſum, oblique prominet: Sub Caſſide vero ſcutum oblongum transuerſe bifidum per faſciam albam diuiſum eſt; in cuius medio littera eſt M. coerulei coloris diſtorta, et in extremitatibus ſuis ſtella hexagona rubra vtrinque ornata: Vterque Scuti campus, ſuperior quidem coeleſtino colore, inferior vero rubro diſtinctus, corallium reflexum, ille rubrum, hic vero album, cum trifolio adnato floreſcente decoratus eſt, lemniſcis caſſidem a dextro nigro aureis, a ſiniſtro vero argenteo-rubeis exornantibus. Paullo aliter Inſigne hoc exhibuit Clar. Adlerus ſub Effigie Materni Tom. I. Antiquit. Romanar. Altonav. an. 1775. in 8. edit. qui vitam quoque Noſtri in Prooemio ſcite admodum enarrauit.

OPERA.

1.) Programma de *Praeſtantia Philoſophiae naturalis.* Altonav. an. 1739. in 4.

2.) *Einladungs-Schrifft vom Wachsthum der Anatomie bey Eröfnung des Theatri Anatomici an.* Altonav. an. eod. in 4. Hoc Theatrum, Noſtro Materno Auctore Altonauiae conſtitutum eſt, et in hunc uſque diem perdurat, multaque Praeparata anatomica in eius

vſus publicos ab eo dono data fuiſſe dicuntur.

3.) Diſſert. *De Corruptelis Artem medicam hucuſque deprauantibus.* Ibid. an. 1740. 4.

4.) *De Terrae Concuſſionibus* an. 1739. in Anglia obſeruatis. Altonav. an. 1741.

5.) *De Cauſſis Lucis Borealis.* Ibid. an. eod.

6.) *Commentatio de Aqua virgine, ingenti aedilitatis opere Marci Agrippae.* Alton. an. 1754. Quod Seneca Epiſtolam 83. ſic ordiatur: *Auſpicabar deſcendere in Virginem*, oſtendit intelligendum eſſe ſumtuoſum illum aquae ductum Virginem nuncupatum, quem M. Agrippa aedilis Romae exſtruxerat, a Plinio Hiſt. nat. Libr. 36. cap. 15. et Strabone Geogr. Lib. V. commemoratum.

7.) Programma *de anniuerſaria Romanorum luſtratione.* Alton. an. 1749.

8.) *De Cauſſis grandium, nocturnis horis decidentium.* Ibid. an. 1755.

9.) *Noua Diſquiſitio hiſtorica et critica de Gigantibus.* Alton. an. 1756. Diſquiſitionem hanc e noſtro elaboratam, Dan. Godofredum Schütze ſubficto nomine Antonii Sangatelli edidiſſe accepimus.

10.) Programma *de Hiſtoria vitae magiſtra.* Ibid. an. 1757.

11.) *De Saturnalium Origine et celebrandi ritu apud Romanos.* Alton. an. 1759. 4.

12.) Diſſert. *de Motu humorum progreſſiuo, veteribus non ignoto.* Ibidem anno 1762.

13.) Pro-

13.) Programma *de Lauatione matris Deum apud Romanos Anniuerſaria.* Ibidem an. 1763.

14.) Programma *de Modo furtum quaerendi apud Athenienſes et Romanos et apud hos, tam ante latam Legem Aebutiam, quam poſt illam.* Ibid. 1769. in 4.

15.) Diſſert. *de vi centripeta corporum ſublunarium etc.*

16.) Obſeruationes Medicae Ephemeridibus Naturae Curioſor. intertextae:

Vol. VIII. Obſ. 91. *De tumore in regione Iliaca dextra ſponte exorto, et per repetitos vomitus puris curato.*

Obſ. 92. *De Scirrho colli, in carcinoma lethale conuerſo.*

Obſ. 93. *De foetu cum duabus cotyledonibus, vertici adnatis, excluſo.*

Obſ. 94. *De ſopore lethargico, cum vomitu, ex capitis lotione tempore hiberno ſuſcepta.*

Obſ. 95. *De praematura et ſubitanea canitie.*

Vol. IX. Obſ. 85. *De polypo cordis membranoſo, et corde ſemicartilagineo.*

Obſ. 86. *De reſolutione integri brachii embryonis in vtero matris facta.*

Obſ. 87. *De Epilepſia ſomnifera.*

Obſ. 88. *De ſcarificatione aurium, ſurditatem temporariam inducente.*

Obſ. 89. *De clauis pedum anniuerſaria ſuppuratione ſponte decidentibus.*

Obſ. 90. *De muliere extra ſtatum grauiditatis nunquam menſtruata.*

Obſ. 91. *De Cephalalgia decennali per ſetaceum tandem curata.*

Vol. X. Obſ. 4. *De inteſtini coli portione e vulnere hypochondrii ſiniſtri extra abdomen propendente, nec tamen ab aëre per longam annorum ſeriem corrupta.*

Obſ. 5. *De Globulis plumbeis loco medicamenti ſtomachici adſumptis, eorumque effectu deleterio.*

Obſ. 6. *De variis naturae moliminibus ſuppreſſam narium haemorrhagiam ſub vario congeſtionum, reſtrictionum, et excretionum ſchemate ſupplere conantibus.*

Obſ. 7. *De frequenti et per plures annos durante alimentorum non digeſtorum reiectione per vomitum.*

Obſ. 29. *De tumore manuum et pedum ſubitaneo, ab adſumptis baccis lauri excitato.*

Obſ. 30. *De Saliuatione chronica ſpontanea, ſub Melancholia et menſium ſuppreſſione pertinaciter continuante.*

Obſ. 31. *De ſputatione frequenti virginum nuper menſtruatarum.*

Append. num. VII. pag. 285. ſeqq. *Hiſtorica Recenſio et Reuelatio celebratiſſimi Collyrii Anglicani, ab Archiatro Regis Magnae Britanniae Hans Sloane reuelati, et Londini an.* 1745. *ſub titulo hoc publicati: An Account of a moſt efficatious Medicine for ſoreneſſ, weakneſſ vud ſeveral other diſtempers of the Eyes.* Materno interprete Latino. Germanicae vero interpretationis, Gedani anno citato in 8. plag. ½. editae, Recenſio legitur in Commerc. litter. Noric. an. 1745. hebdom. 50. num. 2. pag. 397. ſeq. Quia libellus haud vbique promiſcue obuius eſt, Popularium commodis conſulturus, formulam decantatiſſimi collyri hic adponam: Rec. *Tutiae praep. Vnc. j. Lapid. haematit. praep. Scrup. jj. aloës opt. ppt. gran. xjj Margarit. praepar. gran. iv.* Singulis in pollinem tritis in mortario porphyrino, adde axung. viper. q. ſ. f. l. a. Linimentum, quo oculi hiantes quotidie mane et veſpere ope penicilli ſubtillis capillati invngendi etc.

Nov. Act. Acad. Imp. Nat. CC. Tom. I.

Obſ. 3. *De hydrocephalo poſt imperitum corticis Peruuiani vſum repente exorto, eoque lethali.*

Digitized by Google

Obſ. 4. *De Delirio periodico ex alui obſtructione, alternis ſemper diebus recurrente.*

Obſ. 5. *De Empyemate, in vera pleuritide ſubnato, poſtea ſponte rupto, cuius materia purulenta vna cum vrina excreta eſt.*

Obſ. 6. *De Spaſmo epiſthotono lethali, ex nervi plantaris laeſione orto c. fig. aen. I.*

17) Inedita, quae conſcripſerat, opera plura ſunt: a.) *Ephemerides medicae:* per omne enim id tempus, quo munus Phyſici geſſerat, de die in diem adnotauerat; ad quos aegrotantes vocatus? quis eorum fuerit morbus? quae ab eo adhibita medicamenta? quis effectus? etc. b.) *Commentarius in Phyſicam Hambergeri*, Voll. III. conſtans, et vberior *Arithmetices explanatio.* c.) *Variae obſeruationes medicae;* item *Catalogus meteorologicus per ſeriem plurium annorum continuatus*, in quo mutationes venti, tempeſtatis, et barometri adnotatae. Sed haec omnia iuſſu haeredum ad Excellentiſſimum D. Conſiliarium Aulicum, et Med. Doctorem, *Sam. Madai*, cui proximo adfinitatis vinculo coniunctus eſt, Hallam Magdeb. transmiſſa eſſe non vano nobis rumore nunciatum eſt.

18.) *Ausführliche Abhandlung der Römiſchen Alterthümer.* Romanas has Antiquitates improbo labore a Materno collectas in ordinem redegit, in theotiſcum ſermonem transfudit, erudi-

eruditis animaduerſionibus illuſtrauit; verbo dicendum erat, novo eoque ſplendido habitu ornauit, atque Altonav. an. 1775-76. in 8. Voll. IV. c. figg. aen. foras edidit Celeberrimus Georg. Chriſtian. Adlerus, Altonauenſium V. D. Praeco facundiſſimus. Librum hunc ab eruditis cenſoribus *in der allgemeinen deutſchen Bibliothek.* Vol. 28. partic. 1. et mox ſeqq. recenſitum, eum eſſe noueris; cui in explicandis Romanorum ritibus vix alter dicendorum vbertate, concinnitate ac perſpicuitate, iure quoquam anteferatur.

19.) *T. Liuii opera, quae ſuperſunt, omnia, Germanorum conſuetudini a Cilano donata,* laudatiſſimus Adlerus Voll. VIII. in 8. Regio Daniae Principi Friderico nuncupata, et Adnotationibus ſelectiſſimis partim ſuis atque Cilanianis nec non Drakenborchianis aucta, Altonav. primum 1777. typis edidit, et an. ſubſeqq. 1778-9. ibidem repetiit.

ARTICVLVS VIII.

Colstein (Simon) Omnium, quae umquam in Chriſtianorum coetu celebrata ſunt, Conciciliorum Conſtantienſe omnino eſt ob argumentorum in eo tractatorum grauitatem et multitudinem, atque concurrentium vndique ſanctioris aeque ac profanae reipublicae ciuium frequentiam, omni aevo quam maxime commemorandum, cuius hiſtoricam deſcriptionem reliquarum omnium accuratiſſimam *Hermannus von der*

 Hardt,

Hardt, Helmſtadienſium Profeſſor, ſub auſpiciis Rud. Auguſti Brunſuicenſium Ducis, Vol. VI. Francof. anno 1700. in fol. orbi litterato exhibuit ſtupendo labore et induſtria compilatam. Miſſis in praeſentiarum coeteris rebus omnibus Concilium hocce nobilitantibus, nos vno dumtaxat alteroque verbo de Nuntiis Vniverſi atum Scholaſticarum ad id convocatis pro inſtituti noſtri ratione quidpiam locuturi, noſtram quoque Academiam Budenſem, a Sigiſmundo Rege an. 1388. in meditullio Regni recens conditam, exemplis aliarum nationum ſuos quosdam Conſtantiam exmiſiſſe legatos comperimus, edocti ex *Sebaſt. Münſteri Coſmographia*, eaque Baſil. an. 1578. in fol. ſermone Theotiſco edita, nam in Latina an. 1550. ibid. vulgata nil quidquam tale legendo reperire poteramus. Rev. *Fr. Xiſtus Schier*, Eremita e D. Auguſtini familia, Diſſertatione du Matthiae Coruini Bibliotheca pag. 3. candide profitetur e Profeſſorum Academiae Sigismundeae Budenſis numero ſe plures eruderare non potuiſſe, praeter vnum *M. Ioannem de Horavv* an. 1394. ex Vniverſitate Viennenſi accerſitum: nos illi vice hac alios ſex iam adiungimus ex laudata Münſteri Coſmographia pag. 560. depromptos; ita illic Academiae noſtrae Budenſis Profeſſores ad magnum illud Concilium Oecumenicum Conſtantienſe delecti, ad Artic. *Conſtans* enumerantur: *Sunden in Ungerland, Lamprecht Probſt zu Ofen*, *Theologus*: *Simon Colſtein*, *Artzt*: *Henrich Probſt zu Ofen*: *Matthaeus von Dirnach*;

Tho-

Thomas von Weiſſenburg: *Nicolaus Biſnaw Deeretiſten.* Recenſentur per 7. folia reliquorum quoque ſingulorum, qui ad hoc doctrinae et morum emporium adcurrerant, nomina ex ordine, quae ex Tabulario Vrbis laborioſiſſimum Coſmographum accepiſſe haud forte vano nos opinamur indicio. Certo perſuaſi ſumus indicato ſuperius *Sunden* vocabulo Vniverſitatem Studiorum Budenſem, quae in ordine quinta locatur, debere nos intelligere, nam ad lemma hoc praefixum *Hohe Schülen mit iren Gelerſten* ſubiungit auctor Coſmographus; *Paris* : *Cöln*: *Wien*: *Heydelberg*; *Sunden in Vngerland*: hanc tandem excipit in ſerie: *Prag*: *Orliens*: *Lunden*: *Erdfurt*: *Heldenburg*: *Awion*: *Bononia*: *Cracau*: *Oxowien.* Ex his itaque manifeſtiſſimo cuique licet colligere indicio, in quanta fuerit apud exteros exiſtimatione Vniverſitas noſtra Budenſis aetate illa: et *Simonem Colſteinium*, Medicum Noſtrum, vnum ex primis exſtitiſſe, qui priſco eo aevo in Academia Budenſi Artem ſalutarem publice profiteretur: immo id quoque hinc confieri videtur nobis vero quam ſimillimum, Colſteinium Sigiſmundi Regis egiſſe Medicum ſaltim ad id tempus, quo ille Conſtantiae commoraretur. At quis Hungariae locus, oppidum, aut ciuitas per *Sunden* intelligi debeat, primus eruditis Patriae noſtrae civibus quaeſtionem movit *Iacobus Henricus de Balthaſar*, Profeſſor Theologiae Gryphiswaldenſis, dum in Actis Concilii Conſtantienſis a *Hermanno von der Hard* editis, in narrationem de Actis nun-

 ciorum

Digitized by Google

ciorum Academiae Sundènſis legendo incidiſſet, prout Rev. *Palma* Noſter in Specimine Heraldicae Regni Hungariae pag. 40. rei huius narratae commeminit. Adducit vir hic eruditiſſimus in rei elucidationem Librum quempiam, lingua Theotiſca cum titulo *Wappenbuch des hohen geiſtlichen und weltlichen Standes der Chriſtenheit in Europa*, Moguntiae an. 1576. a *Matthia Schrottio* editum, in quo antiquae Academiae Budenſis Inſigne cum perigraphe *Sigillum Studii Sundenſis* eadem prorſus forma delineatum conſpiciatur, quale poſtmodum *Car. Péterffy SS. Conciliorum Hungariae*, Part. 1. pag. 304. exhibuit. Academiam Budenſem a Sigiſmundo Rege fundatam, et mox, datis priuilegiorum Tabulis, per Bonifacium IX. Pontificem confirmatam fuiſſe *Sundenſem* adpellatam, vix vllum ſupereſſe poteſt dubium: Reu. *Palma* l. c. ex littera S, quae Sigillum ſignificaret, cum voce *Budenſis* coniuncta voluit Academiae Sundenſis nomen exſculpere; Reu. vero *Kaprinai*, celebris aeque Patriae Hiſtoricus, in eodem Palmae opere Heraldico l. c. comminiſcitur Academiam Budenſem fuiſſe vocatam *Sundenſem*, vel quod ea eſſet in loco quopiam *Sunda* vocitato, ſed tamen nobis in hunc uſque diem ignoto, excitata, vel quod ex vocibus *Studii Budenſis* in vnum conflatis artificum inſcitia nomen Sundenſis efformaretur: Clar. autem *Wallaſzky* in Tent. Hiſtor. Litter. ſuperius iam laudatae pag. 53. ex Academia *Sigiſmundea*, a fundatore, in modum Academiae Sorbonenſis, ita

forte,

forte, vt opinatur, adpellata, eliſis e medio voçis litteris *igiſm.* Sundenſem effingeret. At antiqua Academia Budenſis Sigiſmundea non modo in Inſigni Academiae eiusdem a Schrottio et Péterſio delineato, quod jam ſciendum eſt, adpellatur vnice Sundenſis, ſed Sebaſt. Münſterus quoque, vt ex adducto a nobis ſuperius ſpecimine liquido conſtat, Sundenſem promiſcue nominat laudatam Vniverſitatem priſcam noſtram Budenſem, non vice ſimplice *Sunden in Ungerland* repetendo. Mihi in rem hanc quidpiam dicturo probe ſuccurrit duos prae reliquis exſtare Scriptores, qui aduenarum ſingulorum ad Concilium Conſtantienſe concurrentium ſeriem in chartis ſignatam nobis exhibuerunt prolixiſſimam, alter *Eberhardus Dacher*, Electoris Saxoniae ibidem praeſentis Conſiliarius, alter *Vlrichus Reichenthal* fuit, Canonicus Conſtantienſis, hic in primis non modo Principum et Virorum illuſtrium, ſed nunciorum quoque ac deputatorum quorumvis, qui Synodo illi intererant, memoriam et Inſignia, ne Societatibus quidem et Uniuerſitatibus Scholaſticis exceptis, in litteras relata, memoriae poſteritatis commendauit. Vero nobis quam ſimillimum jam videtur, dum aut horum, aut aliorum ſcribarum, in amplo illo ſacro Principum Patrumve concurſu praeſentium, Adverſaria artifices indocti, ſculptores, pictores, aut viri alii, quicunque Hiſtoriarum cupidi excuterent, Litteram B cum S facile confunderent, ut loco Budenſis, nomen Sudenſis, vel in-

intruſa littera n Sundenſis legerent. Has vero litteras dictas ductibus monaſticis pro more Seculi expreſſas facile inter ſe imperitorum in primis lectorum opera permutari poſſe norunt ii quam optime, quibus codices potiſſimum manu exaratos Sec. XIV. et XV. inſpicere licuit: miſſis aliis, exemplo nobis inſervire poſſunt *Acta* ſaltim *Concilii Conſtantienſis*, juſſu Concilii Baſileenſis an. 1442. in epitomen redacta, et omnium primo Hagenoae per Henr. Gran expenſis Joan Rynman an. 1500. in 4. typorum beneficio vulgata. In Libro hoc pretioſiſſimo non minus, quam rariſſimo, Litteris Gotthicis impreſſo, folio quarto et alibi paſſim *Seſſio* et Bulla eo characterum ductu exhibentur, vt imperitum eruditorum vulgus in id adducatur, ut permutatis invicem primis vocum illarum Litteris *Beſſionem* et *Sullam* aeque poſſint legere. Sed miſſa in praeſentiarum vſitata iſta antiqua characteres litterarum effingendi ratione, hodiedum facile contingere experimur, vt in lectione vetuſtorum monumentorum haud uſquequaque verſati has ipſas litteras noſtras ex inſcitia perperam inter ſe ſubinde permutent, de quo praeclariſſimus Patriae noſtri temporis Hiſtoricus, *Daniel Cornides*, in Genealogia Regum Hungariae, qui Sec. XI. regnarunt, illuſtrata, pag. 86. non immerito queritur, quod admodum Reu. Anton. Ganotzius, Vener. Capituli M. Varadienſis Canonicus, in erudita Diſſertatione ſua Hiſtorico-Critica de S. Ladislao, Hungariae Rege, nuper promulgata,

pag.

pag. 145. in Moneta Matthiae Coruini e Numophylacio ſuo deprompta, et inſcriptione in altera facie *S. Ladislaus Rex* notata, haud recte interpretatus fuerit *Beatus Ladislaus Rex*, certiſſimo indicio, quod Littera S. ita nummo manu artificis impreſſa ſit, vt forma illius characterem B quoque referret; quum vero *S. Ladislaus Hungariae Rex* nequaquam *Beati*, ſed ſemper *Sancti*, in Diuorum numerum ſollemni ritu relati, nomine nummis noſtris aureis inſculptus conſpiciendus exhibeatur: immo in eodem ipſo Numo Reu. Ganotzii Coruiniano, qui nobis quoque prae manibus nunc eſt, dum locus officinae monetariae litteris K. S. exprimitur, ita littera S ab artifice fabricata viſitur, ut aeque facile ab imperito lectore pro B. venditari, et Kermetz Banya legi poſſit, quum vero Kremnitzii Signatum reuera ſignificent; illo enim adhuc aeuo Populares noſtri nondum litteris K. B. vt iam hodie fit, ſed Romanos imitati K. S. nummos ſuos Kremnitzii cuſos conſtanti Lege ſignarunt. Vtinam interea inveniretur quiſpiam, qui coniecturis his libere per nos prolatis certiora multo et euidentiora de *Studio Generali*, quod fuit in Hungaria, *Sundenſi*, excuſſis Litterarum ſcriniis in lucem olim proferat publicam!

Operae pretium me facturum exiſtimaverim, ſi praeter indicatos Academiae Sigiſmundeae Budenſis Profeſſores, reliquos quoque eruditos Patriae cines ad magnum Concilium Conſtantiam exmiſſos, nominum dumtaxat tenus enu-

enumeraverim; eorum praecipui in *Adverſariis Dacherianis* hi ſunt: 1) *Andreas*, Juris Ciuilis et Canonici Doctor, Archi-Epiſcopus Colocenſis, Conſiliarius Regius, Sigismundi Regis ac Regni Hungariae nomine ad Concilium exmiſſus: egregia Viri huius perpetrata ibidem facinora Hardtius Tom. IV. et V. ex adlegatis teſtimoniis fide dignis enumerat; meminerunt Illius Acta quoque Concilii Conſtantinenſis, in compendium miſſa, Seſſione XX. Hagenoae an. 1500. edita. Inſigne nobilitatis Andreae noſtri Péterffius Sacror. Concil. Hungar. Part. I. pag 318. adducit, depromptum, vt inquit, ex Actis Concilii Conſtantienſis, ſed quibus? 2) *Nicolaus Archi-Epiſcopus de Cornitz in Hungaria.* Locum hunc putem in mendo cubare integrum: ſcribere debebat Auctor peregrinus loco *Cornitz de Caniſa*, et in locum Nicolai ſubſtituere Ioannes, vt eſſet *Archi-Epiſcopus Strigonienſis Ioannes de Caniſa.* cuius Inſigne Nobilitatis Hungaricae, adiecto hoc ipſo lemmate indicato notatum, ex Actis Concilii Conſtantienſis depromſit Péterſius Sacror. Concilior. Regni Hungar. Part. I. pag. 305. 3) *Nicolaus Epiſcopus Terentinus in Hungaria.* Forte voluit dicere *Trenſchenius*, vel ob loci vicinitatem Nitrienſis, nam ad illos Concilii annos ſedem Epiſcoporum Nitrienſem ornauerat quidam dictus *Frater Hinco*, vel ſi mauis, Ninko, vel Niko, qui aliter nomen Nicolai non male hodie ſignificat. 4) *Chriſtianus*, *Abbas de S. Maria in Hungaria.* 5) *Thomas Abbas de S. Trinitate.*

Lo-

Digitized by Google

Locum hunc *Iacobus Lenfant* in Hiſtoire du Concile de Conſtance Tom. II. pag. 383. ex Relatione Reu. Paul. Gyöngyöſſi, Eccleſiaſtis Caſſouienſis, ad 'Atány verſus Gyöngyöſinum in Hungaria collocat. 6) *Fridericus Grafenac, Abbas Separdinenſis Monaſterii in Vngaria*: nonne *Sexardinenſis*? de Abbate hoc pluribus diſſeruit laudatus Lenfant l. c. pag. 372. ſeq. Interfuerunt Concilio etiam *Antonius*, Medicinae Doctor, Archi-Praeſul Raguſinus; et *Petrus* Archi-Epiſcopus Spalatenſis, vterque ex Dalmatia Hungariae Dominio ſubjecta. Sed haec et talia iis, quorum intereſt, vberius examinanda vltro permittimus, id vnice nouiſſime omnium tantummodo notaturi, tribus iam vicibus inde ab exordio Regiminis Hungarici in his oris, Budae, medutullio Regni, erectas eſſe Studiorum Vniverſitates, quarum ſingulae a fundatoribus denominationem ſortitae; prima *Sigismundea*, altera *Coruiniana*, et recentiſſima adpellari meruit *Thereſiana*: illa vix aliquem in Republica litteraria reperit ſcriptorem hiſtoricum, qui incunabula eius reliquaque fata enarrauiſſet, ipſe Reu. *Palma* l. c. ignorare ſe profitetur, quo iniquo interciderit fato, *Wallaſzkium* interim iuſtus interitus rationes l. c. allegauiſſe diffitendum non eſt: *Coruinianam Naldus Naldius, Nic. Olahus, Braſſicanus, Taſfernerus, Lambecius, Pflugius, Bergerius, Boſe*, longioribus deſcripſerunt Commentariis, ſed in primis non infimi ſubſellii in patria Triumviri eruditi; *Paulus Fabri* in Commentatione de

Augu-

Auguſta Bibliotheca Budenſi. Lipſ. an. 1756. 4. plag. 2. *Franc. Xauer Schier* in Diſſert. de Bibliothecae Budenſis Coruinianae ortu, lapſu, interitu et reliquiis. Vindobonae an. 1766. 4. plag. 8. et *Paull. Wallaſzky* in Tentam. hiſtor. Litterar. ſub Matthia Coruino. Lipſ. an. 1769. 4. plag. 12. *Thereſianam* vero, quae ſub Magnae Matris noſtrae Mariae Theresiae, auſpiciis anno 1770. Tirnauiae ſuſcitata, anno vero 1778 Budam translocata, et innumeris beneficiis liberaliter mactata eſt, conſerua nobis ſartam tectamque, ſumme rerum noſtrarum Arbiter, DEVS benigniſſime, in ſeram vſque poſteritatem, in Patriae, immo orbis vniuerſi litterarii, decus et ornamentum; Conſerua munificentiſſimam eius fundatricem, incomparabilem illam ſtudiorum quorumuis altricem, a qua nomen ſuum ſortita eſt MARIAM THERESIAM, una cum vniuerſa Auguſta Domo AUSTRIACA, ſaluam et incolumem quam diutiſſime!

Tuta ſub hac tanta ſit Pannonis Aegide Pallas!

ARTICVLVS IX.

Demendy (Ladislaus) Clariſſimus *Matthias Belius* auctor eſt Notit. Hungar. Nov. Tom. IV. pag. 319. Carolum Robertum Hungariae Regem in exordio Regiminis ſui ex oris Italicis ad ſe euocauiſſe quemdam Chirurgiae Magiſtrum, *Benedictum* nomine, qui dum *Cirolici* munere, ita Chirurgi aeuo illo vocitabantur,

bantur, in aula regia rite fungeretur, et non contemnenda quaedam eruditionis ederet ſpecimina, ſacerdotio primum admotum, idem Hungariae Rex labenti tempore, anno ſcilicet 1316. mox Praepoſitum Nitrienſem denominavit; vtrum etiam axiomate Epiſcopali cohoneſtaverit, vt vult Belius l. c. a *Martino Szent-Iványio in Diſſert. Paralipomenonica* pag. 76. in errorem inductus, vehementer ambigo; neminem enim vllo vnquam tempore, nedum ſeculo XIV. prout ex Catalogo Epiſcoporum Nitrienſium, ex Diplomatibus a Cel. Georgio Prayio in Specimine Hierarchiae Hungar. concinnato manifeſtiſſimum eſt, Benedicti nomine ad tiaram Nitrienſem geſtandam fuiſſe admiſſum. Benedictum hunc Roberti Regis noſtri Ciroli-cum et Praepoſitum Nitrienſem fuiſſe florentiſſimae olim in Hungaria *Deméndyorum* familiae conditorem, idem laudatus toties Belius l. c. commemorat, atque fratris huius fortuna *Nicolaum* et *Bartholomaeum*, vterinos ſuos illectos, in oras has noſtras aduenille; amplasque deinde non ſine inſigni rerum domeſticarum emolumento geſſiſſe dignitates. Ex hac ipſa Deméndyorum gente haud ita pridem inter nos emortua *Ladislaum* quoque *Deméndyum* Noſtrum ſuam duxiſſe originem accepimus, Eumque Ladislai Deméndy Epiſcopi Nitrienſis e fratre Nepotem, et Sigismundi Regis Phyſicum fuiſſe fide Documenti, exceptione omni maioris, quod Sigismundi Regis Mandatum Statutorium Budae an. 1419. ſignatum continet, clariſſime euincitur;

tur; licet charta, cui illud inſcriptum eſt, iniuria temporis pluribus in locis exeſa, foraminibusque pertuſa, pallidiori etiam atramento litterisque hinc atque illinc fere iam fugientibus exarata ſit, in vſus tamen Lectorum ſerie hac exſcribo: „ Nos Ladislaus Praepoſitus, et
„ Conuentus Eccleſiae B. M. V. de Ság, me-
„ moriae commendamus tenore praeſentium
„ ſignificantes quibus expedit vniuerſis; Quod
„ Nos Litteras Excellentiſſimi Principis Do-
„ mini Sigismundi, Dei Gratia Regis Hunga-
„ riae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Ser-
„ viae, Galitiae, Lodomeriae etc. Domini
„ noſtri gratioſiſſimi Introductorias et Statuto-
„ rias, nobis praeceptorie loquentes, et dire-
„ ctas, receperimus in hac verba: Sigismun-
„ dus Dei Gratia Rex Hungariae, Dalmatiae,
„ Croatiae, Ramae, Seruiae, Galitiae, Lo-
„ domeriae etc. Fidelibus Noſtris Conuentui
„ Eccleſiae Ság, ſalutem et gratiam. Noueritis
„ quod Fidelis noſter Dilectus, Venerabilis
„ in Chriſto Pater, Dominus Ladislaus, Epi-
„ ſcopus Eccleſiae Nitrienſis ad Noſtrae Sere-
„ nitatis accedens praeſentiam, nobisque —
„ — — — — — — — ipſum ac Ladis-
„ laum, filium Benedicti de Demenyd, Ioan-
„ nem filium Laurentii, et Petrum, filium Ni-
„ colai de eadem Demyend, fratrum ſcilicet
„ illius carnalium, in vniuerſis Bonis et Iuri-
„ bus poſſeſſionariis, qualitercunque per Nos,
„ aut Diuos Reges, Praedeceſſores videlicet
„ noſtros, ſibi pro fidelibus, ac fidelium ſer-

„ vi-

„ vitiorum ſuorum meritis multifariis, quibus
„ idem Nobis in cunctis noſtris, et Regni no-
„ ſtri negotiis, et agendis, cum omni diligen-
„ tia, ſtudio, et ſollicitudine indefeſſa, ſig-
„ nanter — — — — — — — — —
„ — — — *circa curam noſtri corporis in ar-*
„ *te ſua Phyſica ſtuduit, et adhuc anhelat intrepi-*
„ *de complacere* — — — — et donatis,
„ tum eo quod fratres ſui denominati propter
„ motum exercitus noſtri contra Turcos, Re-
„ gni noſtri ſaeuiſſimos Inuaſores, per nos au-
„ ſpice Deo, in proximo inſtaurati — — —
„ — — — deducuntur. Et, quod Deus
„ auertat propitius, ne fratres ipſius iuſtis ip-
„ ſorum deſtituantur Iuribus aquiſititiis pariter
„ et emptitiis: ſupplicauit itaque praefatus
„ Dominus Ladislaus Epiſcopus, vt Nos e
„ Regio noſtro conſenſu et aſſenſu eosdem,
„ Ladislaum Demyend — — — — — —
„ — — ipſorumque haeredes et poſteritates
„ vtriusque ſexus vniuerſas, iuxta contenta
„ Litterarum noſtrarum praefectionalium ſuper-
„ inde confectarum, in Dominium totalium
„ Poſſeſſionum Demyend, Theezer, Udvar-
„ nok. — — — — — — — — Item
„ quarundam particularum Terrarum Hebetz
„ — — — — in Hontenſi, nec non Seu-
„ then. — — — — Uj falu Peſtienſi, et
„ — — — — Haláſzi, Ludan et Gala-
„ toth, in Neugradenſi Comitatibus introduci
„ faceremus. Fidelitati igitur Veſtrae harum
„ ſerie mandamus, quatenus Veſtrum mittatis

„ hominem pro teſtimonio fide dignum, quo
„ praeſente Magiſtri Emericus de Sarkeöz,
„ aut Ladislaus filius Simonis, vel Iacobus
„ Velcz dictus, aut Ioannes filius — — —
„ — Iohannes dictus de Bárján, Thomas vel
„ Ioannes filii Lorandi, aliis abſentibus homo
„ noſter, ad facies praetactarum vniuerſarum
„ poſſeſſionum praenominatarum praediorum-
„ que praefatorum, vicinisque earundem et
„ eorundem vniuerſis inibi legitime conuocatis
„ et praeſentibus introducat praefatos Expo-
„ nentes in Dominium earundem, et eorundem
„ ſtatuatque easdem et eadem eisdem, ipſorum-
„ que haeredibus et poſteritatibus vtriusque ſe-
„ xus vniuerſis, ſimul cum cunctis earundem et
„ eorundem vtilitatibus et pertinentiis quibus-
„ libet, praemiſſo Iuris titulo ipſis incumbenti-
„ bus perpetuo poſſidenda, ſi non fuerit con-
„ tradictum; Contradictores vero, ſi qui fue-
„ rint, euocet eosdem contra annotatos Expo-
„ nentes noſtram in praeſentiam ad terminum
„ competentem, rationem Contradictionis eo-
„ rum reddituros, et poſt haec huiusmodi In-
„ troductionis et Statutionis ſeriem, cum con-
„ tradictorum et euocatorum, ſi qui fuerint,
„ vicinorumque et commetaneorum, qui prae-
„ miſſae Statutioni intererunt nominibus, ter-
„ minoque aſſignato, vt fuerit expediens, di-
„ ctae noſtrae perſonali praeſentiae fideliter
„ reſcribatis. Datum Budae, ſecundo die Fe-
„ ſti Beati Bartholomaei Apoſtoli, Anno Do-
„ mini Milleſimo quadringenteſimo decimo no-

„ no.

„ no. Regnorum noſtrorum anno Hungariae
„ triceſimo tertio. Nos igitur vniuerſi prae-
„ ceptis, obedire volentes, vt tenemur, vna
„ cum praenominato Emerico de Sarkeüz di-
„ cto, homine veſtro, noſtrum hominem,
„ Fratrem Petrum, Sacerdotem Chori noſtri
„ Conuentualem, fide dignum, ad praemiſſa
„ fideliter peragenda, noſtro Teſtimonio du-
„ ximus deſtinandum, qui demum ad nos re-
„ verſi nobis concorditer retulerunt iſto modo,
„ quod ipſi in Feſto beati Egidii proxime
„ praeterito, nec non diebus ad id aptis et
„ ſufficientibus, ad facies vniuerſorum Bono-
„ rum praenominatorum in praedictis Comita-
„ tibus habitorum vicinis et commetaneis ea-
„ rundem et eorundem vniuerſis legitime con-
„ vocatis et praeſentibus, praefatos Dominum
„ Ladislaum Epiſcopum, nec non Ladislaum
„ Filium Benedicti, Ioannem Filium Lauren-
„ tii, et Petrum Filium Nicolai de Demyend
„ ipſorumque haeredes et poſteritates vtrius-
„ que ſexus vniuerſas, iuxta contenta Litte-
„ rarum Veſtrae Excellentiae Praefectionalium
„ ſuperinde confecturum, in Dominum earun-
„ dem et eorundem, nullo penitus contradi-
„ cente apparente, ſtatuiſſent perpetuo poſſi-
„ dend. Datum — — — — — die Ter-
„ mini praemiſſae poſſeſſionariae Statutionis,
„ anno Domini ſupra dicto. “ Ex praelecto
hoc Statutorio Sigismundi Mandato certum eſt,
e numero fratrum Demendyorum fuiſſe vnum
quempiam, qui arte ſua Phyſica ſedulam cor-

 poris

poris Regis curam habuerit, at, vt ingenue fatear, Regius is Medicus, cuius opem Medicam, remuneratione digniſſimam, Rex ſaepe numero expertus eſt, Ladislaus ne Benedicti, aut Ioannes Laurentii, vel Petrus Nicolai Demendyorum filius fuerit, haud facile definiueris, Inſtrumentum enim ea plane parte lacerum eſt, vt vides, atque hiulcum, vbi habita quaeſtionis ratione omnium eſſe minime debebat: verum Sigismundi Regis hunc Medicum non Ioannem aut Petrum, ſed Ladislaum, Benedicti Demendy filium fuiſſe minime ſinunt nos amplius dubitare Celeb. Georgii Prayii Litterae, pridie Nonas Iunias Anno currente M. DCC. LXXIX. Buda ad nos benivole exmiſſae, in quibus haec inter alia: *Inter Aduerſaria mea Archiepiſcopatus Colocenſis ad annum* 1419. *V. Idus Iunii haec ex autographo notaui: Erat hoc anno Ladislaus filius Demendy, Praepoſitus et Vicarius Colocenſis, Phyſicus Sigismundi:* hancque pericopen Parti II. Hierarchiae ſuae ſub praelo ſudanti iam inſeruiſſe Vir ille eruditiſſimus amice nobis ſignificauerat ab omnibus prope diem legendam. (*) *Ladislaum* hunc Medicum ſuum

(*) Poſteaquam vero laudatae Hierarchiae Pars altera typis exſcripta e taberna libraria fuiſſet ad nos transmiſſa, pericopen iſthanc pag. 76. nota a.) ita auctam reperimus: *Erat hoc anno* (1419) *Ladislaus filius Demendy, Praepoſitus et Vicarius Colocenſis, Phyſicus Sigismundi Regis, quod munus etiam ſub Ludouico I. geſſerat.* Sed poſtrema Clar.

ſuum *Sigismundus Rex* quanti fecerit, ex aliis eiusdem Regis facile colligas *Litteris*, *Poſonii ſecundo die Feſti Beati Nicolai Epiſcopi et Confeſſoris anno Domini* 1437. *datis*, in his Sigismundus Imperator Ladislaum Demendyum filium Benedicti, ad Petrum Cſeh de Lewa, Wayvodam Tranſiluaniae, in certis ſibi collatis latifundiis ſtatuendum introducendumque expediuiſſe legitur. Do verba: *Ideo fidelitati Veſtrae* (Conventui nempe Eccleſiae de Saagh) *firmiter praecipiendo mandamus, quatenus Veſtrum mittatis hominem, pro teſtimonio fide dignum, quo praeſente Ladislaus Filius Benedicti, vel Nicolaus Filius Laurentii de Demyend, aut alter Nicolaus Brygánth de eadem, aliis abſentibus homo noſter, ad facies dictarum poſſeſſionum, vicinis et commetaneis ſuis vniuerſis inibi legitime conuocatis, et*

 prae-

Clar. Prayii verba, me iudice, conſiſtere nullo modo poſſunt: videbimus enim inferius in Articulo XXVI. Ladislaum Ludouici I. phyſicum, primum Weſzpremienſis deinde Varadinenſis Epiſcopi dignitate fuiſſe conſpicuum, eodemque ipſo anno deceſſiſſe, quo et Ludouicus I. Rex, anno nimirum 1382. Tum illud quoque Clar. Prayii ſententiam euertit, quod fieri prorſus non potuerit, vt idem Ladislaus, qui ſub Ludouico I. Epiſcopi gradum tenuit, ſub Sigismundo, de gradu dignitatis deiectus, ſimplicis ſolummodo Praepoſiti munus geſſerit. Ladislaum itaque Ludouici I. Phyſicum, qui primum Epiſcopatui Veſzpremienſi, mox Varadienſi inſederat, a Ladislao Deméndy, Sigismundi Phyſico, Praepoſito et Vicario Colocenſi, litteratiſſimi et nobis amiciſſimi Prayii pace probe diſcernendum eſſe volumus.

praeſentibus, accedendo, introducat praefatum Petrum Cſch in Dominium earundem, ſtatuatque ipſas eidem praemiſſo pignoris titulo poſſidendas, ſi non fuerit contradictum etc.

Silentio interim haud tegendum exiſtimo, quantam maximam Ladislaus Demendy in recitato ſuperius anni 1419. Inſtrumento nobis hic pariat difficultatem, haud profecto facile a quoquam ſoluendam, dum ille Nitrienſium Epiſcopus eſſe indigitatur: quum vero fide veterum monumentorum lucidiſſime conſtet, neminem certe ab anno 1373. vſque ad annum 1696. in ſerie Antiſtitum Nitrienſium occurrere, cui nomen Ladislai adhaeſerit. Nodum hunc quomodo expedias, aut quid directe reſpondeas, non ſatis in promtu habere exiſtimem, niſi forte Ladislaus ille, qui an. 1370. Nitrienſem rexerat Eccleſiam ſuperſtes adhuc, ſed ob ſenectutis incommoda rude forte fuerit donatus, retento nihilominus honorifico, vt adſolet, Epiſcopi titulo: ego quum Dauus ſim, non Oedipus, rem hanc Hierarchiae ſacrae Hungaricae compilatoribus uberius dilucidandam offerimus, tanto quidem confidentius, quod recitatum illud in charta Inſtrumentum genuinae ſit indolis, liberali eruditiſſimi Patriae Hiſtorici, Danielis Cornideſii, manu perbenigne nobiſcum communicatum.

ARTI-

ARTICVLVS X.

Eberlin (Georgius) Vitalem auram Patre *Georgio*, ſenatorii ordinis Viro, et *Martha Lupia*, *Spitzii* in Auſtria, die 5. Martii 1585. primum hauſiſſe *Paullus Freherus in Theatro Viror. erudit. claror.* Part. III. pag. 1354. retulit. Litteris manſuetioribus mature a Parentibus conſecratus, cum in Schola patria, manuductore *Paullo Hambergero*, ludi moderatore, praeclara ſtudiorum poſuiſſet fundamenta, anno aetatis XVI. hortatu amicorum miſſus eſt *Ratisbonam* ad percipiendam artem poëticam, hic ſub *M. Ottone Gryphio* Rectore, *M. Aegidio Weixelbergero* Con-Rectore, et *M. Thoma Wegelino* Sub-Rectore, poſtea Profeſſore Theologiae Argentinenſi, in Studio Graeci et Latini ſermonis eas fecit progreſſiones, vt annum aetatis XXI. ingreſſus, liberali prius egregiae matronae *Barbarae Scholtzianae* ſtipendio donatus, Academiam *Vittebergenſem* cum laude acceſſerit: ibi poſteaquam quinquennium integrum ſtudiis Artis medendi inſumſiſſet, et mox alias quoque nobiliores Germaniae Academias *Lipſienſem*, *Jenenſem*, *Altdorffinam*, *Tubingenſem* viſitaſſet, *Patauium* celleberrimam totius Italiae Vniuerſitatem conceſſit anno 1612. et breui poſtea tempore Nationis Germanicae in Facultate Medica, vt adpellari conſueuit, Conſiliarius delectus eſt. Dum munus hoc ſingulari ſedulitate per annum obiuiſſet, reliquam quoque mox Italiam peregrinando circumiuit, per

Siciliam iter facturus, in ipſam quoque *Melitam* inſulam trausfretauit. Peragratis demum *Galliae* provinciis, *Baſileam* ſe contulit, vbi celeberrimorum id aetatis Medicorum conſuetudine et doctrina vſus, Doctoris Medici dignitatem ſuſcepit. In patriam tellurem reuerſus, *Kremſii* et *Steinii* praxin medicam auſpicatus, adeo feliciter eam exercuit, vt, ab Ordinibus Auſtriae ſuperioris Medicus provincialis ordinato liberali ſtipendio conſtitutus, in oppido *Horna* ſedem habitationis ſuae poſuerit. Quod ad matrimonium adtinet, Eum Spitzii in loco gentili, die 10. Auguſt. an. 1615. nuptias cum lectiſſima Virgine *Margaretha Ioachimi Einpucheri* in Styria Mercatoris primarii filia celebrauiſſe, idem laudatus *Freherus* l. c. commeminit. Percrebeſcente in dies eruditionis Noſtri fama, quam clarus quamque felix in medendo exiſteret, honorificentiſſima proinde legatione et luculentis conditionibus, *Poſonium*, Lib. Regiamque Ciuitatem Hungariae primariam evocatus, vix dictu facile eſt, quantam ſibi apud omnes medendo aegrotis exiſtimationem famamque conciliarit: dum ſex annorum intervallo *Phyſici ordinarii* provinciam apud Poſonienſes adminiſtraſſet; colica paſſione, morbo ſimili familiari correptus, die 29. Octobris an. 1628. annum aetatis quadrageſimum ſecundum ſupergreſſus extinctus eſt, ac funere ſplendido comitantibus omnibus Ciuibus, et iacturam Viri optumi lugentibus, elatus eſt: Laudatorem funebrem nactus eſt *M. Ioannem Stumpſium*, Con-

cio-

cionatorem Auguſtanae Confeſſ. addictorum diſertiſſimum, qui curriculum vitae, ſermoni lugubri ſuo adſutum, hunc in modum enarrauerat. Medici noſtri memoriam egregio praeterea documento inter nos conſeruauit *Paullus Spindler*, celebris ille *obſeruationum Medicinalium Poſonienſium* Auctor, cuius Vitam Centuria I. Biograph. Medic. Art. 84. dedimus; dum is ſcilicet in Vniverſitate ſtudiorum Argentinenſi addiſcendae Medicinae cauſſa verſaretur, *Diſputationem XII. de Pharmacia XCIX. Quaeſtionibus comprehenſam Eberlini honoribus inſcripſit*, Argentinae typis Ioannis Andreae an. 1628. excuſam. Ita Dedicationis Epigramma ſe habet: *Nobiliſſimo, clariſſimo, et experientiſſimo D. Georgio Eberlino, Med. Doct. celeberrimo, Poliatro Poſonii Ungarorum praeeminentiſſimo, Fautori, et Evergeti ſuo, omni obſeruantiae cultu aetatem honorando.*

ARTICVLVS XI.

Eckivs (Valentinvs) Patria Lindauienſis, domi poſteaquam ſtudia, quae ab humanitate adpellantur, feliciter fuiſſet auſpicatus, *Rudolpho Agricola*, conterraneo ſuo ſuaſore ac duce in Cracovienſem Academiam commigrauit, ab eo in reliquis artibus, Rhetorica imprimis ac Poetica plenius erudiendus: et mox *Michaelis Vratislauienſis* diſciplinae concreditus vniverſum Philoſophiae ambitum prius emenſus, dum in ſtudio ſacrarum quoque litterarum non

con-

Digitized by Google

contemnendas feciſſet progreſſiones, impetrata a Magiſtris ſuis venia, non modo animi recreandi ac reficiendae valetudinis, ſed inueſtigandarum in primis rerum naturalium cauſſa in Hungariam ingreſſus eſt, perſpecta mox erecta Illius animi indole *Alexius Turſo*, Solienſium Comes, Cremnicienſiumque Camerarius, benigniſſimus omnium ea aetate litterarum, litteratorumque altor, amoeniſſimo excepit hoſpitio, et oblato honeſto ſtipendio, erudiendae primum Filiae ſuae primogenitae, *Vrſulae* nomine, puellae inſignibus animi dotibus inſtructae praefecit, breui poſtea Ludo quoque litterario in Libera Regiaque Ciuitate Bartphenſium regundo erudiendove admouit. Sed reuocatus in vicinam Poloniam, dum Cracouiae cathedram Poëticam, morte *Paulli Croſnenſis* (*), vacuam redditam dum magna diſcentium vtili-

(*) E re Hiſtoriae litterariae patriae eſſe duximus, *Paulli* huius *Croſnenſis* tribus dumtaxat verbis meminiſſe, is omnium primus Poëticen Cracouiae docuiſſe, et editis carminibus iisque venuſtiſſimis inclaruiſſe ſcribitur: ex hac Academia an. 1508. ad exitum vergente, dum fines Poloniae dira peſte gravarentur, quaerendae ſalutis gratia, in hanc patriae tellurem intrauit, et illico a Proceribus Regni noſtri, ſed in primis Gabriele Perenoeo, Regiorum Cubiculariorum Magiſtro, et Comite Vgocſienſi ob inſignem formae gratiam, et doctam ingenii facultatem: admirabilemque ſermonis leporem & feſtiuitatem humaniſſime liberaliſſimeque exceptus eſt adeoquidem, ut locuplete quoque Sacerdo-

vtilitate jam exornaret, laudatiſſimus Alexius Turſo liberaliſſimis conditionibus deuinctum ad prio-

---

cerdotio tunc temporis in illius Prouincia vacuo donaretur: ibi ſuauiſſimo honeſtiſſimoque otio diſtentus, pangendis variis elegantiſſimorum carminum generibus operam impendit: 1) *Duos Panegyricos*, vnum *in Laudem Diui Ladislai*, Pannoniae Regis, victoriis et triumphis clariſſimi; alterum *in honorem S. Stanislai*, *Praeſulis ac Martyris Poloniae glorioſiſſimi* Elegis contextos conſcripſit, quibus alia Elegiaca ac Lyrica adiecit Carmina, iisque *Virginalem Conceptionem*, *Chriſti Natalitium*, *Diuam Virginem Mariam*, *Sanctasque Virgines Barbaram atque Catharinam* concelebravit, vel *Gabrielem Perenoeum*, *Doctorum Patrem*, *atque fautorem Poëtarum*, *probatis moribus ſanctum Senecam*, ac *diuinum Catonem ſuperantem*, extulit. Wiennae per Io. Winterburger An. 1509. in 4. Praemiſſa eſt Volumini *Epiſtola ad Gabrielem Perenaeum*, qua collata ab eo in ſe beneficia quam plurima honorifice ac grauiter depraedicauit. 2) *Epithalamion*, hoc eſt, *Carmen connubiale*, *in Nuptias illuſtriſſimi Domini Principis*, *Sigismundi*, *Regis Poloniae*, *Nobiliſſimaeque ac pudiciſſimae Barbarae*, *Filiae Inclyti ac Magnifici Domini*, *Stephani*, *Palatini Pannoniae*, *Cepuſiique Comitis perpetui*, *Elegis concinnatum*. Cracov. per Flor. Vnglerium, An. 1512. in 4. Adtexta eſt in calce *Elegia terſa ad Reuerendiſſimum D. Ioannem Lubrantium*, Epiſcopum Poſnanienſem. 3) *Ioannis Pannonii*, *Epiſcopi Quinque-Eccleſiarum*, *Poëtae et Oratoris clariſſimi*, *ſtudiorumque in Hungaria Inſtauratoris*, *Panegyricum in laudem Baptiſtae Gvarini Veronenſis*, Praeceptoris ſui, verſibus Heroicis conditum, ex eius autographo ſumtum, et laudatiſſimo Maecenati ſuo, *Gabriel Perenaeo*, Magi-

priorem, quam in Hungaria deſeruerat paullo antea, ſtationem; in Scholam Bartphenſem reduxit, cui moderandae dum annis pluribus multa induſtria ac diligentia praefuiſſet, factum eſt nouiſſime omnium, ut Ciuitatis eiusdem Syndicus renunciaretur. Honorificum hoc Eckio Noſtro adſignare locum e re noſtra eſſe duximus,

Magiſtro Regiorum Cubiculariorum, Vgocſienſi ac Maramaroſienſi Comiti, ſacratum. Viennae Auſtriae, An 1512. in 4. maj. in aedibus Hier. Victoris et Io. Singrenii. 4. *De inferorum vaſtatione & triumpho Chriſti*, *Sapphicon diuinum*, praemiſſa eleganti *ad Gabrielem Perenaeum Epiſtola*, et addita *Oratione Dominica*, *Aue Maria*, et *Salue Regina*, Elegis lepidis ac concinnis expreſſa. Cracou. ex officina Flor. Vngler, An. 1513. in 4. Ita triumphus Chriſti explicit:

Laus reſurgenti Domino perennis,
Gloria et virtus, honor, et poteſtas,
Qui tenet fractis Erebi ſuperna
Legibus aſtra.

5) *Carmen Elegiacum de Victoria, anno* 1514. *natali Deiparae Virginis die, a Sigiſmundo Rege, e Moſcis* relata. Cracou. an. 1514. in 4. 6) *De Nuptiis Sigismundi Regis Poloniae, et Bonae Ducis Mediolani Filiae, Elegia.* Cracou. an. 1518. 4. 7) *Panegyricos in caeteros Pannoniae Patronos; Hymnos in omnia Sanctorum feſta vario carmine concinnatos; Odas ad Viros illuſtres ſcriptas;* item *Praefationes ante complurium Auctorum exordia habitas*, et *alia felicis ingenii huiuscemodi monumenta inedita* exſtare in Zaluſciana Bibliotheca Publica admodum Reu. ac Eruditiſſimus Ioannes Ianoſzkyus, Proto-Bibliothecarius Regius in Memoriis ſuis Miſcellis retulit.

mus, non quod ordini Medicorum is umquam eſſet adſcriptus, ſed quia ab omnibus Rei litterariae Hungaricae ſcriptoribus neglectus, non modo Orator et Poëta excellentiſſimus, ſed ſagaciſſimi quoque ac limatiſſimi ingenii exſtiterit Philoſophus, et diligentiſſimus Naturae Myſteriorum indagator: cuius talia in Zaluſciana Regni Poloniae Bibliotheca publica proſtant eruditionis monumenta, ab eruditiſſimo Ioanne Dan. Andr. Ianocio, primario Bibliothecae Praefecto Regio, nobiscum communicata in Ianocianis Vol. I.

O P E R A.

1) *Elegiacum Carmen in laudem Philippi Beroaldi*, ad Rudolphum ſuum Agricolam. Acceſſit eiusdem Beroaldi Modo Epiſtolandi a Rudolpho Agricola. Cracouiae apud Florianum Vnglerium chalcographum an. 1512. 4.

2) *Hymnus exhortatorius ad Cracouiam, vt diutinos ſingultus, quos hactenus ob incertos inuictiſſimi Regis ſui Sigismundi tumultus contra Moſchos habuit, deponat, atque ob inſignem Victoriam triumphet.* Hexametris conſcriptus, adnexusque eſt *Ioannis Dantiſci* Carmini Heroico extemporario, *De Sigismundi Regis Poloniae Victoria.* Cracou. an. 1514. 4. Repetit Romae An. 1515. 4.

3) *Lucii Flori Bellorum Romanorum Libr. IV.* ex vetuſtiſſimo exemplari nouiſſime ac diligenter recogniti per Valentin. Eckium. Cracou.

cou. arte et impenſis Io. Halleri an. 1515: 4. mai. Ad Lectorem in fronte venuſtulum *Elegidion* adiecit.

4) *De Arte verſificandi opuſculum, omnibus ſtudioſis ad Poëticam anhelantibus non tam iucundum, quam frugiferum.* In Regia Poloniae Gracchouia An. 1515. in 4.

Iterata editio correctior locupletiorque ibid. an. 1521. 4. et inſcripta Generoſo ac Magnifico Domino, D. Alexio Thurſoni, de Bethlemfalva Comiti Zolienſi, atque Camerario Cremnicienſi, Inuictiſſimique Principis Ludouici Regis Hungariae a Secretis. Repetita in aedibus Hieron. Victoris an. 1539. in 4. addito Heroico Carmine ad Vigilantiſſimum Korponenſis Eccleſiae Protomyſtam, Dominum *Nicolaum Chryſoreotanum*, vulgo *Goldberger*, Dominum ſuum obſeruantiſſimum.

5) *Vtrum prudenti Viro ſit ducenda Vxor.* Carmen Elegiacum Illuſtri ac Magnifico Domino, D. Alexio Thurzóni, etc. dicatum. Cracoviae opera Ioann. Halleri an. 1518. in 4. Recuſ. ab Hieron. Victore ibidem. an. 1524. in 4. adnexo *Supellectilium* Auctoris *Faſciculo*, Elegis concinnato, additaque ſingulari ad Magnificum D. Dominum Alexium Thurzonem, omnium Nobilium Procerumque decus et ornamentum Epiſtola, ex Bartpha XII. Kal. Iul. Anno ab orbe redempto MDXXIIII. ſcripta.

6)

Digitized by Google

6) Ad Clariſſimos Viros, Dominum Petrum Czipſer, et Andream Reúber, Bartphani Populi, illum Eccleſiaſticum, hunc ſecularem, Moderatores digniſſimos, *Heroicum Carmen, de Amicitiae et Concordiae Vtilitate*, luſum Bartphae an. 1518. Cracouiae in aedibus Io. Halleri an. 1518. in 4.

7) *De Mundi contemptu et Virtute amplectenda Dialogus*, per Valent. Eckium, Bartphanae Scholae Moderatorem. Nobiliſſimo Domino, Domino Alexio Thurſoni de Bethlemfalva, Comiti Zolienſi, et Camerario Cremnicienſi, Domino et Haeredi Pleſnenſi, Domino ſuo colendiſſimo ſacratus. Cracou. ex officina Io. Haller An. 1519. 4. Recuſ. cum Auctoris *Supellectilium faſciculo*, ac Leonardi *Coxi* Britanni *Elegidio*, Cracou. per Matthiam Scharffenberg An. 1528. in 4. Ita opuſculum claudit:

Viue igitur Pylios chariſſime Turze per annos,
Echioli et famuli ſis memor, ero tui.

8) *Apophoreticum Carmen de Chriſti Natiuitate, Elegis compoſitum.* Ad Generoſum Dominum, D. Alexium Thurzonem de Bethlemfalva, Comitem Zolienſem atque Camerarium Cremnicenſem, Liberum Dominum Pleſnenſem et Illuſtrem Inuictiſſimi Principis Ludouici Regis Hungariae Cubicularium. *Iubilus heroicus* Caſſouiae habitus, ob Aduentum Reuerendiſſimi Antiſtitis, Domini Georgii Quinqueeccleſienſis Epiſcopi, Regnorumque Hungariae, et Bohemiae Cancellarii digniſſimi,

heroicis verſibus conditus. Epithalamium in Nuptiis Egregii atque Prudentis Viri, D. *Ioan. Sauslich*, nuper Iudicis, nunc Senatoris Caſſovienſis, et Comitis Camerae Regalis, *Carmine elegiaco.* Cracou. per Hier. Victorem An. 1520. in 4. maj.

9.) *De Reipublicae adminiſtratione Dialogus.* Ad Nobiliſſimum Dominum, D. Alexium Thurzonem de Bethlemfalva, Comitem Zolienſem atque Camerarium Cremnicienſem, Liberum Dominum Pleſnenſem, et Illuſtrem Inuictiſſimi Principis Ludouici Regis Hungariae a Secretis. *Et Epiſtola conſolatoria* ad Magnificos Dominos Alexium et Ioannem Thurſones, ob mortem Reuerendiſſimi Domini Ioannis, Epiſcopi Vratislauienſis. *Et Epitaphia varia*, pro Eodem, ad Eosdem Dominos. Valentino Ecchio Lendano Auctore. Cracou. per Hier. Victor. an. 1520. in 4. mai. Recuſ. cum iisdem opuſculis *Carmen* quoque de *Amicitiae et concordiae vtilitate.*

10) *Q. Horatii Flacci Liber de Arte Poëtica ad Piſones*, ex vetuſto exemplari: ſumma cura et diligentia recognitus per Valent. Ecchium Philiripolitanum: Cracou. ex officina litteratoria Ioann. Haller an. 1521. 4. mai. Rud. Agricola pereleganti comitatus eſt Elegia ad Barthphanam Iuuentutem ſcripta.

11) *Q. Horatii Flacci Epiſtolarum Libri II.* ex antiquiſſimo exemplari ſtudioſiſſime recogniti. Cracou. arte Ioan. Haller an. 1522. 4. ſub-

lun-

iunctum eſt Ecchii eiusdem ad ſtudioſam Iuventutem Barthphanam Hexaſtichon.

12) *De Ratione legendi Auctores Libellus.* Cracou. per Matthiam Scharffenberg. an. 1523. in 8. mai. adiecta eſt *Epiſtola* maximae ſpei, veterisque ac recentioris litteraturae peritiſſimo Adoleſcenti, *Emmanueli Reubero*, iucundiſſimo diſcipulo ac conuictori, Cracou. ex aedibus Minoris Collegii Academici au. 1523. miſſa.

13) *De Reſurrectione Dominica Carmen heroicum*, Illuſtri ac Magnifico Domino, D. Alexio Thurzoni de Bethlemfalva, Regalium Thauernicorum ac Cubiculariorum Magiſtro etc. nuncupatum, per Val. Ecchium Bartphanae Reipublicae a Conſiliis atque Libellis. Cracou. per Hieron. Victorem an. 1525. 4. repet. ibid. per eumdem an. 1534. in 4.

14) *Aurelii Prudencii Clementis Viri Conſularis Liber Periſtephanon*, hymnos in laudem Sanctorum, qui Martyrio coronati ſunt, complexus. Ex vetuſtiſſimo exemplari quam diligentiſſime recognitus. Viro clariſſimo, Rud. Agricolae, Poëtae a Caeſare laureato, Inclytae Academiae Cracouienſis Rectori a Valent. Eckio, Bartphanae Reipublicae Syndico, heroico carmine dicatus. Cracou. Matthias Scharffenberger an 1526. in 4. mai.

15) *Diui Aurelii Auguſtini, Hipponenſis Epiſcopi, de Vita Chriſtiana ad ſororem ſuam viduam Liber I.* Praefatione ad Reu. Dominum M. Michaëlem de Vratislauia, principem Incly-

tae Cracouienſis Vniverſitatis Theologum et Philoſophum, nec non Eccleſiae collegiatae S. Floriani Decanum directa adornatus. Cracou. Hier. Victor. an. 1529.

16) *Epigrammatum Sacrorum Liber.* Ad Illuſtrem ac Magnificum Dominum, D. Alexium Turzonem de Bethlemfalva, Inclyti Regni Hungariae Palatinum. Cracou. Hier. Victor. regiae Cancellariae chalcographus 1537. in 4. mai.

17) *Elegiacon* ad doctiſſimum ac clariſſimum Virum, D. Ioannem Benedictum, Cracou. et Varmien. et Vratislav. Canonicum, Sereniſſ. et Invictiſſ. Principis, Sigiſmundi Senioris Regis Poloniae Medicum. Cracou. Hieron. Victor. an. 1545. 4.

18) *Epigrammata Pannoniae Luctui, quo Principum aliquot et inſignium Virorum mortes aliique funeſti Caſus deplorantur,* intertexta plura ſunt. Libellus iſte Cracou. an. 1544. in 8. min. plag. 3. impreſſus ita rarus eſt, vt vix unum alterumve exemplum in vniuerſa ſuperſit Hungaria, adeoque eorum nonnulla cum Popularibus noſtris hac ſerie iam communicabimus:

Nicolao Thurocio, Aulae Regiae Hung. Magiſt. p. 18.

Quidquid Dii faciles mihi donauere bonorum,
Conſilii, eloquii, dexteritatis, opis:
Id totum Patriae impendi, teſtatus alumnum
Me gratum grati Regis in obſequiis

Huic

Huic ſtudio vnanimes ciues incumbite, ſaluas
Qui miſerae cupitis relliquias Patriae.

Nicolao Oſtroſith pag. 19.

Dum Patriae contra Turcas, ciuesque rebelles,
Debita militiae munera ſoluo meae;
Aduerſa nemo vicit me cominus haſta,
Eminus a paruo ſaucior ecce globo.
Pro patria cecidiſſe iuuat, videritis ipſi,
Diſſidiis quorum Patria victa perit.

In Alexium Turſonem pag. 24.

Ne pars vlla mali, qua torqueremur, abeſſet,
En rapit in luctus nos quoque Turſo nouos.
Intempeſtiue hunc fati inclementia nobis
Eripuit clarum dexteritate Virum.
Quem triſtes merito cuncti lugemus ademptum,
Namque amiſſa in eo ſunt bona multa viro.
Conſilio illius ſtetit haec reſpublica noſtra
Hactenus, aegra licet, ſed ſtetit illa tamen.
Nunc ſublato illo reſpectant cuncta ruinam,
Heu quantum nobis imminet exitium!
Hinc ciuile odium, rabies hinc Turcica turbant
Omnia, ſic miſere Patria cara perit.
At Turſo vita dignus meliore, ſolutus
Iam curis, patria viuit in aetherea.

It. *Hic ſua Turſo potens, patriae pater oſſa reliquit,*
Quum peteret ſuperi patria tecta poli.

Digitized by Google

Franciſco Comiti a Frangapanibus, Archiepiſcopo Colocen. p. 28.

Corporis atque animi dotes ſi vincere poſſent,
Parcarum rabiem iura tremenda Iouis.
Iſtius haud ullus palmam hac in parte tuliſſet,
Quam Praeſul fracto nomina pane trahens.
Vix illo quisquam in patriam pietate merendi,
De cunctis ſtudio maior in orbe fuit.
Neſtorea Conſilio, Ciceronem vicerat ore,
Et pietate Titum, religione Numam.
Certandum forma, vel ſi gravitate fuiſſet,
Vel comi eloquio, ſtemmate vel patrio,
Heroum veterum nemo, nemo Hercule! noſtri
Temporis ante illi iure ferendus erat.
At nihil haec contra potuere immobile fatum,
Praeſulis en tanti ſtamina rapta iacent.
Hanc miſeram Patriam, dignus meliore, reliquit,
Iam liber a curis viuit in arce poli.

In Arcem Wiſſegrad, pag. 31.

Ipſa etiam ſacrae cuſtos excelſa coronae,
Antiquum inuictae gentis et artis opus.
Succubui tandem, ſed me non impete vicit,
Non vi, non pretio, non prece Turca minax.
Adtulit exitium mora longa, mihique meisque,
Aeterno dignis nomine praeſidiis.
Quantum ea iam dudum nocuit, nocituraque porro eſt
Pannonii exemplo diſcite, quaeſo, meo.

Va-

Valentino Zepſio Praepoſito Eurſienſi,
pag. 37.

Qui ſua, Weſzpremiique ſui magno auxit honore
Templa Valentinus, conditur hoc tumulo.
Conſilio Vir praeclarus, cui ſemper honeſti,
Iuſtitiae, et fidei maxima cura fuit.
Quem coluit Princeps, quem Cancellarius ipſe,
Primum inter ſcribas iuſſerat eſſe ſuos.
Ornandum titulis hunc iam maioribus, acri
Suſtulit e terris mors violenta manu.
Oſſa quidem illius modica hac conduntur in vrna,
Spiritus at coeli tecta ſuperna colit.

In Paullum Bakyth, pag. 19.

Praeteriens forſan Turcarum exercitus vrnam,
Condita qua Paulli membra fuere Bakyth:
Inuaſit ſubito terror iumenta, hominesque
Tota fere ut retro cederet ipſa acies.
Tum quidam, quid ſtatis? ait, nec tela nec enſes
Paullus, qui toties vos feriebat, habet.

Clarae ab Vylak, Franciſci Iaurienſis Epiſcopi Matri, pag. 32.

Hac dilecta iacet Iaurini Praeſulis vrna,
Re ſimul inſignis nomine Clara Parens.

Reliqua, quae vel nobiliſſimae huic Feminae, vel Barbarae, Franciſ. a Reua Propalatini Regni Hungariae Coniugi, aut Ioſepho Tectandro, Medico, lugubri modulatus eſt carmine, chartarum anguſtia prohibitis nobis non licet amplius referre.

ARTICVLVS XII.

Fvangelista (*Ioannes*) Italusne, an Polonus, vel vero Hungarus gente fuerit, nequaquam loco hoc definiuerimus, nil enim amplius de eo nobis innoteſcere potuit, quam quod Iſabellae, Reginae, Ioannis Primi, Hungariae Reguli, Coniugis, Medicum in Tranſilvania egerit: fidem faciunt indubiam Litterae liberi commeatus regiae, Ioanni Euangeliſtae impertitae, quibus Phyſicum hunc ſuum, in Poloniam proficiſcentem, Eliſabetha Regina vidua hunc in modum muniuit: „ Iſabella Dei „ Gratia Regina Hungariae, Dalmatiae, Cro- „ atiae, etc. Uniuerſis et ſingulis Reuerendiſ- „ ſimis, Reuerendis, Spectabilibus, Magnifi- „ cis, Egregiis, Nobilibus, Comitibus, Vice- „ Comitibus, Caſtellanis, et Officialibus qua- „ rumcunque artium; Item Prudentibus et Cir- „ cumſpectis Magiſtris Ciuium, Iudicibus, et „ Iuratis Ciuibus Ciuitatum, Oppidorum, Vil- „ larum, et quarumlibet Poſſeſſionum, nec „ non triceſimarum ac Teloniorum Exactori- „ bus, Pontium, Paſſuum, et Vadorum Cu- „ ſtodibus, cunctis etiam aliis cuiuscunque ſta- „ tus et conditionis hominibus, intra et extra „ Regnum Noſtrum Hungariae et Tranſilua- „ niae, praeſentium notitiam habituris, Ami- „ cis Nobis ſincere dilectis, ſalutem, et feli- „ cem quorumcunque ſucceſſum, ſubditis vero „ noſtris Gratiam Noſtram. Quoniam hic Ex- „ cellens Ioannes Euangeliſta, Doctor Phyſi-

„ cus,

Digitized by Google

„ cus, in Regnum Poloniae proficiſcitur, Ami-
„ citias igitur Veſtras benevole hortamur,
„ ſubditis vero noſtris firmiter committimus,
„ vt dum et quando ipſe Ioannes Euangeliſta
„ in Dominia et Officiolatus peregrinauerit,
„ eundem vbique libere, pacifice, et ſine
„ omni impedimento dimittere, et dimitti fa-
„ cere, quin potius ſicubi neceſſe fuerit, de
„ equis neceſſariiſque eidem proſpicere velitis,
„ ſubditi vero noſtri debeant ac teneantur.
„ Secus non facturi. Praeſentibus perlectis,
„ exhibenti reſtitutis. Datum in Ciuitate no-
„ ſtra Alba Iulia, 10. die Februarii Anno
„ Domini 1559.

Iſabella Regina. m. pr.

Micae loco eſſe poterit in Hiſtoria Patriae, noſſe etiam quibus Epithalamiis *Iſabellam* ſponſam ad *Ioannem Hungariae Regem*, in Tranſiluaniam proficiſcentem, excellentes aeui illius Poetae proſecuti fuerint:

a.) *Epithalamium florentiſſimae Filiae Sereniſſ. Regis Poloniae Sigismundi ad Sereniſſ. Maritum Ioannem Vngariae Regem proficiſcentis Hexametris compoſitum. Additis binis ad Eamdem Iſabellam Pannoniae Reginam Elegidiis.* Auctore *Stan. Aichlero*, Cracov. ex Officin. Hieron. Victor. an. 1539. in 4.

b.) *De felici connubio Sereniſſ. Vngariae Regis Ioannis, et S. Iſabellae, Poloniae Regis filiae, Auctore Iac. Ferdinando Barienſi*, Cracov. excudit Matthias Scharffenberg. an. 1539. 4.

Digitized by Google

c.) *Epithalamion in Nuptiis Sereniſſ. Principis Domini Ioannis Regis Hungariae et Sereniſſ. Virginis Iſabellae etc. Verſibus Heroicis comprehenſum per Seb. Marſcheuium*, impreſſum Cracouiae per Hieron. Victorem anno 1539. 4. Eiusdem *Carmen* Hexametris ſactum proſtat. *De Ludis Equeſtribus, quos exhibuerunt Hungari in Nuptiis Sereniſſ. Virginis Iſabellae.* Impreſſum in aedibus Hieron. Victoris anno eodem in 4. Eiusdem Marſchevii legitur etiam *Carmen Elegiarum in Sereniſſ. Hungariae Regis Ioannis Primi obitum.* Cracov. impreſſit. Hier. Victor. an. 1540. menſ. Sept. in 4.

d.) *In Nuptiis Sereniſſ. et Potentiſſ. Principis, Domini Ioannis Hungar. Regis et Seren. Virginis Iſabellae, Sigismundi I. Poloniae Regiae Filiae Poëma gratulatorium verſibus heroicis conditum Auctore Venc. Shamotulino.* Excuſum Cracov. in Officina Vngleriana anno 1539. die 26. Ianuar. in 4. Eodem auctore prodiit *Poëma Gratulatorium* genere heroico, *in natiuitate Illuſtriſſ. Dom. Ioan. Sigismundi Principis Hungariae et Tranſiluaniae, Marchionis quoque Morauiae ac Luſatiae, et Ducis vtriusque Sileſiae, Filii Sereniſſimorum Principum, D. Ioannis Regis et D. Iſabellae Reginae Hungariae.* Cracov. excudit Hier. Victor, IV. Kal. Aug. an. 1540. in 4.

e.) *Epithalamion Sereniſſ. Ioannis Hungariae Regis et Iſabellae Reginae per Mich. Wrantium Dalmatum verſibus heroicis compoſitum.* Cracov. Hier. Victor. an. 1539. 4. Michaëlis

huius

huius Fratrem Germanum Antonium Wrantium a Ferdinando I. Epiſcopum Agrienſium renunciatum fuiſſe, eumque Elegis bis geminis clarum exſtitiſſe, alibi iam docuimus: de quo interim Epiſcopo Agrienſi, Ant. Vrantio, haec apud Wolffg. Lazium nos legere meminimus: *Neque vero Graeciam illam barbaram his Commentariis deſcribimus Turcarum tyrannide preſſam, quam olim Reverendiſſ. ac ſimul doctiſſimus D. Ant. Vrantius Epiſcopus Agrienſis in lucem proferet, vtqui legationibus ſuis Thraciam praeſertim ac Minorem Aſiam peragrauit, et in Geographorum lectione verſatiſſimus eſt. Hiſtoricar. Commemoration. Rerum Graecar. Libr. II. Viennae an.* 1558. *fol. et Hanov. an.* 1605. *fol. in Theſauro Antiquitat. Graecar. Gronoviano Tom. VI.* Plura de hoc Vrantio, qui ſedem quoque Strigonienſium archipraeſulum poſtea ornauerat, narrat Illuſtris Kollarius, epitomen vitae exhibiturus, in Hiſtoria Diplomat. Iur. Patronat. Apoſtol. Reg. Hungar. Lib. I. pag. 52. ſeq. Subnectant alii reliquos, ſi qui fuerint, talibus defunctos officiis.

ARTICVLVS XIII.

Forgach de Gimes (*Adamus*) Florentiſſimam atque Virorum eruditorum feraciſſimam in Hungaria Lib. Baron. et Comitum Forgáts de Gymes familiam Celeberrimus Patriae Hiſtoricus *Matthias Belius* Notit. Hungar. Nov. Tom. IV.

IV. pag. 383. ſeqq. fide diplomatum ſuffultus, docuit eſſe gentem in Hungaria vetuſtiſſimam: ex adnexa Tabula Genealogica luculenter perſpicitur plures omnino exſtitiſſe Viros de Forgatſiano ſtemmate natos, qui non modo in ſanctiori aeque ac ciuili republica, ſed etiam Hungariae litteraria egregiis ſeſe nobilitauerunt ſpeciminibus: inter eos primum tenere locum exiſtimauerim Michaëlem Forgách, Simonis Lib. Baronis, et Pincernar. Reg. Magiſtri filium, ex Vrſula Pemflingeriana ſuſceptum, qui iuuenilibus in annis peregrinationem Litterariam ſuſcepturus, Vittebergam, celeberrimum ea aetate artium et ſcientiarum emporium ingreſſus, *Ioanne Zangero* faſces Academiae moderante, die 3. Aug. anno 1587. Albo ſtudioſorum Vittebergenſium nationis Hungaricae, quod felici fato ad manus noſtras peruenit, hunc in modum nomen manu ſua *Michaël Forgach de Gimes*, *Baro*, inſcripſit vna cum Sigismundo Mariáſi, et Sigismundo Peczi, Nobilibus, nec non Franciſco Báuſi Loſonci Barone et Comite, qui ſubſecuturis annis duobus 1588. et 1589. Rectoris quoque Magnifici munere in ea ſtudiorum Vniuerſitate, rariſſimo exemplo, egregia cum laude defunctus eſt, dum ſcilicet coetui Hungarico *Ioannes Cʒanadius*, Senior in ordine XXXVIII. praeeſſet. (*) Dictis

(*) Ad illuſtrandam hiſtoriam Patriae litterariam plurimum omnino facere videtur genuinam, noſſe eorum

ctis his ex aſſe conformia ſunt, quae *Friderieum* quoque *Boernerum*, Vittebergenſium Profeſſo-

---

eorum quoque ſeriem, qui e populariam noſtrorum numero a felici inde ſacrorum reſtauratione per integrum fere ſeculum tractandorum ſublimiorum ſtudiorum cauſſa Vittebergenſem viſitauerunt Vniverſitatem. *Petrus Monedulatus*, Laſcouienſis Hungarus, in Praefatione, *Libro de Homine magno in Natura Miraculo*, Vitteb. an. 1585. in 8. edito, praemiſſa, *Martinum Czyriakium*, Leutſchouienſem, nominat, qui omnium primus anno 1522. Vittebergam ad audiendum *Lutherum* profectus fuerit, atque reliquorum ciuium ſuorum nomina per longam ſeriem annorum ad ſua vſque tempora pulchro ſatis ordine ibidem recenſuit; *Ieremias* vero *Lipoinus*, Barouius Hungarus, dum eam laudati Monedulati Epiſtolam dedicatoriam an. 1597. recuderet, annos duodecim prioribus fideliter adtexuit, quos nos quoque Centur. I. artic. 92. pag. 192. ſeqq. iam exhibuiſſe probe meminimus. Quia vero Matricula cuetus huius Leucorei Studioſorum Nationis Hungaricae fato quopiam in manus noſtras deuoluta eſt, non pigebit ex illa reliquorum quoque ex ordine nomina, quae adhuc deſiderantur, ad annum vſque 1608. pertexere, quo nimirum Concilium illud Nationis Hungaricae, exemplo Forgachii Noſtri Vittebergam accurrentium, fato infelici diſſolutum eſt. Prout Monedulatum aeque ac Lipoinum e pretioſiſſimo cimmelio hoc litterario noſtro ſua mutuatum fuiſſe euidenter conſtet, filium ruptum hoc iam connectemus ordine:

Thomas Szelinus, ſenior nationis Hungaricae XLVII. Magnif. Academiae Rectore, Thoma Frantzio, I. V. D. Anno 1597. nomina ſua in Faſtos hos in-

feſſorem, in Epiſtola ad Clar. *Paullum Fabri*, Neoſolienſem Hungarum, de Antiquitatibus Medici-

---

inſcripſerunt ſequentes: Michaël Hunior Viſolinus. Petrus Haznok Zomborinus.

Emericus Katona Ujfaluinus Baronius, ſenior XLIIX. anno 1597. in Octob. Rectore Academiae Ioh. Ieſſenio, Medico Electorali et Anatom. PP. Equite Hungaro, cooptatus eſt Moſes Wáſarhelinus.

Balthaſar Gombos Miſcolcinus, ſenior XLIX. anno 1598. in Maio Rect. Magnif. M. Ant. Euonymo, acceſſerunt: Paulus Geönzius D. P. Szegedinus. Petrus P. Aluinci. I. P. Szentpeterinus. Demetr. Nadasdius. Mich. T. Patainus. Thomas Barta Udvarheli Szilaginus. Chriſtoph. B. Decius I. F. Szepſius. Lucas Mercatoris Varadinus. St. Snobol Riuulinus. Stephanus Paſtoris Deſinus, Stephanus Fejer Dobronochinus, Mich. Sartoris Sziſzekinus. Io. Santa Ketskem tinus. St. Tonſoris Varadinus. St. C. Beltechinus. Bened. Nagy Nadasdinus. Io. Hunior Viſolinus Mich. P. Varadinus Major.

Ioannes S. Ketskemetinus, ſenior L. An. 1603. in Nov. Prorect Erneſto Hettenbach.

Mich. S. Sziſzekinus, ſenior LI. An. 1604. in Mart. Prorect. Ad. Ph. Sib. Leonh. Hutt. Io. Zangero. Dan. Sennerto. Emericus R. Ketskemetinus. Andreas Fogas Debrecinus.

Gregor. F. Waradinus, ſenior LII. An. 1607. in Aug. Rectore Bartholom. Reusnero I. V. D. Steph. D. Debrecinus. St. L. Miskolczinus. Mich. L. Szepſinus. Petr. Sz. Beſzermeninus. Io. K. Budaeus. Mich. P. Focteöinus. Mart. S. Totfaluinus. St. M. Megyerinus. Ioan. D. Keſerwi. Gab. P. Szenthſimonius.

Stephanus Lucius Miskolczinus, ſenior LIII. Anno 1608. in Mart. R. Tobia Tandelero M. D. Mat-

Digitized by Google

dicinae Aegyptiacis differentem, pag. 12. de Noſtro, anno 1756. retuliſſe legimus. Quantus a reditu in Patriam coeperit illico Forgachius bonarum litterarum litteratorumque fieri aeſtimator, ſolo *Iuſti Lipſii* liceat hic euincere teſtimonio, *Epiſtola* ſcilicet *ad Michaëlem Forgatz liberum Baronem de Gimes in Hungariam Nonis Iuniis an.* 1589. exarata, Cent. II. Epiſt. LXXXI. edit. Veſal. an. 1675. in 8. quae quia ſingularibus referta eſt encomiis, et lectu perquam iucundiſſima, placebit hic eam integram repetere: „. Amanter valde me prouocas ad „ ſcribendum pariter ac amandum, quis tu es? „ ignotus mihi, immo notus, vel ex vna „ Epiſtola iſta, in qua faciem video pulcerri„ mae mentis. Etiamne iſte veſter remotus „ et vere Martialis tractus educat ac profert „ Palladias iſtas proles? gratulor tibi hanc in„ dolem, te Patriae; quae profecto praeſi„ dium grande et lumen exſpectat ab eiusmo„ di alumno. Quodſi hanc directam ad lau-

„ dem

Matthaeus L. Szepſinus. St. S. Szikſzai. Io. Buzás Ketskemethi.

Matthaeus Latzkó Szepſinus, ſenior LIV. An. 1608. in Aug. Rect. Frider. Taubmano, Poëta C. et bonar. Litter. P. P. et An. 1609. in Ian. Rect. Acad. Io. Forſtero, Theol. et in Iul. Rect. Luc. Beckmanno I. V. D. hi ſua inſcripſerunt nomina: Ioannes Hajtó Fegyverneki. Stephanus Kernyeinus. St. Bankotanus. Mich. Karaztelekinus. St. S. Szepſinus. Petrus C. Borſzaſinus. Iacobus Varadinus.

„ dem, et virtutem viam plerique e tua claſ-
„ ſe ingredi vellent, quid Europa beatius,
„ quae nunc iacet miſera, vndique telis con-
„ fixa ciuilium turbarum. Sed reſurget pro-
„ fecto aliquando (et ea certa ſpes me tenet)
„ eiusmodi adminiculis et fulcris. Tu perge,
„ et te litterarum ac ſapientiae ſtudiis primum,
„ mox Patriae trade: palam facturus quantum
„ inter doctos cultosque Nobiles, et iſtos,
„ qui nihil lucis habent, niſi a luce maiorum.
„ Meam quidem amicitiam quod appetis, ita
„ cupide offero, vt ipſe propior appetenti
„ ſim, et in tempore oſtendam. Lucubratio-
„ nibus noſtris quod delectari te ſcribis, vti-
„ nam et iuuari! ſpero tamen id facturum
„ opus, quod nunc edo, in quo Principem
„ formo, et eos, qui ad gubernacula rerum
„ admouentur. Laborioſe mihi opus ſcriptum
„ fateor, ſed vobis, vobis, non huic vulgo,
„ qui nec capiet, nec ſi capiat, fructum fa-
„ ciat in praeceptis, quae nihil ad ipſum.
„ Regendi imperandique munus vobis conue-
„ nit, *plebi obſequii gloria* vt ille inquit, *re-*
„ *licta eſt.* Nobiliſſime Baro, vale. Nonis
„ Iuniis CIↃ IↃ LXXXIX." Non profanis
dumtaxat doctrinis, inſignique linguarum grae-
cae et latinae notitia egregie inſtructum, ſed
ſacrarum in primis litterarum ſtudio plurimum
fuiſſe delectatum, luculentiſſimos B. Io. Cal-
vini Inſtitutionis Chriſtianae Libros ad vnguem
tenuiſſe, aliaque ſelectiſſima interpretum diui-
norum oraculorum Scripta nocturna diurnaque
ver-

Digitized by Google

verſauiſſe manu, *Petrus Pazman* S. R. E. Cardinalis in Epiſtola nuncupatoria, Libro contra Nic. Gyarmatium, Helmetzienſium eccleſiaſten, *de Cultu Sanctorum et eorum pro nobis intercesſione* ſcripto, et Graecii anno 1617. edito, praefixa teſtis eſt. Rev. vero *Io. Molnarium* nonne pientiſſimi Viri huius Manibus iniurium forte ob id pronunciaueris, quod ex laudato Pazmano l. c. in Libro quopiam eriſtico, lingua hungarica exarato, et Tirnav. an. 1763. foliis quadrantibus promulgato, de exitu vitae Forgachii Noſtri pag. 12. retulit? verum noſtra haud intereſt, cui demum hominum coetui Heroas eximii nominis pro lubitu a morte adgregaueris. *Michaëlem* hunc cum Medicis aetate ſua celebrioribus litterarium exercuiſſe commercium, dubium vix eſſe poteſt: proſtat inter Epiſtolas *Valentis Acidalii*, acerrimi Critici, et Medicinae Doctoris experientiſſimi, a Chriſtiano Acidalio, fratre, Hanov. an. 1606. editas, vna *ad Michaëlem Forgazium, Baronem Gimeſii*, Patauium, vbi percipiendi ſtudii forte medici cauſſa commorabatur anno 1592. amice exarata, in qua Acidalius cum Noſtro agit in primis *de Iordano Bruno Nolano*, qui totum Philoſophiae circulum mutare, et Philoſophiam nouam, eamque abſtruſam dare annisus eſt; ipſa ſcribentis ad Forgachium placebit in hanc rem extundere verba: *Quaero etiam vnum; Iordanus Brunus, is quem Vitebergae noſti, Nolanus Bataui nunc apud vos viuere, et docere dicitur. Itane eſt? et quid hoc hominis*

in Italia audet, ex qua, vt olim fatebatur, exſul abiit; miror, miror, nec rumori adhuc fidem habeo, et ſi ipſum a fide digniſſimis. Tu me docebis, et aut certum aut falſum facies, etc. Dolemus Reſponſorias Noſtri ad Acidalium litteras non eſſe aeque publicatas, ſicut et illas, quas vel ad Iuſtum Lipſium, aut alios Viros eruditos exarauerat. Forgatſianae huius Epiſtolae *Iac. Bruckerum* quoque in Hiſtor. Philoſoph. critic. edit. Latin. Tom. IV. part. II. Libr. I. cap. 2. pag. 26. paucis commeminiſſe animadvertimus.

Franciſci Forgáts vero, Metropolitae Strigonienſis, et Cardinalis, quanta fuerit eruditio, et quae in Hungariam merita notius eſt, quam vt pluribus ediſſeramus verbis, ab eo profecta eſſe accepimus 1.) *Decreta Synodi Prouincialis a ſe Tyrnauiam an.* 1611. *conuocatae typis edita*, Rituali Strigonienſi iuſſu Petri Pazmany an. 1626. adnexa, mox a Peterſio Sacror. Concil. R. Hungar. Part. II. repetita. 2.) *De compeſcenda Haereticorum petulantia*, et nonnulli alii Libri polemici manu exarati: aſt ne quid diſſimulemus, *Proteſtationem aduerſus quaedam Pacificationis Viennenſis capita*, a Car. Peterſio l. c. pag. 191. Noſtro attributam Rotarides fictam eſſe euincere conatur in Lineament. Hiſtor. Hungar. Litter. Alton. an. 1745. in 4. editis. *Alter Franciſcus Forgáts* Nicolai ad Mohacſium caeſi filius, Praeſul infulatus Varadienſis, reliquit nobis 1.) *Orationem funebrem in obitum Ferdinandi I.* in Collectionis Schardianae Tom. I. pag. 349. ſeqq. obuiam. 2.) *Deſcrip-*

tionem Caſtri Szigethi, et eiusdem obſidionis an. 1576. Syndromo Rer. Turcico-Pannonicarum num. 19. inſertam. 3.) *Commentarius ſui temporis* Hiſtoricus, Res Hungariae et Tranſilu. Lib. XII. comprehenſus, numquam tamen, quod ſciam, publici iuris factus, auctor Franciſcus Forgach adpellatur *Clariſſimus Hiſtoricus* in Hiſtoria MSct. Imp. Matthiae Regis Hungar. ab Ill. Kollario in Supplemen. ad Lambecii Commentar. Libr. I. pag. 699. excitata. *Simon Forgáts* Comitis Nicolai Zrini Libellum *De Diſciplina militari recte inter Hungaros inſtituenda*, praemiſſa erudita Diſſertatione Franciſco Rakotzio inſcripſit, et ſub hoc titulo: Symbolum Ill. D. Comitis Nic. Zrini. *Nemo impune laceſſit*, an. 1705. in 12. abſque indicio loci foras edidit.

Sed Comes *Adamus Forgach*, Sigiſmundi filius, Pincernarum Regalium Magiſter, Iudex Curiae Regiae, et Supremus exercitus Hungarici Dux, meruit omnium maxime noſtram adtentionem, cui ſedem ſatis honorificam in hoc Articulo ob id a nobis adſignatam vides, quod *Alchemiam* is non vexatiſſimam illam omni aeuo *transmutatoriam*, dictam *chryſopeiam*, ſed veri nominis *metallurgicam*, atque *ſpagiricam*, haud primis tantum labiis deguſtaverit: integrum enim, vt ex vngue leonem, de fixatione Mercurii inſtituiſſe Proceſſum Chemicum ex *D. Ioan. Junckeri Conſpectu Chemiae Theoretico-Practicae*, Hal. Magdeb. an. 1730. in 4. edito p. 993. cognoſcitur: quam Mercurii fixationem cum

G 2 oleo

oleo vitrioli ex mente Comitis Forgatſii inſtituendam, ſicut et vitriolica imbibitione frequenti ac digeſtione, adiectis nobilium metallorum calcibus, ad metallicam mixtionem aptiorem reddendam, facta honorifica nominis Forgatſiani mentione, vberius iam ante ediſſeruiſſe legimus *Io. Ioach. Becherum* in Libro, cui talem fecit titulum: *Experimentum nouum ac curioſum de Minera arenaria perpetua, ſeu Prodromus Hiſtoriae, ſiue Propoſitionis Praep. D. D. Hollandiae ordinibus factae circa auri extractionem mediante arena littorali per modum minerae perpetuae* etc. Francof. an. 1680. in 8. Laudatiſſimus ſcilicet artis hic ſpagyricae Magiſter Becherus de Minera arenaria perpetua ſcribens, poſteaquam nonnullorum Aurigeram mineram adduxiſſet, Caneparii experimento haec pag. 871. adiecit: „ Si quis tamen huius proceſſus „ fundamentum, ſive rudimentum potius ſcire „ deſideret, is Experimentum elaboret, quod „ olim ab Hungaro quodam Comite et Magnate Phylo-Chymico *Forgáts Adám* nomine „ Regni Hungariae Generali accepi, probaui, „ et verum inueni, vel hoc ſolo nomine commendabile, quod nihil de Argento in hoc „ Proceſſu amittatur; tamen ſemper aliquid „ Auri acquiratur. An vero cum quolibet Vitriolo ſuccedat, neſcio, quare etiam negotium non perſecutus ſum: tantam enim vitriolorum varietatem obſeruaui, ut de Proceſſibus, qui vitriolum pro baſi habent, „ nunquam idem, et certus effectus ſponderi

„ poſſit,

„ poſſit, ſunt namque vitriola, quorum oleum „ iam actuale aurum in ſe continet, ut demonſtrari poteſt; praeſertim in Hungarico. In „ hoc igitur Proceſſu *Forgatſiano* Vitriolum „ Hungaricum ſumitur, calcinatur ad rubedi„ nem, affunditur acetum terve quater, deſtil„ latum extrahitur Eſſentia vitrioli, decanta„ tur, extractio filtratur, et evaporatur ad „ conſiſtentiam rubri Syrupi, cuius ſumuntur „ tres Vntiae, cinabrii quinque uncias, bene „ commixta humectantur aqua ſalis armoniaci, „ exſiccantur lente, et hoc repetitum terve, „ quater, tunc miſcetur aequali pondere cal„ cis Lunae, deſtillatur per retortam, quod „ remanet, fulminatur in Cupella per Satur„ num, et ſeparatur in aqua forti. Poteſt „ etiam haec maſſa vitrioli et Cinabrii ſucceſ„ ſive in argentum fuſum iniici, ſequitur idem „ effectus, ſed perditur Mercurius, qui ex „ hoc labore non eſt contemnendus." *Haec de Forgatſio Becherus.* Super hoc Comitis Adami Forgátſii Proceſſu chemico interrogatus verſatiſſimus in vniuerſa Alchemia Patriae Medicus, D* G* ita ſuam nobis mentem in litteris reſponſoriis anni currentis 1779. d. 18. Iul. Iaurino datis candide aperuit: „ Az mi Grof „ Forgáts Adámnak experimentumát illeti, azt „ mondhatom. hogy ez a' Proceſſus particu„ laris maturatio Lunae. Igaz az, hogy min„ denik metallumnak egy eredete vagyon in „ ortu, ſed diuerſa fiunt propter immaturita„ tem et hetaerogenea ſulphura. Luna proxi-

 me

„ me accedit ad maturitatem auri, aquoſum
„ elementum ſi ei adimatur et reſuſcitata plus
„ vltra maturetur, ſine dubio in aurum con-
„ creſcet. Sed ante mortem nulla fit reſur-
„ rectio; ſpiritus eſt vita, ſi iſte igne elemen-
„ tari tractatur, ad auras redit, vnde venit,
„ niſi ſit fixatus (qui elementari quocunque
„ igni reſiſtit:) moritur quidem, ſed non re-
„ viuiſcit Lunae corpus; idem contingit in
„ Forgatſiano Proceſſu: aurum in vitriolo la-
„ tens eſt corpus inuincibile, retinet ſpiritum
„ in omni ignis gradu, ſed mortuum corpus
„ per ignobiliora mineralia non reſuſcitatur, vt
„ mineram conſtituat viuentem operoſam, ergo
„ non niſi latens aurum in vitriolo reproduci-
„ tur per Proceſſum Forgatſianum, ideo nihil
„ amittitur ex Luna. Talibus experimentis
„ Chymicis non delector. Natura eſt ſimplex,
„ ſine qua nihil fit, quod fit; ex ſimplici me-
„ chaniſmo per naturam et artem ex unita
„ materia catholica quatuor elementorum fit
„ vna res auro fixior, quae corpus vocatur
„ ☿iale, quod debet ſolui per id, ex quo
„ factum eſt, eodem tempore ſpiritus coagu-
„ latur, quando corpus ſoluitur. Ita conuer-
„ tuntur elementa magno et —. —. labore: ſed
„ in iſto labore fit mors, regeneratio, et re-
„ ſurrectio, quia ſpiritus clarificato in corpo-
„ re ſpirituali iam eſt immortalis, ideo eſſen-
„ tia elementorum reproducitur, quae eſt
„ ignis aeternus, comburens, enecans, et
„ reſuſcitans, atque maturans omnia metalla

„ im-

Digitized by Google

„ imperfecta ſecundum ſemen Solis vel Lunae.
„ Henricus Kunrad in Amphitheatro aeternae
„ ſapientiae audet ſcribere *Lapidem Philoſopho-*
„ *rum* eſſe Ruach Elohim, quid mirum, ſi ♌
„ Domini, qui repleuit orbem terrarum, ſit
„ vita omnium creaturarum: ideo Artem vo-
„ cat ſacratiſſimam. Quidquid creatum eſt prae-
„ ter Lucem, ex tenebris creatum eſt, et
„ conſtituit coelum firmamentale et terram,
„ ſiue elementa quatuor, haec ſunt mutabilia,
„ ergo ex rebus mutabilibus non fit iſte ſpiri-
„ tus, licet in illis exiſtat operando: ſpiritus
„ enim immutabilis eſt in omnibus, in eo vi-
„ vimus, morimur et ſumus: quicunque igitur
„ ex rebus elementaribus in Regno Aſtrali,
„ vegetabili, animali, vel minerali conantur
„ Lapidem conficere, ſunt Pſeudo-Philoſophi.
„ Piſciculus Echineus in mari vaſto verſans
„ magnetis ope capiendus eſt; haec eſt ma-
„ teria Philoſophorum; quae ope diuinae gra-
„ tiae per Philoſophum ita praeparatur, vt
„ corpus formet terrenum, virgineum, quod
„ ☿ audit, in quo omne exiſtit, quod quae-
„ runt Sapientes, nihil ei accedit, niſi ſuper-
„ fluum adimatur, coquatur igne philoſophico,
„ et maturetur in eodem vaſe etc." Tantum de Forgacſio Chemico. Reliquorum, qui ſe ex gente Forgatſia edito publico eruditionis ſpecimine litterario notos reddiderunt, nunc iam non ſuccurunt nomina: *Nicolaum* et *Paulum* dumtaxat, tribus hic commemorabimus verbis, quorum hic, poſteaquam Romae ſapientiae,

Digitized by Google

iuris tam ciuilis quam eccleſiaſtici, ac ſacrarum praeſertim litterarum ſtudia coluerat, Iuuenis admodum ante ſeptennium in Collegium Canonicorum Eccleſiae Varadienſis adſumtus, et iam Archidiaconi et Abbatis titulos certo praeludio maiorum dignitatum conſecutus eſt, ad quas per quosdam quaſi gradus ſola virtutis commendatione aſcenſurum firmiter confidimus; artificium in primis, idque prorſus Diuinum in concentu muſico, fidium potiſſimum, quo excellit, in eo maximopere vniuerſi admiramur. *Nicolaus* vero *Forgáts*, inſtituta prius per Italiam, Heluetiam, Galliam, Belgium, Angliam et totam Germaniam peregrinatione litteraria, ſingulas politiſſimarum in Europa nationum linguas praecipuo quodam excoluit ſtudio, vt verbo rem expediam, parta domi foriſque multiiuga eruditione, eaque prorſus ſingulari, Reipublicae Hungaricae commodis coepit, magno inſeruire emolumento, et ſupremi Comitis dignitatem nouiſſime indeptus, inſigni prudentia et rerum agendarum dexteritate Comitatum Nitrienſem iam iam adminiſtrat. Addamus: Inſigne Gentis Forgachianae heraldicum Cupro inciſum inter Inſignia Illuſtr. Comitum R. Hungar. num. IX. Ioannem Burgſtallerum Poſonienſium Conſulem iam exhibuiſſe.

ARTI-

ARTICVLVS XIV.

Francisci (*Paullus*) Lucem is Coronae in Tranſiluania adſpexit, ac mature a parentibus ad litteras combibendas admotus, in patrio gymnaſio humaniores diſciplinas, ac philoſophiam haud vulgari progreſſu perdidicit. Altdorfinam in Academiam profectus, totum ſe ad Medicinam conuertit, et ita excellens in arte illa diuina excolenda adparuit, vt Anno 1678. ſummis in Medicina decoraretur honoribus, et labentibus annis poliater Vunſidelenſis renunciaretur: Dum munus hoc in Germania ea, qua decebat, ſedulitate annis, plusculis obiuiſſet, eum fama nominis in patriam reuocauit, vt patriae potius quam exteris operam ſuam ac medendi peritiam impenderet. Coronam itaque redux Noſter, academicis honoribus rite inſignitus, Medicinae faciundae prouinciam inter ciues ſuos ſuſcepit, qua egregie perfunctus, vitam ſuam in patria ciuitate clauſit caelibem.

OPERA.

1) Diſput. inaug. med. *De Paralyſi ex Colica*, Altdorf. anno 1678. in 4. plag. 2. Non niſi tantum opellae huic ſtatuendum eſt pretium, quantum academicis huiuscemodi exercitationibus vt plurimum conſueuit.

2) *Memorabilia aliquot Tranſiluaniae*. Praeſide M. Ioanne Franciſci, Corona - Tranſiluani,

 Resp.

Resp. Thoma Scharſio Medienſi, 16. Apr. Vitteb. an. 1690. in 4. Lapſus eſt Rev. *Bodius in Athen. Hungar.* pag. 88 quod Ioanni Franciſci, qui Medicus fuit numquam, tribuat Diſſertationem Medicam de Paralyſi ex Colica Num. I. adductam, quae Fratrem eius Medicum, Paullum Franciſci noſtrum, agnoſcit auctorem. Clar. *Horanyus*, Czvittingerum ſecutus, recte quidem Medicum nominat Paullum, ſed et ipſe Paullum cum Ioanne confundit, quando opellae de Memorabilibus aliquot Tranſiluaniae auctorem conſtituit Paullum: ex his enatus eſt error Rev. *Ioſephi Benkö quoque in Tranſilvania orbi nondum ſatis cognita*, Tom. II. pag. 426. quod is Ioannem Franciſci Medicinae honoribus mactatum fuiſſe pronunciarit. Index Bibliothecae Schmeizelianae Agnethlerianus pag. 11. editus Halae Magdeb. an. 1751. in 8. *Memorabilia Tranſiluaniae* recte ſane ad Ioannem Franciſci, vt auctorem, retulerit. Ceteras Ioannis Franciſci diſſertatiunculas, ſub aliorum praeſidio habitas, conſulto praeterimus, vtpote nec argumenti Medici, nec a Medico profectas.

ARTICVLVS XV.

Friedel (*M. Ioannes*) Primam mundi lucem Poſonii adſpexit ibidem in patrio gymnaſio eruditus, et academicis ſtudiis maturus factus, exteras Muſarum ſedes adire induxit in animum, Vitte-

Vittebergae in primis commoratus ſublimioribus ſcientiis operam impendit, et mox anno 1666. die 5ta Martii ritu ſollemni Decano facultatis Strauchio ſummis in Medicina ornatus eſt honoribus, et vt Facultatis medicae Adiunctus publicas in docenda arte ſalutari aperuit Scholas, et varias luci publicae expoſuit opellas. Gentile vero poſteaquam ſolum cum Saxonico commutaſſet, in Lib. Regiaque Ciuitate Eperieſienſi ſubſtitit, ibidem artem ſalutarem in magno hominum vndique affluentium concurſu ad vltimos vſque vitae dies feliciter exercuit, ita de Friedelio noſtro olim cecinit in *Memoria Medicorum Thorunienſium Iacobus Zablerus*, Pannonius, Gymnaſii Profeſſor, V. 691. ſeqq.

FragarI, lentae quod profluit vnda Toriſſae,
Illuſtres vbi Gymnaſium tenuere Camoenae,
Inuidiam potuit dentemque laceſſere Momi
Friedelius: ſic ille Luem compeſcere norat,
Impete quae vario teneros deiecerat artus.

OPERA.

1) Diſput. inaug. medica Praeſ. Conr. Vict. Schneidero. *De Angina.* Vitteb. an. 1666. in 4.

2) Diſſert. medica Reſpond. Martino Külſchio Tranſilv. *De Hydrope.* Vitteb. an. 1668. in 4. ex officina Fincelliana. Inſcripta eſt Sereniſſimi Principis Tranſiluaniae, Michaëlis Apafi,

Digitized by Google

Apaſi, honoribus ſic: Sereniſſimo, potentiſſimo, celſiſſimoque Principi ac Domino Michaëli Apaſi, Tranſiluaniae ac ſuperiorum Partium Hungariae Principi, Siculorum Comiti etc. Principi Opt. Max. Pio, Felici, Augusto. Poſt prooemium ponitur *Caſus Practicus* cum *Solutione* Capit. XV. comprehenſa, quorum lemmata ita habent: Caput I. *Etymologiam explicat.* Caput II. *Definitionem et genus complectitur.* Caput III. *Subiectum proponit.* Caput IV. *Cauſam primariam indicat.* Caput V. *Cauſſas ſecundarias complectitur.* Caput VI. *Differentias Hydropis explicat.* Caput VII. *Signa diagnoſtica complectitur.* Caput VIII. *Signa Prognoſtica includit.* Caput IX. *Curationem inuoluit.* Caput X. *Medicamenta diuretica complectitur.* Caput XI. *Sudorifera exhibet.* Caput XII. *Medicamenta roborantia exponit.* Caput XIII. *Medicamenta externa exhibens.* Caput XIV. *Venae ſectionem, et Paracentheſin inuoluit.* Caput XV. *Diaetam proponit.* Tum ſubiiciuntur Corollaria numero VII. poſtea ſequuntur adplauſus: Conradi Victoris Schneideri, Io. Deutſchmann, Io. Strauch, Praeſidis, M. Georg. Wagneri, M. Ierem. Deutſchmann, M. Mülleri, M. Petri Stamm, Michaël. Clauſenburgeri, Andreae Henning, Ioh. Ieremiae, Martini Maurer, Io. Schulleri, Io. Marthii: quorum ſex poſtremi Tranſiluani fuerunt.

3)

3) Diſputat. Medica *De Pleuritide*, Praeſide *Ioanne Fridelio*, Poſonio-Hungaro, Philoſophiae et Medicinae Doctore celeberrimo etc. Vittebergae in 4. ſine die et conſule, plag. 7. Auctor Reſpondens idem *Martinus Kolſchius*, Segesuaria-Tranſiluanus, dedicavit Diſputationem ſuam Magiſtratui Segesuarienſi et Patri ſuo Stephano Matthiae. Poſt Prooemium proponit Auctor *Caſum practicum*, cui Solutio ſubiungitur XIV. pertractata Capitibus, quorum haec ſunt lemmata: Caput I. *Onomatologiam conſiderat.* Cap. II. *Definitionem realem explicat.* Cap. III. *Subiectum ſeu Partem adfectam declarat.* Cap. IV. *Cauſſas rimatur.* Cap. V. *Cauſſas externas indagat.* Cap. VI. *Cauſſas Symptomatum perueſtigat.* Cap. VII. *De Differentia agit.* Cap. VIII. *Signa diagnoſtica aperit.* Cap. IX. *Prognoſtica explicat.* Cap. X. *Indicationem ſiſtit.* Cap. XI. *Venae ſectionem ſuadet.* Cap. XII. *Pharmacoeiam exhibet.* Cap. XIII. *Medicamenta ſpecifica comprehendens.* Cap. XIV. *Diaetam exhibens.* Tum ſubiiciuntur Adplauſus popularium: Michaëlis Clauſenburgeri, Io. Schindleri, Mich. Gundeſch, Georgii Berndorffii, Io. Greiffingii, Georg. Kolbii, Mart. Maurer, Io. Schülleri, Io. Marthii, et Ioan. Gokeſch: quorum alii Theotiſco, alii Latino ſermone officium teſtati.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS XVI.

Gazivs (*Antonius*) Bene doctum hunc, vſuque praeſtantiſſimum Medicum Mercklinus in Lindenio Renov. pag. 70. Patauinum fuiſſe comminiſcitur, ſed Ariſius rectius in Cremona Litterata Tom. I. pag. 169. ſeq. Cremonam natale ſolum ei attribuit, ſingularibusque cumulat encomiis. Quum diu multumque per varias Europae Provincias circumeundo medicinam paſſim factitaſſet, noſtram quoque, ſed iam provecta aetate, intrauit Hungariam: hic arte ſua, quam profitebatur, medica eum Nobiliorum Patriae vtriusque ſexus ciuium ſibi conciliauit Fauorem, ut nouiſſime ab ipſis quoque Regni Primoribus aeſtimaretur plurimum. Sic dum arte ſua ſalutari paſſim in oris hisce noſtris, annis pluribus egregie fungeretur, a Ioanne Turſone de Bethlehemfalua, Comite Scepuſienſi, Cracouiam primariam ea aetate regni Polonici Ciuitatem, perductus, Sigismundum Seniorem, Regem, grauiſſimo eoque paene deſperato morbo detentum, adhibito celeri facilique remedio, vitae periculo exemit. Quo perpetrato egregio facinore eum Regis et vniuerſi populi conſecutus eſt fauorem, ut ad extremos uſque vitae ſuae dies vario beneficiorum genere cumulatus, ibidem detineretur, an. 1528. mortalitate interceptus.

OPERA.

Digitized by Google

OPERA.

1.) *De Vino et Cereuiſia tractatio.* In Regia Poloniae Cracouia, apud Hieron. Vietorem an. 1539. in 4. mai. Exiguum huncce libellum Nobilium quorumdam commodo conſcriptum, auctore e vita hac iam egreſſo, filius nomine Simon, aeque Medicus non inceleber adſiduus itinerum, ſtudiorumque, atque laborum ſocius in lucem publicam emiſit. Iterata eſt editio Auguſtae 1546. 8. et Patauii an. 1549. in 8.

2.) *Florida Corona, quae ad ſanitatis hominum conſeruationem ac longaeuam vitam perducendam ſunt pernecеſſaria, continens.* Venet. an. 1491. in fol. Lugduni an. 1514. in. 4. ibidem an. 1539. in 8.

3.) *Aerarium Sanitatis.* Auguſtae an. 1546. 8. Patavii, an. 1549. in 8. Keſtner in Medicinifches Gelehrten-Lexicon pag. 335. opinatur eundem prorſus eſſe Librum hunc cum priore, quippe qui ſub diuerſis in fronte notatis titulis in lucem publicam emiſſus.

4.) *De Somno et Vigilia Libellus.* Exſtat cum Conſtant. Aphricani Operibus. Baſil. an. 1539. in fol.

5.) *Quo medicamentorum genere purgationes fieri debeant*, ſive *de Ratione euacuandi Libellus.* Baſil. an. 1541. in fol. nec non ibidem cum aliis Albucaſae et Catalani opuſculis an. 1565. in 8.

ARTI-

ARTICVLVS XVII.

Geyger (Daniel) Roſenhemii in Bauaria, oppido ad Oenum ſito, d. 8. Octobr. an. 1595. patre *Ioanne Iacobo Geygero*, celebri chirurgo, oppidique Senatore, deinde circa annum 1606. reipublicae Auguſtanae Lithotomo ordinario, matre vero *Catharina Iacobina*, Ioannis Iacobi Senatoris et chirurgi Roſenheimenſis Filia, in hanc mundi lucem editus eſt: puer X filiorum et totidem filiarum viuentium natu minimus a Patre Monachium in Scholam exmiſſus, tantum ibidem et mox *Auguſtae Vindelicorum* atque Memmingae in humanioribus Litteris profecit, vt comparandae vberioris eruditionis cauſſa *Tubingam* profectus an. 1614. circa feſtum Paſchatis, Baccalaurei; ſequente vero 1615. Magiſtri in Philoſophia gradum ſollemni ritu conſequeretur. Domum ad patrios lares reuerſus, et mox ad patruum *Tobiam Geygerum*, Philos. Medicinae et Chirurgiae Doctorem, Ducis Bauariae Medicum aulicum, celeberrimumque chirurgum digreſſus, illius inſtitutionibus medicis et chirurgicis biennii ſpatio vſus, in *Argentinenſem* ſtudiorum Vniuerſitatem, deinde *Patauinam* commigrauit, atque heic loci an. 1618. Die 16. Maji conſuetos Doctoris in vtraque Medicina honores accepit, denuo *Monachii* duce patruo ſtatim commemorato praxim chirurgicam ſolerter vſque ad annum 1622. exercuit, tum Auguſtae Vindelicorum Collegio Medicorum adgregatus totum exercendae arti ſalutari

lutari

lutari ſe dedidit, atque cum *Vrſula Schwabia*, vidua, et ſterili femina, prima celebrauit ſponſalia. At anno 1629. exercitio Religionis, quam profeſſus eſt, Auguſtae Vindelicorum interdicto, cum domeſticis Hungariam ingreſſus, *Poſonii* ſedem exercendae praxeos medicae ſelegit, vbi eam in magna Ciuium undique accurrentium celebritate annis XXVIII. integris agitauit, trium Regni Principum Palatinorum, et Rom. Ecl. Cardinalis *Petri Pazmáni*, aliorumque Regni Magnatum, archiater cum annuo ſtipendio conſtitutus, et nouiſſime a *Ferdinando III.* Imp. et Rege noſtro Nobilitatis Hungariae Inſignibus atque Priuilegiis auctus eſt, nominis celebritate id quoque conſecutus, vt in *Bohemiam*, *Auſtriam*, *Styriam*, *Morauiam*, ad varios prouinciarum Proceres ſaepius, *Viennam* vero ad *Eleonoram Gonzagam*, *Imp Ferdinandi II. viduam*, valetudinis tutandae cauſſa quater *Poſonio* evocaretur. Vir hic frugi atque integer extremis vitae ſuae annis, anno ſcilicet 1657. paſſus eſt ab Amicis ſe in id adduci, ut relicto *Poſonio*, *Ratisbonam*, priſtinam habitationis ſuae ſedem, vna cum integra familia ſua reuerteret, ibique, vix exacto quinquennii ſpatio, cepit cum variis morborum generibus confli̇ctari, et mox omnibus exhauſtus corporis viribus, an. 1664. die 14. Februarii dum ſeptuageſimum aetatis numeraret, mortalitatis vinculis ſolutus eſt, nactusque laudatorem funebrem *M. Io. Georg. Haettelium*, ſacrorum adminiſtratorem Ratisbonenſem, qui

ſata quoque et res geſtas lugubri ſermone expoſuerat. ex hoc ea, quae ad notitiam vitae excellentiſſimi Medici noſtri pertinere viſa ſunt, depromſit *Vitte* in *Diario ſuo Biographico*, et *Freherus in Theatro Virorum eruditione clarorum* Part III. pag. 1394 ſeq. qui Effigiem quoque Viri huius docti affabre ſculptam ibi exprimendam curauit, reliquas vero a diuerſis artificibus aeri inciſas cum adnexis hypographis *Moehſenius* ſtudioſe collegit, et in Catalogo Iconum Clariſſ. Medicorum pag. 48. Berol. an. 1771. in 4. edit. exhibuit, prima illarum hoc notata eſt lemate: *Daniel Geyger, A. Phil. Med. et Chirurg. D. Sereniſſ. Palatini ac Procerum Regni Hung. p. t. Medicus*, aetat. 53. *Flumina*, *Saxa etc.* Amiſſa per mortem prima uxore ter *Noſtrum* repetiiſſe Poſonii Matrimonium in laudato *Freheri Theatro* diſerte legitur, et non niſi ESAZAS, filius, ex *Catharina Margaretha Waldmannia* die 6. Nov. an. 1646. Poſonii ſuſceptus, meruit hic a nobis praeprimis commemorari, qui actis Ienae ſtudiis peregrinatus eſt per Germaniam, Belgium, Angliam, Galliam, et Italiam, Patavii an. 1670. ſummos Doctoris Medicinae honores indeptus, anno 1672. ciuitatis *Suhlenſis* Ordinarius Phyſicus conſtitutus, vnde Smalcaldiam profectus anno 1676. ibidem mox an. 1690. poliater factus, anno vero 1697. archiater Haſſo-Caſſelanus renunciatus, viventium numero die 26. Ianuarii anno 1719. exemptus eſt. Actam Medici huius praeſtantiſſimi

tiſſimi vitam pluribus verbis *Leporinum* expoſuiſſe nouimus.

OPERA.

1) *Reſponſum Medicum defenſiuum, de Morbo et Morte Cardinalis Vartembergici.* Auguſt. Vindelic. an. 1662. in 4.

2) Obſeruat. *De Foliis Quercus in aes transmumutatis.* Ephemeridibus Nat. Curioſ. Dec. I. an. VI. et VII. pag. 157. inſerta exſtat, quae in ordine CXIX. eſt.

Folia haec quercus in aes transformata *Eſaiam Geygerum*, Virum Naturae arcanorum optime gnarum, in patria ſua Hungaria ad oppidum Smölnitz e praeter labente riuulo collegiſſe, atque ad ſe Ienam exmiſiſſe Georg. Wolffg. Wedelius loco citato refert cum adiecta deſcriptione, quod illa quoad externam faciem foliis quercus, vt ouum ouo, deprehenderit quam ſimillima partim complicata, partim expanſa fibrulis, neruisque tam affabre expreſſis, vt naturae artificium vix ſatis mirari poſſis. Color aeris inſtar dilutior, ſubrubellus, pondus metallo conforme, ſonus leuiter percuſſorum tinniens, ex quibus ut et aliis natura Venerea emicat abunde, licet non purum aes, ſed immerſum particulis aliis eſſe perſpicuum ſit. Ipſas etiam *Geygeri noſtri Litteras*, quae foliorum quercus in aes transmutatorum erant ad Wedelium comites, hic adducere omni-

no iuuabit : *Aerea transmiſſa a nobis haec quercus folia natales debent Hungariae, et in ea riuulo percelebri ad oppidum Smolnitzium in prouincia Scepuſienſi non procul a monte Carpato ſito, qui quod ferrum corrodat, eiusque loco cuprum ſubſtituat, ſatis vbique notus eſt. Sic Florentiae quoque apud Cl. Stenonem me ſoleam equi Cupream vidiſſe memini, quae ferrea fuit. Iuxta hanc aquam ſitae ſunt quaedam quercus, quarum foliis autumni tempore forte fortuna in riuum hunc elapſis particulae Venereae, quibus totus ſcatet, ſe ſe mox agglomerant, inſtarque limi adhaerent; hae paruo temporis ſpatio tenuem foliorum ſubſtantiam rodendo conſumunt, ipſa vero maſſa ex nimia atomorum aggregatione denſata, ſi aëri ſicco vel ſoli exponatur, dureſcit, remanente forma delapſi folii, et ſic haec metamorphoſis accidit. Creditur huius aeris centenarius, auri ℥ xjj. continere.* Talia iam ante Geygerum noſtrum et Athan. Kircherum in Mundo ſuo ſubterr. et Wernerum de Admirand. Hungar. Aquis, nec non Thurnheiſerum de aq. miner. alios, fuiſſe paſſim in ſcriptis prolocutos, probe recordamur. At magis illud omnium ore teritur, quod idem Wedelius l. c. in Obſeruatione ſubſequenti CXX. de Ferri in cuprum mutatione commemorat hanc narrationi ſuae interſpergendo hiſtoriolam: Sereniſſ. ſcilicet Saxoniae Ducem Erneſtum, dum Ferrum in cuprum in Hungaria mutari non modo ex vulgi rumore, ſed

eru-

Digitized by Google

eruditorumque virorum teſtimoniis intellexiſſet, ſciendi cupidine ductum humaniſſimas ad Ill. Comitem Stephanum Tökölyium in Hungariam an. 1664. exarauiſſe litteras: reſpondiſſe vero Comitem Hungarum, periſſimum rerum naturalium indagatorem, Principi Saxoni teſtantur abunde Litterae non modo reſponſoriae, ſed exmiſſum quoque transmutati ferri in cuprum Specimen hodiedum in Muſeo Raritatum Saxo-Gothano adſeruari ſolitum, cum adnexa luculenta Deſcriptione, qualiter Ferrum in Oppido Hungariae montano Szomolnok vocato in cuprum mutari conſueuerit: 1) *Ferrum qualecumque ſit ſiue nouum ſiue antiquum artificialiter immittitur in profunditatem viſcerum terrae ad Centum vlnas, et ibi maceratur in aqua tam diu, donec reſoluitur in lutum, quod coagulatur inſtar argillae, poſthac in igne deſtillatur, et ſit purum cuprum.* 2) *Quod eſt craſſum ferrum inſtar cultri, ſicut ſolet fieri in fine maſſae ferri, illud intra ſpatium* 24. *horarum liqueſit, quod autem craſſius inſtar vnius digiti, vel duorum, illud intra ſpatium vnius menſis, et quandoque vnius cum dimidio.* 3) *Diminutio non vna obſeruatur, aliquando ex C. Centenariis ferri fiunt XC. Cupri, quandoque LXXX-IV-VI-VII.* Szomolnokienſibus his aquis vitriolatis multo celebriores cenſentur illae Neoſolienſes, in Valle Dominorum *Herrengrund* adpellato ſcaturientes, quae ligneis exceptae alueis ferrum iniectum in

aes commutare, et maiori quidem foenore creditur, de quibus praeter Iac. Tollium et Edwardum Brounium, duumuiros, notiſſimos in Hungaria itineratores omnium praeclariſſime, vt opinamur, Athanas. Kircherus in Mundo ſubterr. Amſtelod. an. 1678. in fol. edit. Tom. II. Libr. X. ſect. III. diſſeruit, per ipſos Schemnitzienſium et Neoſolienſium Metallifodinarum Praefectos Georgium Schützium et Io. Schappelmannum de natura et indole aquarum Hungariae vitriolatarum edoctus, vna cum transmiſſis ad Eum ex his oris Romam mutati ferri in cuprum variis ſpeciminibus, tentauit quippe eruditiſſimus Kircherus l. c. ſect. 4. cap. X. pag. 242. magnum illud inter Chemicos et metallurgos de ferri in aes transmutatione diſſidium ex principiis artis chemicae decidere, et licet poſteaquam ridiculam Paracelſi, eiusque ſequacium, veri nominis transmutationem ferri in cuprum perperam ſtatuentium ſententiam rite examinaſſet atque exploſiſſet, iucunda omnino ſunt, quae de Vitriolo, eiusque natura et efficace in Martem et Venerem actione genuina ipſaque metallorum hac metamorphoſi erudite, vt aſſolet, commentatus ſit, ſoli tamen Caſparo Neumanno, celebratiſſimo artis ſpagiricae Magiſtro, vt nobis quidem videtur, perennatura illa relicta eſt gloria, dum hanc ferri in cuprum transfigurationem omnium accuratiſſime explicuerit in Praelectionibus Chemicis

micis a Io. Chriſtian. Zimmermanno Berol. an. 1740. in 4. edit. Part. V. cap. 36. pag. 1825. ſeqq. Ita ſe rem habere accipito: Vitriolum, album illud terrae ſal, ab humore aqueo in viſceribus terrae ſolutum tamdiu per mineras cupri circumferri, quoad aqua haec vitriolica, particulis Venereis in tranſitu ſolutis adeo impraegnatur, vt colorem adſpectu viridem adquiſiuerit; adeoque aquam noſtram Szomolnokienſem atque Neoſolienſem, vulgo Cement - Waſſer dictam, nihil aliud eſſe, quam egregie ſaturatam Vitrioli Veneris ſolutionem in acido vitriolico factam. Et quia acidum hoc vitriolicum ingenita ſibi natura tam intime cum Venere vniri nequeat ac cum Marte conſueuit, hinc ſi ferrum quodcunque in eam aquam inieceris, acidum hoc vitriolicum aggreditur ferrum, atque illud ſoluit, et cuprum iam antea ſolutum praecipitando deponit in eum locum, quem ante ſolutionem ſuam ferrum occupauerat; et hoc tamdiu ita continuari iudicamus, quoad totum ferrum acido vitriolico ſolutum, et, vt ita dicam, ſinu ſuo ſenſim excuſſum fuerit, et in exeſas easdem ferri cellulas et poros, retenta priori ex aſſe forma, cuprum praecipitatum ac depoſitum fuerit. Ex his clariſſime perſpicitur nullam hic eſſe prorſus metalli vnius mutationem in alterius, nullam hic ferri in aes adeſſe transformationem, nullam, vt ita dicam, tranſſubſtantiationem;

nec ita vnice Szomolnokienſium et Neoſolienſium tantummodo Aquarum hanc eſſe ſingularem indolem ac efficaciam, vt a vulgo eruditorum creditur, quin, vt fontes in Hibernia Wiclowienſem, et in America Penſyluanienſem cupreos, in Transaction. Philoſoph. Anglic. Vol. XLVII. artic. 84. Vol. XLVIII. artic. 12. 28. et Vol. XLIX. artic. 13. Part. I. commemoratos taceam, idem vbicunque locorum etiam vltra extremam Thulen facile obtinere poſſis, dum modo in ſaturatam Vitrioli Veneris ſolutionem ferrum injeceris, ſoluetur in ea aeque illud in Lapponia perinde ac in Hungaria, et in locum eiusdem cuprum mole et forma eadem vbiuis gentium praecipitabitur ea quidem lege conſtanti, vt reſidua ſolutio ſuperſtes non amplius ſolutio Vitrioli Veneris, ſed ſolutio vitrioli Martis dicenda ſit, prouti ex inſtituenda, tentaminis gratia, cryſtalliſatione euidenter demonſtrabitur. Immo captum iam in hac re experimentum voto laudati Neumanni nuper Berolini reſpondiſſe in Chemia illius Medica dogmatica experimentali Tom. I. Part. III. pag. 223. a Chriſt. Henr. Keſſelio Zillichav. an. 1759. in 4. edita legimus aperte. Quo itaque naturae mechaniſmo ferrum in aes transformari conſueuerit, ex dictis luculenter ſane colligitur; at quo id ipſum modo in foliis quercus in adducto ſuperius ſpecimine contingere poſſit, res altioris forte videbitur eſſe indagi-

daginis? An etiam Quercum viribus martialibus impraegnatam eſſe adfirmabimus? Sic vtique nobis vero ſimiliter videtur: ex ſententia enim Myſtarum naturae, et celebratiſſimi in primis Neumanni, a laudato ſuperius Zimmermanno editi, Part. V. cap. XVII. terram martialem, ita dictam ferriferam, non modo Regnum Lapideum ſuppeditare vtraquam crederes abundantiſſime, ſed regnum quoque vegetabile, ligna ſcilicet cuiusuis generis, eorum cortices, folia, et reliquae partes, quae ſtypticae potiſſimum ſunt efficaciae, vt ſaluia, cortex granatorum, flores balauſtiorum, et quae de quercino praeprimis nata ſunt genere; immo etiam, quod ſummam mirere Dei ſapientiam, vniuerſum regnum animale particulis martialibus quodam modo impraegnatum eſſe eo argumento, quod omnia dum vegetabilia, quibus animalia veſcuntur, ex terra martialibus particulis abunde mirum in modum impraegnata naſcantur, tunc particulas ferriferas beneficio naturae reſolutas cum humoribus animalium commiſceri, atque in canaliculis eorum maioribus non minus quam ſubtiliſſimis tam diu circumduci, quoad corporibus, eorumque partibus etiam exiliſſimis adhaereant, atque coaduniantur. Tentauimus experiundi gratia rebus his Magnetem Londinenſem exquiſita arte paratum admouere, aſt ne minima quidem praeſentis ferri in iis obſeruare licuit veſtigia; immo certum eſt, ne mine-

 ram

ram quidem ferri licet ditiſſimam, ex qua ferrum cum Geoffroio lege artis producitur potius quam cum Lemeyro educitur, a Maguete quoquam licet praeſtantiſſimo artificiali vel minimo quidem indicio vnquam adtrahi tamdiu, quoad phlogiſton quoddam, ſeu principium commune inflammabile, tanquam alterum conſtitutiuum ferri principium, ad terram martialem in regno ſiue minerali, aut vegetabili, vel animali deliteſcentem accerſerit. Exiſtimamus itaque, ſaluo chymicorum quorumuis iudicio, hac iam naturae lege folia quercus in aes noſtra opinione in adducto ſpecimine transformari, dum ſcilicet folia quercus matura in praeterlabentem riuulum Szomolnokienſem ex arboribus decidunt, tum aqua illa vitriolica vi ſua aciditatis penetrantiſſima ſenſim folia quercus adgreditur preſens in illis phlogiſton vegetabile connatum vi ſua vrente, et vt ita dicam cauſticitate veluti accendit, atque tantillum, quod in illis de materia martiali ſeu terra ferrifera inuenit, in perfectum lege naturae prius transformat ferrum; quod vbi factum eſt, eodem ipſo poſtea naturae mechaniſmo, prouti ſuperius ſtatim explicueramus, in aes veri nominis, retenta priori forma, commutatur. An tamen vero natura indicatum hic a nobis ordinem, animo tantum conceptum, in foliis quercinis in cuprum transformandis obſeruare conſueuerit, peritioribus naturae indagatoribus, inſolitum

hoc

hoc naturae phaenomenon explicare volentibus, committimus diſpiciendum.

3) *Litterae Dan. Geygeri ad Io. Zwelferum, Medicum Viennenſem XIV. Kalend. Dec. anno* 1652. *exaratae*, dum is animaduerſiones ſuas in Pharmacopoeiam Auguſtanam ederet: prout illas ipſe Zwelferus in Diſcurſu Apologetico aduerſus Hippocratem Chymicum Ottonis Tackenii, inter alios Io. Ad. Spaenholtzio, celebri Medico Iaurinenſi in Hungaria dedicato, et Norimb. an. 1668. in fol. edito, pag. 8. publicauerat, ſic integras, quia ſane meruerunt, iam chartae huic inſcribemus: *Vtiliſſimum Excell. T. laborem ſummopere commendaui, dignumque iudicaui, vt ad aram Apollineam ſuſpenſus immortalitate donetur. Certum enim eſt, innumeros craſſos et turpes errores in almam noſtram irrepſiſſe Medicinam, in primis Pharmaceuticam, diuque a multis bonis exoptatam et deſideratam fuiſſe competentem Reformationem, et ad frugem meliorem reducendam. Tentarunt hoc non infeliciter Sennertus, Quercetanus, Minſicht, Sala, et alii. Imo memini olim a Clar. Philippo Menzelio, Profeſ. Ingolſtad. et Thoma Mermanno, archiatro Elector. Simile quid tentatum, ſed humanae conditionis iniuria non abſolutum fuiſſe. Proinde ſummis encomiis digniſſimum et lauro decorandum Exc. Dn. D. Te iudico, quod his praeclariſſimorum Luminum veſtigiis inſiſtens, etiam aliquid foecum Augiae huic ſtabulo ſubtrahere, huicque inclytae Arti*

nito-

Digitized by Google

nitorem addere volueris. Quod quidem tanto perfectius et felicius abſolui potuit, cum iuxta prooemium dictae pharmacopeiae ſedecim integris annis laborioſa et improba ſedulitate tam legendo, quam manum ipſam admouendo magnam Tibi hac in parte experientiam compararis. Pro qua inſigni bonitate et iuuandi promtitudine et Ego et tota Medica familia gratias Exc. T. ingentes et immortales merito debemus. Ioannes Zwelferus Geygerum Noſtrum hoc ipſo loco *Excellentiſſimum Virum* nominat, vt verbis eius vtar, *quem Hungaria ob felicitatem, et dextram Praxim obſtupuit.*

ARTICVLVS XVIII.

Gorgivs (*Valentinus*) Franciſcus Erneſtus Brückmannus Epiſtolar. Itiner. Centur. I. Epiſt. XXII. Viennenſium Medicorum ſui temporis Catalogum exhibiturus, Doctores Facultatis Medicae Viennenſis, vt vocari ſolent, duum voluit eſſe generum, vel eos, qui in ſola ſtudiorum Vniuerſitate Vindobonenſi, praemiſſo ſeueriori, vt moris eſt, examine, ſummis ornati ſunt Artis Medicae honoribus, vel qui alibi gentium doctorali prius purpura iam ſemel inveſtiti, ſolemni de nouo ritu honores ab Ordine Medicorum Viennae conſtitutorum ſibi deferri expetierunt. Ad horum claſſem pertinuiſſe *Valentinum* Noſtrum *Gorgium*, cui gentile ſolum Heilsberga fuit, Warmienſis epiſcopi ſedes; idem Brückmannus l. c. Epiſt. Itiner.

Itiner. XXI. num. 51. his verbis meminit: *Valent. Steph. Gorgius Phyſicus Caeſareus Tranſiluaniae.* Quam celebre fuerit Gorgii nomen aetate ſua in oris Tranſiluanicis, ſolo *Ioannis Gyalogii* e Soc. Ieſ. conſtare poterit teſtimonio, ille enim dum *Daciae ſpem, et delicias, in Antonio e Toparchis Lazariis oſtenſas terris, et mox praereptas, ſed e puluere ſepulchrali denuo reſtitutas,* eleganti oratione ligata expreſſas, Tirnau. an. 1730. in 8. plag. 13. ederet, his verbis eas inſcribit: Valentino Gorgio, Incliti Collegii Viennenſis Medico, Poëtae Clariſſimo, Literarum ac Literatorum Amatori, Maecenati Dacico opt. Perp. Felic. Ita ſuam orſus Elegiam:

Quas ego rite tibi ſoluam pro munere grates
Pegaſi, corda mihi quae tot amica paris?
etc. ita eam claudens:
Gorgiadae celebrabit opem, quo clarior aſtris
Inferat Elyſiis Te quoque fama. Vale.

OPERA.

1.) Carmen *Sapphicum in Illuſtrem Tibulli Corviniani Editorem, D. Samuelem Köleſerium a Keres-eer, Med. Doct. et Senatui Dacico a Secretis.*

Quia elegans id terſumque eſt, meruit hic adponi integrum:

Iam

Iam metu ſaeuae poſito cataſtae
Liberam clarus trahit auctor auram,
Iam graues adflat lepido Tibullus
Lumine Dacos.

Non ferens captae iuga moeſta Budae,
Qua fugae tutos aperire poſtes,
Viſa ſors praeceps fuit, excubantem
Luſerat hoſtem.

Integrum tanta vice, tam frequenti
Per foros cincti ſtatione Thracis,
Non notaturis abiiſſe monſtrum
Autumo ſeptis.

Saepe diſcerpi, (quis enim cruentam
Lenis in victum prohiberet iram,)
Saepe diſtrictum trepidarit Auſon
Pallidus enſem.

Soſpitem iuſtae voluere Parcae,
Vt viam ſacro retegente coruo,
Ceu bona Chryſi celebres adiret
Alite fontes.

Publicos at non erat auſus aulae
Dacidis coetus, rutilas pigebat,
Pone conualles, caput e ſilenti
Promere luco:

Donec excuſſis, te duce latebris,
Laneo repens pede, laureatum
Ferret in lucem decus, e Threiſſis
Aduena caſtris.

Quem, Küleſeri! niſi te recepti
Hoſpitem ciuis canet? eruditum
Tu pius grato lare, tu fouebas
Pectore vatem.

Tu

Tu per illuſtres, vbicunque cerni
Poſtulat, ducis proceres, diſerta
Tu manu monſtras, lepidumque dicis
Ecce Tibullum.

Caeteros ſumma rude vulgus orbi
Cenſeat fama, genuinus hic eſt;
Hunc Venus iunctis vt amica viſit
Diva columbis.

Macte felicis pietate curae,
Note ſeruatis ſuper aſtra Dacis,
Abditis plures veterum benignus
Profer ab vmbris!

Qualis aegrotos; vbi iam Charonti
Proximam ferme tetigere ripam,
Vt ſenex manes ſtygium queratur
Fallere portum.

Ita referente Iona H. Sz. Péteri, Medico in Arithmetica illuſtrata ſua Mſcta: dum Matthias Coruinus, Rex noſter, Meſſalam Coruinum, Romani exercitus Imperatorem, Albii Tibulli Maecenatem fuiſſe probe intelligeret, non ratus ſe indignum, excellentem hunc poëtam, tanti a maioribus ſuis aeſtimatum, a Coruino enim Meſſala Matthias Coruinus ſuam trahere dictitabat originem, manu ſua nitide deſcribere, eumque in inſtructiſſimam Bibliothecam ſuam Budenſem ad conſervandam ſempiternam nominis ſui memoriam reponere. (*) Poſt infelicem cla-

(*) Quantus Matthias Rex excellentium Poëtarum extiterit aeſtimator, non vano vel ex eo colligat in-

cladem Mohácſianam, et occupatam per Turcos Budam Codex hic MSctus chartaceus, in

---

indicio, quod Iani quoque Epiſcopi quondam Quinque Eccleſienſis Poëmata, licet infenſum ſibi illius erga ſe experiretur animum, in vnum volumen ſedulo colligenda iuſſerit: tale Petri Vardai Archi-Epiſcopi Colocenſis, ſynchroni, Litterae, ad Mich. Keſzthelyi, Canonicum Strigon. an. 1496- Buda exaratae, perhibent teſtimonium: *Ceterum a Reu. D. Varadienſi nuper inter colloquendum, cum de Ioanne Canonico Quinque-Eccleſienſi ſermo incidiſſet, intelleximus Epigrammata illius, quae nos alias iuſſu Regis Matthiae in vnum collegiſſe meminimus, apud Paternitatem V. tranſcripta, quae nos certe auidiſſimo cuperemus videre animo, cum ob illius praeſtantiſſimi Viri memoriam, tum vero, quod multis verborum Salibus, et rerum varietate exuberent, adeo ut neminem unquam Poëtarum viderimus, vel illum Epigrammaticum poëtam Martialem, rem magis expreſſiſſe. Noſter Liber, quem in pergamenam tranſcribi feceramus, ſub aduerſitatis noſtrae tempore amiſſus eſt: Rogamus Pat. V. ſi carere libello ipſo paruo tempore poteritis, facite, vt illum habeamus, cito enim tranſcribi faciemus* etc. Inter Epiſtolas Petri de Várda, Poſon. an. 1776. in 4. a Car. Wagnero editas eſt XXXV. En Titulum propria Köleſérii manu deſcriptum in Aduerſariis Eius inuentum, quem Tibullo ſuo Coruiniano primum praefigere meditabatur: *Codex hicce Manuſcriptus, Catulli, Tibulli, et Propertii carmina continens, iuſſu Matthiae Coruini Regis Hungariae deſcriptus: e Bibliotheca eiusdem Budenſi tempore Ex-Regis Ioannis de Zapólya in Tranſiluaniam delatus, e Suppellectili ſubhaſtata Principis Michaëlis Apafi Bibliothecae Sereniſſimi Ducis Eugenii de Sabau-*

in forma quarti ordinis exaratus, duplici iam iure Coruinianus, e Bibliothecae regiae Budenſis reliquiis in manus Ioannis I. de Zapolya Hungariae Regis deueniſſe dicitur, atque apud reliquos ſibi ex ordine ſuccedentes Tranſylvaniae Principes vſque ad Michaëlem Apafium II. permanſiſſe: huius vero dum omnis ſuppellex libraria lege licitationis emtoribus Cibinii diſtribueretur, Codex is, qui hodiedum denuo Cibinii aduerſatur, a Nánáſio quodam, humaniorum litterarum cultore emtus eſt viliſſimo pretio et mox in publicam Collegii N. Enyedienſis Bibliothecam

---

Sabaudia demiſſe adſcriptus a Samuele Köleſéri de Keres - Eer, Conſil. Guber. Tranſil. Eadem Köleſérii manu ſignatus legitur ibidem alter quoque Chinenſis cuiuspiam Libelli Eugenio Principi inſcripti Titulus: *Codex hic Chinenſis typis impreſſus in China ſtatum publicum et priuatum Imperii continens e Iaponia in Tranſiluaniam allatus Bibliothecae Sereniſſimi Ducis Eugenii de Sabaudia demiſſe adſcriptus a Samuele Köleſéri de Keres - Eer, Conſil. Gub. Tranſil.* Sed Matthiam Coruinum non modo excellentes Poëtas, ſed etiam Aſtrologos in deliciis habuiſſe euidenti probatur teſtimonio ex *Epiſtola Aſtrologorum Matthiae Hungariae Regis ad Antonium Torquatum Ferrar. in qua prognoſticon eiusdem Torquati a tempore Matthiae R. vſque ad an. 1560. affabre explicatur.* Adſuta illa eſt cum adnotationibus Wolffg. Lazii ad calcem *Fragmenti Vaticinii Methodii Epiſcopi Eccleſ. Paterenis et Martyris Chriſti*, editi ab eodem Wolffg. Lazio Vien. an. 1547. in 4.

cam illatus eſt, quem dum Köleſerius Medicus precene vel pretio prius redemtum typis Claudiopolitanis an. 1727. in 8. plag. 5. imprimendum curaſſet, ab eruditis Lipſienſibus in Actis anni eiusdem pag. 451. poſtea recenſitum, pauciſſimaque duntaxat illius inter amicos diſtribuiſſet exemplaria, reliqua in ciſtam coniecta haerebant tamdiu carceri incluſa, quoad exeunte anno 1775. editoris Bibliotheca omnis, bis mille et amplius libris inſtructa, ab haeredibus primae ſuae vxoris, quam repudiauerat, Coronae ſub haſta publice diuenderetur: Stephani Cloſii, Med. Doctoris et Senatoris Coronenſis, cuius matrem Köleſérius primo omnium in matrimonium duxerat, litterae anno eodem ad nos humaniſſime exaratae nunciarunt ſingula Tibulli Coruiniani Claudiaci exemplaria, quorum quadringenta fuere liberata, non niſi ſingulis venêre groſſis. Vtinam Catullum quoque et Propertium, Coruinianos, Tibulli MScto codici adnexos, luce publica, vt promiſit, donaſſet Köleſérius, qui, dum Aurariam Romano-Dacicam Carolo VI. Imp. voueret, dicaretque, aureo torque a munifico Caeſare fuerat donatus. Sed ne quid diſſimulemus, decantatum hunc Tibulli Coruiniani Codicem MSctum a Köleſério publicatum in Bibliothecam Illuſtriſſ. Domini S. R. I. Comitis Sam. Teleki, Excelſi Regii Gubernii Tranſiluanici Conſiliarii, nuper admodum eſſe illatum, Litte-

rae

rae die 19. Maii an. 1719. labentis, M. Váſárhelyino ad nos humaniſſime exarate, litteratiſſimi D. Danielis Cornides nos edocuerunt, tali ſubnexo epiphonemate : *Plus vice ſimplici Codicem illum ab Illuſtriſſimo Domino Comite mihi commodatum verſaui manibus. Eſt Codex chartaceus in forma 4ta, ductibus litterarum hodiernis diſtinctis et legibilibus, atramentoque prorſus recenti exaratus. Pignore quouis certare auſim, ſcripturam eam ſeculi praeſentis aetatem haud excedere.* Nonne itaque Küleſérius fraudem orbi litterato impoſuiſſe, aut ignorantiam in lectione antiquiorum Codicum MSctorum ſuam prodidiſſe, reuera cenſendus eſt, dum Codicem illum non niſi annis viginti editione prima Veneta iuniorem in adnexa praefatione adſerere haudquaquam erubuerit? Dum haec ſcribendo pene finiueram, adcurrit laudatus idem Amicus ex Tranſiluania inopinus cum nuncio, ſe ex Io. Seiuerto Inſcriptionum Dacicarum auctore nuper admodum intellexiſſe, primaeuum Bibliothecae Budenſis Catalogum iuſſu Coruini Regis confectum in Bibliotheca Wolffenbüttelenſi hodiedum ſuperſtitem haerere, eumque non modo olim ſe vidiſſe, ſed et legiſſe atque ei inſcriptum eſſe illud Tibulli Coruiniani exemplum obſeruauiſſe, vnde Küleſerianum noſtrum labenti tempore exſciptum eſt. At quae apud nos adſeruantur inſtructa *Bibliotheca Kazzaiana*, praeter *Librum Epiſtolarum Heroidum Ouidii*, cum

 Com-

Commentariis Calderini Venet. an. 1482. in fol. editum, iure multo aequiori gloriatur duorum celebrium Poëtarum *Ouidii* et *Horatii* MSctis aeui antiquioris codicibus, quorum ille de *Arte amandi* characteribus paſſim rubro-nigris, et nullis interſtinctus capitibus exſcriptus, ne P. Burmanno quidem, celebri Ouidii editori, vnquam viſus, et folia 48½ complexus, ſic explicit: *Publii Ouidii Naſonis Sulmonenſ. de āte aa'ndi Liber totalis explicit foeliciter*: 1482. Hic vero, *Quinti Horatii Flaccii Libri II. Epiſtolarum* ſcilicet, vt characterum et contractionum ductus manifeſto produnt indicio, priore eſt multo antiquior, foliis maioribus 32. conſtans, verſu hoc, eadem ſcribendi ratione adpoſita, ſic clauditur:

Tpus abire t' eſt. ne potum largig ego
Rideat. et pulſet laſciua decētiq etas.

Charta vtriusque exemplaris, manu nitide exarati, quod non contemnendis Variorum Notis interlinearibus et marginalibus auctum eſt, partim capite bouino, e cuius vertice medio inter cornua caduceus crucatus cum coronato ſerpente circumuoluto exſurgit; partim cruce alta ſimplice, eaque coronata, vel etiam tulipa ornata, et tricolli diuerſae altitudinis imminente, ſignata viſitur. Nos interim reliquis eruditiſſimi Medici ſcriptis, Cent. I. pag. 86. ſeqq. recenſitis, aliqua adhuc adnectimus ab eo profecta: 1) *Diſſertatio Philologica, qua quaedam S. Scripturae loca*

loca illuſtrantur. Praeſ. D. Campegio Vitringa defendit *Sam. Coleſéerius*, Vng. Phil. Doct. Franeq. an. 1682. 4. pl. 2. inſcripta *Andreae Balyik*, *Pauli Pataki*, Iudicum Primariorum, et *St. Komáromi. Steph. Gyárfás*, ſecundariorum honoribus, nec non *Samueli Küleſéri* V. D. Miniſtro Debrecinenſi, Parenti ſuo. 2) *Summarium Philoſophiae Excellentiſſimo nomini Koenigſeggiano dicatum Louanii in Scholis Artium.* Claudiopoli recus. an. 1723. 8. pl. 2. cum praefatione S. K. D. K. 3.) *Enchiridion Scheuchzerianum Mathematicum, protographiam vniuerſae Matheſeos complectens, vſui Tranſiluanorum accommodatum.* Claudiop. an. 1723. 8. plag. 3. praefatus eſt Samuel Küleſérius a Keres-eer. Praeter *Inſcriptionem* Alpibus, ad Turrim Rubram, arcem illam munificentia Caroli VI. probe firmatam, arte politis inciſam, Centuriae Noſtrae II. part. I. pag. 15. iam relatam. talia quoque Noſtrum compoſuiſſe accepimus. 4.) *Chronoſtica diuerſi generis*

1.) aVIa et InVIa, DeVIa, perVIa, regIa fIt IaM
Ipſa Vſa arX VIX, at CaroLVs Iſta parat.
2.) teVtonICVs strassbVrg arX aVIA DICta LatInIs,
faXIt Vt et rVrsVM ſtet reſerata VIa.
3.) CaroLVs ILLa IVbet arX aVIa DeVIa fIat,
reX regVM VoLet hoC, CaroLVs Iſta parat.

5.) Obſeruationes Annalibus Phyſico - Medicis Vratislauienſibus inſertae:

a. *Relatio Epiſtolica de prima Peſtis Tranſyluanicae an. 1717. graſſantis origine.* Tentam. III. pag. 533. 534.

b. *Breuis hiſtoria peſtis Coronenſis in Tranſiluania, die 30. Nou. an. 1718. communicata.* Tentam. V. pag. 1816. Haec ex ſcriptis I. Albrichii Medici Coronenſis, in compendio exſcripſit tecto Auctoris nomine.

c. *Specialis Relatio Peſtis Tranſiluanicae, in forma Epiſtolae ad Amicum de ſtatu Tranſiluaniae epidemico an.* 1721. Tentam. X. pag. 678.

d. *Phaenomeni arcuati cum rubedine Stellis illuminata in coelo d. 23. Dec. an. 1719. apparentis deſcriptio.* Ibidem pag. 711.

e. *De turbinoſa, procelloſa, grandinoſa, frequentibus fulminibus mixta tempeſtate. an. 1721. d. 24. Maii totam Tranſylvaniam peruadente* Tentam. XVI. pag. 510. ſeq.

f. *De Conſtitutione aëris epidemica, morbis, et prouentibus terrae an.* 1722. Tentam. XXI. pag. 159. Dum calamus currit, et horula vna alteraque vacat, aliquid amplius de *Köleſerio* nouiſſime dicendum puto; Iter Academicum is ingreſſurus, anno aetatis decimo quinto nondum completo, Seculi ſuperioris ſeptuageſimo nono, V. Idus Ianuar. quod Orationem Valedictoriam Hebraico ſermone concinne elabora-

tam

tam publice in Acroaterio Debreczinenſi praeſentibus Ciuitatis Conſulibus, Eccleſiarum paſtoribus, ſcholaeque Rectoribus et vniuerſis eius Ciuibus, aliisque honoratioribus Viris cum inſigni adplauſu recitauerit, in *Faſtis Neubarti publicis*, Kalendarium vocamus, a *Ioanne Roſnyai* typotheta, anno memorato Debrecini editis, manu coaeua *St. Szokolai* adnotatum legimus: quibus in fine adtextus legitur lepidus, de transplantandis morbis Tractatus tali inſignitus titulo: *Rövid tanitás, miképpen némely betegſéget, vagy 'allatokban Fákban vagy Fuvekben be-olthatni, hogy á beteg meg gyogyúllyon.* Addamus: Inter Kalendaria Debreczini vmquam edita, nullum ante annum 1593. videre nobis licuit, hoc vero anno indicato vſibus publicis apud nos typorum beneficio vulgatum variis refertum eſt *prognoſticationibus*, talibus in fronte ſignatum characteribus: *Iudicium Magyar nyeluen, az O es Vy Kalendarium ſzerint Chriſtus Vrunk ſzületeſe után M. D. XCIII. eſztendöre: Tenatius Iános M. Az Krakai fö Oſcolában rendeltetett Aſtrologuſnack iráſából Magyarra forditatott DBERECENBEN.* Legibus Calendarii Iuliani hoc eſt accommodatum. Duorum praeterea Faſtorum noſtratium publicorum, ne memoria diſpereat, titulos ſaltim hic adponam:

1.) *Kalendarium Chriſtus Vrunck ſzületeſe után 1618. Eſztendöre; Nemet Nyelvbol Magyar Nyelvre fordittatott. Debreczenben nyomtatta Lipſai Pál in* 16.

2.) *Kalendarium Chriſtus Vrunk ſzületeſe után az 1628. Eſztendöre az Braſzlai Kalendariumbúl Magyarra fordittatott. Debreczenben nyomtatta Rheda Peter in* 16. In vtroque horum ſingulis menſibus, ſingula monita et praecepta medica, eaque metrica, ex ordine ſubiiciuntur: tale eſt, quod in Maio praeſcriptum legitur:

Borſos étket egyél, vért bocſáſs, vizbe moſodgyál,
Jó füvel 's borral tarcſad egeſſégedet.

Vtrumque hoc Gregorianum iam eſt Calendarium: illud Inſigne Regni Hungariae nudo Scuto varie inflexo, absque omni reliquo ornamento praefixum habet: hoc vero Conſuli Ciuitatis, ampliſſimisque Ciuibus inſcriptum idem Regni Inſigne in Frontiſpicio gerit, ſed coronatum, et a duobus Gryphis alatis ſuſtentatum; in fine vero Inſigne Ciuitatis viſitur in Scuto ouali absque lemniſcis depictum: agnus paſchalis vnice hic in campo rubro, viridi gramini inſiſtit cum vexillo rubro trifido et alba cruce notato cum epigraphe: MINT A BARAN MEG NEMVL A NIROK ELOT. ESA. LIII. In Calendario primo c et tz. in altero cz et c. alternari, in tertio lege conſtanti Debreczen ſcribi obſeruauimus.

Fa-

Faſtos eiuſcemodi publicos Bartphae olim lingua vernacula editos duos in ſcriniis adſeruare nos, et vtrumque ex officina Iacobi Kléz prodiiſſe, alterum vero an. 1601. alterum vero an. 1628. monuiſſe ſufficiat. Aſt omnibus his et ſingulis prius omnino tempore eſt illud Iulianum, quod an. 1585. Magno-Varadini excuſum fuiſſe cognouimus, ad normam Calendarii Cracouienſis conſcriptum, vna cum Iudicio M. S. P. Carmini incluſo, quod ita incipit:

Qui ſapit, in veteri maneat ratione dierum,
Nam noua nil verae laudis habere poteſt.
Hanc Anti-Chriſtus genuit, ſibi ſeruet eamdem. etc.

Huius Pſeudo Calendarii, vt vocabatur, Auctores dum Stephanus Arator, aliter Szántó, Loiolitici ordinis vir eruditus cum ſuis Sectatoribus alio carmine, aeque mordacibus verbis concinnato, et Claudiopoli Tranſiluanorum edito, acrius perſtringeret, tum Petrus Beregſzáſzi, Varadienſium antiſtes, gemino ſcripto eruditae ſatis reſpondit, titulis his inſignito: *Aduerſaria de Controuerſiis, hoc ſeculo in Religione motis.* Baſil. an. 1587. 8. et *Opuſcula varia de Calendario Gregoriano.* Baſil. an. 1590. 8. Multas reuera in noſtra quoque hac Patria, vt alibi gentium, hanc Calendarii Iuliani emendationem peperiſſe turbas, diffitendum non eſt, tentatum eſt eas publice quoque in Comitiis Regni an. 1587. Poſonium conuocatis

artic. 28. placidioribus verbis componere, aſt, quod efferati eſſent Ciuium plerorumque animi, non prius, quam anno demum 1599. in Diaeta ibidem celebrata artic. 45. ſub graui poenae interminatione ſopiri ex integro potuerunt. Cauſſas vero genuinas, ob quas abrogato, in noſtro quoque hoc Regno, veteri Calendario, nouum fuerit introductum, ſcite admodum explicuiſſe legimus *Dauidem Fröſichium*, Aſtronomum Patriae Practicum, Caeſareopolitanum, in *Iudicio* ſuo *Aſtromantico*, Vratislau. an. 1637. in 4. edito: adductis interim non modo Iuliani, ſed etiam Gregoriani Diarii naeuis, futuro ſubinde tempore ſemet manifeſtandis.

2.) *Epigrammata variis occaſionibus fuſa, Honori Ill. ac Excell. Viri, Domini Samuelis Koleſéri de Keres-eer, Philoſophi et Medici praeſtantiſſimi, Guberniali Tranſiluaniae Conſilio adlecti.* Claudiopoli an. 1728 in 8. plag. 2. ἀνώνυμως ſcripta quidem ſunt, at Patres e S. I. in fronte opellae adgratulaturi Auctorem adpellant *Excellentiſſimum Generalatus Medicum*: Sic Epigramma ſuum exorſi:

GORGIADAE legerem dum nuper acumina Libri,
Quid facit in Medici, dixi, Epigramma manu?
etc. etc.

GORGI, Pannonicum premis vndique cuſpide mundum,
Neſcio quod maius mens Tua voluit opus.
etc. etc.

Inter

Inter reliqua Gorgii Epigrammata maxime omnium illud nobis adriſit, quod pag. 3. de Alba Carolina occinuit:

Iulia dicebar; Carolinam dixerat Album
Me CAROLVS ſextus Caeſar, honore nouo.
Me vetus exiguis firmârat moenibus aetas,
Debile non multa turre tuente latus.
Aequauit plus ille ſolo, grataque Gradiuo
Fortiter in tutum muniit arte decus.
Iam variis tollor vallis ſuper aethera, quanta
Lunae deſpicio de ſtatione globum!

Recitabo id quoque, quod pag. 23. in Statuam Caroli VI. Imp. in Porta Carolina equo inſidentis contra orientem, conſcripſerat:

Felicem quo flectis equum, fortiſſime Caeſar,
Regia qua Caroli ducit ab vrbe via?
Deſtinat Imperii Tibi ſpem bellator Eoi
Quod fera barbaries et diuturna premit.
Quaere illud, quoniam poſt immortalia facta
Dacia te Regnis non capit ampla ſuis.

In Arcaniſtam Medicum pag. 13.

Imponis Medicus medicis noua nomina rebus,
Quas norunt omnes, impoſuiſſe iuuat.

ARTICVLVS XIX.

Greissing. (*Valentinus*) De Valentini huius Greiſſingii vita et ſcriptis *Czuittinger* in ſpecim. Hun-

Hungar. Litter. in Artic. pauca admodum commentatus; plura *Petrus Bodius* in Athenis Hung. pagg. 350. 351. protulit in medium; quae *Alex. Horányius* in Memoria Hungarorum Part. II. pag. 46. 47. pro more ſuo in Latinum ſermonem traduxit, *Ioſephus* vero *Benkö* in Tranſiluania nondum orbi ſatis cognita Tom. II. pag. 314. nonniſi repetiit: nos vero addimus Eum nobili genere ortum habuiſſe Patrem *Chriſtophorum Greiſſingium*, vrbis Coronenſis Senatorem, Matrem vero *Margaretham Forgáts*, prius Petri Mederi, Verbi diuini Miniſtri Coronenſis Viduam. Vittebergae poſteaquam ſummos in Philoſophia fuiſſet conſecutus honores, ibidem, vt Facultatis Philoſophicae Adjunctus, publicas Praelectiones aliquamdiu inſtituit. Tandem redux in patriam tellurem Coronenſis Gymnaſii Rector eſt anno 1684. conſtitutus, quo munere per decennium laudabiliter geſto a Roſonenſibus (Roſenau) ad verbi diuini miniſterium an. 1694. euocatus eſt in locum Martini Albrichii tunc temporis mortui, atque in ſtatione hac reliquum omne vitae tempus exegit. Datus eſt Greiſſingio Locus hic inter Medicos honorificus, non quod artem is profeſſus fuerit Medicam, ſed quia Res quoque Phyſici ac Medici argumenti nonnullas illuſtraverit. Talia ſunt, quae foris domique publicaſſe comperimus.

OPERA.

OPERA.

1.) *Sal* ΜΩΡΑΝΘΕΙΣ, quem e Matth. V. ℣. 13. exercitatione philologica erutum, declaratumque — Reſpond. Matthia Götzke, Hadelenſi, ad d. 24. Febr. an. 1677. Vitteb. in 4. plag. 2½.

2.) *Diſquiſitio Philoſophiae Naturalis de Partu ſeptimeſtri.* Reſp. Mich. Gütſchio, Kisdino-Tranſilu. d. 13. Mart. Vitteb. an. 1677. 4. plag. 3. conſtitutum fuit auctori diſquirere anne Partus ſeptimeſtris perfecte a natura elaboratus, ac vitalis ſua natura eſſe poſſit? Cuius Diſſertationis pernoſcendae cauſſa, eam vberius paullo iam recenſebo. Caput I. inſcribitur de *Vocis enodatione*, vbi §. 2. vocem *pario* et *partus* deriuat vel a *par*, quod ex vno indiuiduo duo faciat, vel quod mauult a Hebr. פָּרָה *fructificauit:* tum §. 3. varios partus ſignificationes adducit, procapitur vel proprie vel methaphorice, et quidem poſterius vel adiectiue vel ſubſtantiue, denique §. 4. de etymo vocis *ſeptimeſtris* diſputat, vbi de duplici menſe, ſolari nempe et lunari agit. Cap. II. inſcribitur *De cauſſis extrinſecis*, abſoluiturque §phis 12. Caput III. eſt de *cauſſis internis*, §phis 8. conſtans. Caput IV. *de foetus ſeptimeſtris perfectione* §phos 8. habet. Caput V. *de partus termino inſcriptum* §phos itidem 8. complectitur. Tum ſequitur *Sectio II. problematica.* Problema I. *Num creaturae rationali*

inde-

indefinitum tempus partus a Natura aſſignatum ſit? conſtat §phis 6. Quaeſtionem adfirmat auctor. Problema II. *Num Partus ſeptimeſtris ſit a Natura, vel praeter eam?* §phis 5. circumducitur. Auctor ait partum talem eſſe a Natura. Problema III. *Num Partus ſeptimeſtris ſit abortus, et monſtrum?* §. 1. habet. Auctor Quaeſtionem negat, oppellaeque finem imponit. Inſulſiſſima eſt, ignoſcant nobis pii Greiſſingii manes, Diſſertatio haec Methaphyſica potius quam Medica, ſcholaſticorum medii aeui ſuperſtructa ineptiis: Auctores, quos excitat, potiſſimum ſunt Ariſtoteles, Scheibleri Metaphyſica, Sperlingii Phyſica, Zanardi Phyſica, Zacchias in primis et Rall, aliique huius furfuris auctores obſcuri.

3.) ΔΥΩΔΕΚΑΣ *Poſitionum Phyſicarum*, Praeſide Valent. Greiſſingio defendit auctor M. Theodorus Thomas von Peſterwitz. Vitteb: an. 1677 in 4.

4.) *Exercitatio Academica prior, de Atheiſmo*, oppoſita in primis Renato des Cartes et Matthiae Kuntzen. Reſp. Georg. Tutius, Kis-Schenckino-Tranſiluano ad d. 24. Nou. Vitteb. an. 1677. 4.

5.) *Exercitatio Academica poſterior, de Atheiſmo* etc. eod. Reſpond. ad d. 18. Decembr. Vitteb. an. eod. in 4.

6.) *Diſſertatio de Theologia Naturali*, Auctore et Reſpond. M. Chriſt. Frid. Braun. Vitteb. an. 1678. in 4.

7.)

7.) *Diſputatio Theologica de aeterna Verbi Dei duratione, vt et de vera iuſtitia*, iuxta Matth. V. 18 — 20. Praeſ. Io. Deutſchman Vitteb. an. 1678. in 4. plag. 4.

8.) *Immolatio Liberorum Molocho facta*, iuxta Leuit. XX. 2. Exercitatione philologica — praeſ. M. Valent. Greiſſing, Corona. Tranſilu. Sereniſſ. Elector. Saxon. Alumno. Reſpond. Nic. Ioan. Michaëlis, Riualia Liu. Vitteb. an 1678. in 4. plag. 7.

9.) *Sylloge Controuerſiarum ſelectarum ex Philoſophia rationali*, Prima Reſp. Mich. Emſer, Muſchnenſi Tranſilu. Vitteb. an. 1679. in 4. plag. 2.

10.) *Sylloge controuerſiarum ſelectarum ex Philoſophia rationali. Secunda.* Reſp. Georg. Hornigio, Dresdenſi. Vitteb. an. 1679. in 4. plag. 2.

11.) *Diſputationes Exegetico-polemicas, in Compendium locorum Theologicorum Leonhardi Hutteri*, dum eſſet Rector Coronenſis, complures foras emiſit, quae fruſtatim Coronae prodierunt in 4. vt ſunt: a.) *De Theologiae Prolegomenis.* Reſp. Ioanne Abrahami, Praſmarienſi. Coronae typis Hermannianis an. 1687. b.) *De Religione.* Reſp. Luca Farnengel, d. 24. Dec. an. 1687. c.) *De Articulis fidei.* Reſp. Andr. Conradi, Medienſi, d. 20. Dec. Coronae an. 1688. d.) *De eſſentiali Diuiſione Librorum Biblicorum in canonicos et apocryphos.* Reſp. Georg. Nuſzbaecher, Coronenſi, et Simone Roth, Maria-

rievall, d. 6. et 6. Ianuar. an. 1693. typis Lucae Seüleri.

12) *Paradoxa Logica quadraginta.* Reſp. Georg. Wand., Scholae Oratore. Coronae an: 1692. in 4.

13.) *Donatus Latino-Germanicus.* Coronae an. 1693. in 8.

ARTICVLVS XX.

Gyvlai (*Paullus.*) Gyulaius hic, medio Seculo XVI. mediocri loco, tenuique in re familiari natus, cum ſingulari eſſet morum modeſtia diſcendique ardore, eum *Caſpar Békéſſius*, Ioannis Sigiſmundi Hungariae Reguli Conſiliarius et apud exteros Principes Orator, in alumnorum ſuorum numerum recepit, atque domeſtica mox diſciplina non contentum ſtudiorum altius prouehendorum cauſſa in exteras oras, lauto prius adiutum ſtipendio, expediuit: itaque dum Pataviam praeprimis et Bononiam inhabitaſſet, immo totam peregrinando obiuiſſet Italiam, idque non animi duntaxat cauſſa, ſed vt, viſis regionibus et moribus hominum, doctrinam, prudentiam, rerumque agendarum dexteritatem augeret; reuertit in patriam tellurem non modo profanis doctrinis, ſed etiam ſacris artis Machaoniae myſteriis egregie imbutus, vitamque dum ageret inſigni continentia, modeſtia aliisque virtutibus commendatam, laudatus Caſparus Békéſius Noſtrum, deuinctiſſimum ob collata in ſe beneficia nominis

nis

Digitized by Google

nis cultorem, in aulam ſuam adſciuit, non modo ſanitatis ſuae tutandae, ſed rerum quoque domeſticarum omnium adminiſtrandarum curam Ei concredidit, immo nouiſſime arcem quoque ſuam *Fogaraſienſem*, quo omnem ſuum is theſaurum abſconderat, a *Stephano Bathorio*, legitimo Tranſiluaniae Principe, quod eſſet infenſus honorum et imperii aemulus, arctiſſima anno 1573. cinctam obſidione, pro virili defendendam commiſit, ipſe fuga prius alibi gentium ſibi ſalutem quaeſiturus. Dicta poſteaquam arx munitiſſima, Bekeſii haeredium, poſt acerrimam XIX. dierum oppugnationem deditione fuiſſet feliciter capta, et pacta praeſidiariis vitae bonorumque incolumitate, ſolus *Paullus Gyulainus* ob ſuſpicionem corraſi occultatique theſauri Bekéſiani, effugiumque patroni ſui, aliaque, quae in Bathorium Principem machinatum fuiſſe credebatur, conſilia clandeſtina in vincula coniicitur, ſed iis mox ob ingenii elegantiam, acremque ac induſtrium in negotiis quibusvis conficiendis animum, interiecto breui tempore, relaxatis, liberaliter poſtea a Stephano Principe Bathorio, etiam poſteaquam is ad ſolium regni Poloniae ſublimaretur, ſemper eſt habitus, immo a conſcribendis epiſtolis ſecretioribus, adſignato non mediocri cenſu annuo, conſtitutus eſt. Singularem dum non modo Stephani Regis, ſed et Succeſſorum in Tranſiluania Principum, Chriſtophori et Sigiſmundi Báthoriorum diu retineret benivolentiam erga ſe ſatis ſuperque pro-

Digitized by Google

penſam, accidit, vt, gliſcentibus non leui de cauſſa inter Principem et Balthaſarem Bathorium, fratrem, ſimultatibus, eam Regni Proceres, publicae tranquillitati conſulturi, Albae Iuliae anno 1591. unanimi omnium conſenſione clam iniuerunt ſententiam, quod niſi Balthaſar, admonitus prius, ad meliorem frugem redierit, atque regionis illius incolas ad defectionis ſocietatem ineundam concitare perrexerit, eum neceſſario vel perpetuo multandum fore exilio, vel, quod conſultius, iniecto collo laqueo tempeſtiue e medio tollendum. Hoc Senatus Tranſiluanici conſultum Paullus Gyulai cum Ioanne Gálfi dum Principi Sigismundo, ut facere iubebatur, promiſſa prius obſeruanda ſilentii fide, reuelaret, ſed rumor iſte tacitus opera Confeſſarii breui mox in vulgus dimanaret, ita exacerbatus, immo in furorem raptus eſt Balthaſaris animus, vt non prius conceptum in Gyulaium deferbuerit odium; quem ille imminentis ſibi periculi praecipuum eſſe exiſtimabat auctorem, quam inſignem militum ſtipendiariorum manum, conſentiente in id Principe iuvene, verſatilis ingenii homine *Abaſáiam* vicum Maruſii fluvii ripae adpoſitum, et oppido Saxonici iuris, *Száſz-Regen* dicto, obuerſum expediret, quae *Gyualium* in hoc ſuo haerediolo tranquille commorantem, ex improuiſo adoriundum, interciperet, atque iniectis prius in aduerſarium hunc, vt ratus eſt, ſuum manibus, ſanguinario illico trucidaret conſilio. *Gyulaium*, Medicum noſtrum, Virum

rum de Republica optume meritum, temerario auſu, ſed plus quam barbarico, in minutiſſima fruſta anno 1592. conciſum fuiſſe *Wolffgangus Bethlen* teſtis eſt *Hiſtoriar. Tranſiluanic. Lib. VII. pag.* 408. edit. Keresdin an. 1687. in fol. Reliqua proſperioris vitae fata idem optumae fidei Hiſtoricus patrius ſtrictim ibidem Libr. VI. pag. 303. et 371. ſeqq. expoſuit. Ex penu hoc mutuatum fuiſſe exiſtimem *Reu. Bodium* ea ſingula, quae ille de Noſtro *in Athenis Hungaricis* retulit in litteras, celeberrimus vero *Horányius.*, inconſultis fontibus, eadem inde depromſit.

OPERA.

1.) *Commentarius rerum a Stephano Rege aduerſus Magnum Moſchorum Ducem geſtarum, anno* 1580. Claudiopoli, in officina Relictae *Caſparis Helti* anno 1581. in 4. dedicauit opuſculum *Wolffgango Covatſotſio*, Tranſiluaniae Cancellario, in qua Dedicatione inſcribitur: *Paullus Gyulanus Med. Doct.* Vt de Viri huius ſtylo Latino et eruditione L. B. iudicium ferre queas, en Dedicationem Libelli rariſſimi a Paullo Giulano adornati: ,, Magna me voluptate affecerunt litterae ,, tuae, ex quibus intellexi, quod tibi po- ,, ſteritatique tuae felix fauſtumque ſit, te ,, de matrimonio transegiſſe. Ecquid vero ,, tibi ad optatam illam felicitatis poſſeſſio- ,, nem deerat praeter ſociam vitae? ex qua

„ ſuſceptis dulciſſimis liberis, et tuam fa-
„ miliam, aucto Kouaciociorum numero
„ longius propagares, et patriam, cui omnes
„ omnia debemus, tali praeſidio ornares?
„ Dii tibi matrimonium fortunent. Vxorem
„ quidem delegiſti, quae et ob vetuſtam no-
„ bilitatem generis, et ob caſtiſſimos mores
„ merito tibi debeat cariſſima eſſe. Qua de
„ fortuna tua, quoniam non dubito, quin
„ me credas ita tibi ex animo gratulari, vt
„ nulla putes facultate Orationis conceptum
„ a me animi gaudium explicari poſſe, fa-
„ ciam id, quod ſcio plurimum te auere,
„ vt aeque tibi laetos nuntios reponam, iis
„ de rebus, quae a fortiſſimo Rege ſunt ſu-
„ perioribus menſibus aduerſus hoſtem bar-
„ barum geſtae. Spero enim fore, vt, cum
„ haec legeris, eodem perfugias, quo ego
„ certior de tuis laetis rebus factus te non
„ ſperare, quanta ſit laetitia perfuſus, vlla
„ ſcribendi vi, aut orationis artificio ſigni-
„ ficare poſſe." Ex hac Epiſtola nuncu-
patoria, Libello Claudiopol. an. 1581. ty-
pis exſcripto, praefixa, manifeſti reuincitur
erroris Wolffg. Bethlenius, qui Lib. VII.
pag. 412 ait: *Eodem anno* (1593.) *Wolff-
gangus Kouatſotſius Die* 24. *Februarii filiam
Alexandri Kendii in vxorem ducit.* Errantem
anteſignanum ſuum *Bethlenium* ſecutum fuiſſe,
Petrum quoque *Bodium in Magyar Athenás*
pag. 148. expreſſe legimus. Tametſi *Paul-
lus Gyulai* nomini ſuo M. D. adiunxerit, ſum-
mos-

moſque in Medicina honores in exterorum academiis conſecutus fuerit; artem tamen ſalutarem in Patria vnquam exercuiſſe vehementer dubitem, ſi nempe verum ſit, quod Wolffg. Bethlen Lib. VII. pag. 408. adfirmat, eum Principis *Sigismundi Báthorii* Affinem fuiſſe. Itaque non ſine ratione ſuſpicari integrum omnino eſt, Medicinae Doctoris titulum eum, litteris M. D. indicatum, merum honorarium fuiſſe. Non puduit illa aetate Viros Principes huiusmodi titulorum, quos ſaepius ambiuiſſe cognouimus. Commentarium hunc Gyulaii repetitum eſſe in collectione ſcriptorum rariſſima de rebus geſtis Stephani Bathorii, Principis noſtratis, Romae an. 1582. 4. pl. 6. curante Flaminio Nobilio edita, docet Illuſtriſs. *Io. Dan. Ianocius* in Recenſione Libror. rarior. Bibliothecae Zaluſcianae Num. X. pag. 28. Dreſdae an. 1747. in 8. pl. 9. Germanice impreſſa. Idem, quod Iulanus, argumentum tractaſſe obſeruauimus *Baſil. Hyacinthium* quoque et *Andream Friceſium*, quo ille Panegyricum in excidium Polocenſe: atque in memorabilem victoriam Stephani Polon. Regis, ex potentiſſimo Moſchorum Principe, III. Kalend. Septembr. 1579. reportatam heroicis verſibus compoſuit, ſubtextis propriis ſuis atque amicorum *In Stephanum Regem inuictiſſimum Epigrammatis.* Patauii Laurentius Paſquatus an. 1580. 4. Hic vero Poëma heroicum Rege victore dignum

ſub titulo edidit: *Triumphus Moſcoviticus Sereniſſ. Principis Stephani I.* etc. Cracou. in officina Lazari an. 1582. 4. Hic idem Triceſius ſcripſit Carmen Iambeo genere in *Chronologiam* quoque *Abrahami Bakſchay*, Pannonii, *De Regibus Hungaricis*, Cracou. an. 1567. in 4. typis Matth. Siebeneicheri euulgatam: *Andreae Pudithii* nomen autem, notiſſimi emeriti Epiſcopi Quinque-eccleſienſis, et Maximiliani II. ad Sigiſmundum legati, eleganti epigrammate immortalitati commendauit, quod legitur Epigrammatum Vol. I. edit. Cracau. typis Lazari Andreae an. 1565. in 4.

2.) *Diſpoſitio Stephani Regis de educando Sigismundo Bathorio, et adminiſtranda Tranſiluania.* Dum ſcilicet Stephani, Regis Poloniae, ex fratre Chriſtophoro Bathorio nepos, *Sigiſmundus Tranſiluaniae Princeps*, ob immaturam aetatem Regno adminiſtrando nondum cenſeretur idoneus, Rex ſimul et Princeps tres anno 1583. rerum agendarum in Tranſiluania Praeſides, *Alex. Kendium*, *Wolffgangum Kovaſzorzium*, et *Ladislaum Somborium*, Viros delectiſſimos, conſtituit, iubetque obeunda ſingulorum munera, vt *Paullus Gyulanus*, ab Epiſtolis ſecretis, exquiſitae doctrinae ac prudentiae Vir, non modo in ordinem ſcriptotenus redigat, et in Tabulas referat publicas, ſed has ipſas conſtitutiones regias mox in Tranſiluaniam deportandas, Principi Iuueni, regni proceribus in copioſo incolarum

rum

rum conſeſſu praelegat, explicetque conſtanti lege obſeruandas. Legitur Diſpoſitio illa integra, Wolffg. Bethlenii Hiſtor. Tranſſilu. Libro VI. pag. 365. ſeqq. inſerta.

3) *Epiſtola ad Georg. Sibrik, arcis M. Varadienſis Praefectum recens conſtitutum exarata.* Dum ſcilicet *Ioannes Getzi*, arcis, vt vocatur, Capitaneus Varadino ad obeunda Gubernatoris munia in Tranſiluaniam euocaretur, et in eam ſtationem *Georgius Sibrik*, virtute, manu et audacia Vir inter Hungaros clariſſimus, iuſſu Regis Stephani introduceretur; in Symbolum conteſtandae ſuae erga Sibrikium amicitiae *Paullus Gyulai* ex aula Regia Niepolomicenſi ad d. 29. Aug. an. 1585. exarauit Litteras, tanta cum accuratione tribus hic tractationum capitibus. *Nouitius ſum; Getzio ſucceſſi; Varadino praeſum* abſolutas, ut digna habita ſit Epiſtola multiiuga eruditione referti ſſima, quae recens electis arcis M. Varadinae Praefectis toties praelegeretur ſerio ruminanda. Quia duas fere explet philyras, non taedebit nos ultima duntaxat illius verba hic repetere: „ Ego TE hisce Litteris „ meis perinde Tractaui, atque Q. Cicero „ Marcum Ciceronem, fratrem ſuum, vel „ Saluſtius Iulium Caeſarem: Quintus Cice- „ ro conſcripſit. Codicillum Marco Cice- „ roni, quomodo Romanum conſequi poſſit „ conſulatum, qua in re multos Quintos „ praecelluit eruditione Marcus; Saluſtius „ vero Iulium victorioſum, ac ſapientem

„ imperatorem infirmabat in eo, quomodo „ imperium Romanum in bonum ordinem „ eſſet redigendum. Si igitur illis gratum „ erat Conſilium ab imperitioribus animo „ ſincero datum, tu quoque recipe a me „ conſilium licet minus neceſſarium —. — „ ego enim ad proſperrimam, et praeclaram „ nominis tui famam inſtaurandam libenter „ omnia, quae ſcirem, et dicerem, et ſcri- „ berem. Vale." Translatio opuſculi Hungarica a *Michaële Tſepregio Turkovics* titulo: *Tanátſi Tükör*, id eſt, *ſpeculum Conſilii*, adornata, Cibinii an. 1663. in 4. in lucem exiit; Latine vero, vt fuit ſcriptam, *Wolffg. Bethlenius* Comes, Hiſtor. Tranſilu. Libro VI. pag. 370. ad 378. publicauit (*)

ARTI-

(*) Laudatam toties hanc Wolffg. Bethlenii, Comitis, Rerum Hungarico - Dacicarum Hiſtoriam Koehleri auctoritate in ſuis Münzbeluſtigungen decepti ita raram eſſe pronunciauimus Biograph. Medic. Hungar. Cent. II. part. I. pag. 91. vix quaſi tria quatuorve illius in vniuerſa Hungaria amplius ſupereſſent exemplaria: quum vero in vicino nobis Comitatu Szathmarienſi apud Virum Praenobilem, Kengyelium vnum, alterum apud Kazzaium Noſtrum in Catalogo Librorum Feſtetitſiano autem ſolo duo exſtare nos ipſi poſtliminio cognouerimus exempla praeter nouem illa a Godofr. Schwartzio viſa et commemorata in Relatione Hiſtoriar. Hungaro - Dacicar. Wolffg. Bethlenii, Lemgov. an. 1774. in 4. plag. 3. edita, et mox in Ephemerid. litter. Vindobon. anni eiusdem Partic. XXVII. recen-

ARTICVLVS XXI.

Haskonivs aliter *Aſcanius Pannonius* (*Michaël*) Nobili inter Hungaros ortus familia Neoſolii in lucem ſuſceptus, ubi parentes honeſtam tolerauerunt vitam. Ab ineunte ſtatim pueritia clari ingenii in eo emicarunt igniculi, quos ſedula magiſtrorum in gymnaſio patrio cura ad multiiugae eruditionis ſplendorem perduxit. Dum ad perſcrutanda ſcientiarum penetralia ſtudia ſua convertiſſet, Pragam ſe contulit, vbi celeberrimorum id aetatis virorum conſuetudine et doctrina vſus, an. 1620. die 5. Mart. Doctoris Philoſophiae dignitatem ſuſcepit. In Hungariam labenti tempore redux inſignem illam Doctrinae vim, qua ipſe pectus impleuerat,

---

recenſita. Si cui volupe fuerit e typothetarum numero rariſſimos juxta ac pretioſiſſimos hos Bethlenii Libros iniuria temporis interruptos, et in hunc vſque diem mancos, in lucem revocare integros, is vnice Schwartzii et Cornideſii Noſtri iunctis operis id efficere poſſe nouerit, quorum ille Codicis typo exſcripti continuationem genuinam ad an. 1609. hic vero ab indicato hoc ſtatim anno ad reliqua tempora productam in MScto poſſideant: id vero, quidquid fuerit operis, tanto felicius conſecuturum non vano praeſagimus augurio, ſi Samuelis quoque Grendzey lucubrationes MSctas in fol. ſub titulo: *Continuatio Wolffg. Bethlenii Hiſtoriarum* in Bibliotheca Feſtetitſiana latentes conſuluerit. Has Hiſtoriarum harum latebras verbo indicauiſſe ſufficiat.

rat, in alios coepit transfundere, Solnenſi enim ſcholae moderandae praefectus humaniores litteras inſigni auditorum frequentia Iuuentuti ſcholaſticae publice de ſuggeſtu tradidit teſte Io. Reſikio in Gymnaſiologia Hungar. MScta. Verum exortis in Patria turbis, et ſeditioſorum turbine abreptus, natale ſolum deſerere coactus, et Tübingam delatus, an. 1637. d. 19 Maii Albo Pro-Rectoris Academiae hunc in modum nomen inſcripſit: *Michaël Aſcanius Solnenſis Pannonius, Med. C.* et mox impetrata atque accepta ſolemni ritu a Luca Oſiandro Tubingenſi Medicinae licentia, per varios viarum ambages circumductus reuertit denuo ad patrios penates, et oblatis luculentis conditionibus, in aulam Sereniſs. Tranſiluaniae Principis Georgii Ráhotzii Senioris ingreſſus, ampliſſimo et fructuoſo archiatri munere annis pluſculis proſpere fungebatur, nam dum Matthias Platani Rector Scholae Brzeuicenſis an. 1648. in Ianuar. Bartphae a Martino Wagnero ordines ſacros ad paſtoratum eccleſiaſticum ſuſciperet, ita de eo ſcripſiſſe legimus in Ind. Mart. Wagner. num 63. *Solnae praeceptore vſus ſum viro t. t. doctiſſimo, nunc Medicinae Doctore apud Celſiſs. Principem Tranſiluaniae D. Haskonio.* Sed exortis mox in ea quoque regione, vt fere ſolebat, bellis ciuilibus, ſolum vertere, aliasque terras perſequi, alium familiarem larem quaerere induxit in animum, relicta itaque Tranſiluania Trentſchinium futuram fortunarum ſuarum Sedem delegit, atque ita Patriae

triae dum operam ſuam ac medendi peritiam denuo impenderet, familiam aucturus, viſam ſibi per ſomnium formoſo corpore Puellam, panem publice in foro vendentem, duxit in matrimonium, ſed fato ita infelici, teſte eodem Reſikio l. c. vt nemo ita acerbam ſibi obtingere vitam optauerit. At Szakolcenſes ob perſpectam ſibi dudum Viri integritatem non modo, ſed et medendi peritiam, eumdem poliatrum expopoſcerunt, qua in ſtatione ſumma civium benivolentia ſemper vſus ad finem vſque vitae perſeverauit. Ad Linguae Graecae et Latinae peritiam haud ſane vulgarem adjunxit Poëſeos quoque cultum adeo felici euentu, vt non modo illuſtrem lepidiſſimi Vatis Apollinei famam, ſed ſummorum etiam Virorum benivolentiam conſequeretur. Symbolo παντα μα κονης conſtanter vſum fuiſſe, idem laudatus Gymnaſiologiae compilator retulit in litteras, adiecitque ſimul Eum in exercendae Medicinae munere Collegam, in curandorum aegrorum labore ſocium, in familiari conuictu intimum nactum fuiſſe *Ioſephum Securium*, Medicinae Doctorem Virum Szakoltzienſibus ob medendi dexteritatem aeque acceptiſſimum; de quo Ioannes Burius duodecim annis ab Eccleſia Carponenſi exſul in Hiſtoria ſua Eccles. *Micae Burianae* titulo nota pluribus verbis narrat, Eum *Ioanni Drabitio*, famoſo illi impoſtori, in extremo vitae periclitantis certamine conſtituto, ſalutaria ſuppeditaviſſe ad Concilium coelitum feliciter ex hac colluvione emigrandi conſilia,

dum

dum is Poſonii crimine laeſae Maieſtatis conuictus capite prius et manibus truncatus, igni crematetur vna cum falſis ſuis reuelationibus et putidis emotae mentis atque imaginationis ſomniis, quae *Ioannes Amos Comenius* tamquam diuinitus inſpirata oracula ſerio ſuſpicere ac Publico etiam obtrudere auſus eſt veſano ſane conſilio in Libro Amſtelodam. an. 1657. in 4. foras emiſſo: *Lux in tenebris, hoc eſt, Prophetiae donum, quo Deus Eccleſiam Euangelicam ſub tempus perſecutionis extremaeque diſſipationis paterne ſolari dignatus eſt. Submiſſis de ſtatu Eccleſiae Chriſtoph. Cotteri, Chriſt. Poniatouiae, et Nic. Drabitii Reuelationibus ab anno 1616. vſque ad an. 1656. continuatis, et e vernaculo in latinum ab Io. Amos Comenio translatis.* En ad aperturam Libri huius fato inopino pag. 37. incidi in *Aſcanium* noſtrum Principis Tranſiluaniae Georgii Rakoczii I. Medicum et aulicum et caſtrenſem, ibidem in Reuelatione XXXII. an. 1645. d. 4. et 5. Aug. obtenta, talia de illo leguntur: Drabitium a familiari genio ſuo inſtigatum in caſtra Georgii Rakoczii I. in Comitatu Trencſenienſi prope arcem Branecz metata profectum fuiſſe, vt *Oleum Vnctionis Olei Balſamini* a Pharmacopoeo caſtrenſi circumferri ſolitum effunderet ſuper caput Principis mox noua R. Hung. corona Poſonii redimiendum, atque Reuelationes ſuas fulgida ſed inani ſpe turgentes Principi belligeranti tradidiſſe examinandas; quas dum *Aſcanius* noſter, Medicus Caſtrenſis in Latinum ſermonem e Slauico, ita iu-

iubente Principe, tranſtuliſſet, atque praetorianis Miniſtris praelegiſſet, cognita vaticiniorum ne triobolo quidem dignorum vanitate, mature e caſtris diſcedendi conſilium ſalubre Drabitio Impoſtori, ni male ſtare vellet, eodem *Aſcanio Medico* interprete, ſubminiſtratum eſſe. Qua de cauſa e gratia Principis *Aſcanius* haud ita multo poſt exciderit, non refertur, quanta vero Ferdinando III. Imperat. atque Regi, eiusque uniuerſae Auguſtae Domui iam iam immineant pericula, futilibus ad nauſeam vſque nullo ſubſecuturo euentu enarratur verbis. Pudet nos Librum nauci et nullius prorſus frugis manibus contrectauiſſe, vel tantillum temporis legendo impendiſſe iam nos poenituit. Faceſſant ad malam crucem vltra Garamantas et Indos, Scriptores huiuscemodi nugiuenduli. Infamem Librum ab eodem Comenio miſſum in compendium, abſque indicio loci (Amſteled.) an. 1659. in 4. typis exſcriptum, ab Amico benivole communicatum ac tutum remiſimus, veriti ne vel ſolo adtactu manus noſtrae polluerentur.

OPERA.

1.) *Praeſtat ne foris hoſtem adoriri, an eum domi exſpectare?* Quaeſtionem hanc et axioma Praeſide Dan. Baſil. Deutſchenbergkio, I. V. D. et Matheſeos Prof. Maſcule propugnavit Noſter, dum in Academia Pragenſi prima Philoſophiae Laurea d. 5. Mart. an. 1620.

1620. ſolemni ritu inſigniretur. Ab Amicis varia ſunt carminum genera recitata, typis Strzibrzkyanis impreſſa, quorum vnum ſaltim exſcribam Michaëli Aſcanio Pannonio Solnenſi, Achati fidiſſimo a Zacharia Hermano boni nominis et ominis ergo appoſitum:

Sic mihi praeſentes ſint ſemper ab aethere Diui,
Et mea veridico lumine verba notent.
Dixi ego dum Phoebi Peneide cingerer olim
Aſcanl hac eadem Tu quoque cinctus eris.
Factum ita, non tenerum luſit mens prouida Vatem,
Iam multos inter Tu mihi primus ouas.
Ergo velut late diffundit Laurus odores,
Doctrina ſic tu ſidera celſa feri.

W. Clemens Zebra vero ita ſuum gratulatorium Carmen exorſus:

Omnis in Aſcanio ſtat cari cura Parentis,
Virtutum vt cumulet nobilitate genus.
Omnis et in Natis ſtudii ſtat Cura Parentis,
Vt ſtudii gemmis quilibet auctus eat.

Cetera repetere non licet, vt iam nec illud, quod M. Ioan. Baſtnerus, Neoſolinus Hungarus Symmyſtes, occinuit.

2.) *De Tormentariarum plagarum Natura.* Diſſertatio, edita Tubingae an. 1637. in 4.

ARTICVLVS XXII.

Heldivs (*Matthaeus*) Celebris hic Hungariae Medicus, poſteaquam Doctoris Medici Inſignibus fuiſſet decoratus, et apud Tranſiluanos

nos in primis egregia artis ſuae edidiſſet ſpecimina, in aulam ſereniſſimi Principis Sigiſmundi Rákóczi adſcitus, archiatri munus, ſeculo medio ſuperiori, inſigni cum laude ſuſtinuit.

OPERA.

1.) Diſſertatio medica *De Arthritide.* Stetin. an. 1645. in 8. Vid. Mercklinus in Linden. Ren. pag. 794. Repet. ibidem an. 1648. in 4.

2.) *De Auri vegetabilis Hungarici exiſtentia.* Legitur Obſeruatio haec in Miſcellan. Nat. Curios. Dec. I. an. 1. Obſ. 131. pag. 256. Dum ſcilicet Sigiſmundo Rákoczio, in Tranſilu. Principi, an. 1651. in arce S. Patakina, Tokaiino haud longe diſſita, conſtituo dono adportarentur botri quidam acinis compactis auri atomis mire ſplendentes adeo, vt folliculi ſeu membranae exteriores auro quaſi obductae conſpicerentur, et de racemis his ab *Heldio*, vna cum Principe eo tum ad menſam adſidente, judicium expeteretur, eos manibus prius contrectando, auri obrizi Granis impraegnatos fuiſſe archiater iſte teſtatus eſt: idem labenti tempore Sachſio quoque Vratiſlauienſi Medico, oretenus retulit. Hiſtoriolam hanc Henniginus repetiit in Annot, et Obſ. ad Epiſt. Itiner. Tolii. IV. pag. 122. et *Köléſerius in Aurar. Rom-Dacica* pag. 60. In laudata hac ipſa curioſo-

rum

rum obſeruatione refertur de *Mart. Henr. Franckenſteinio* quoque, poliatro Eperieſienſi, quod ille non modo poſſederit aliquos acinos circa Tokainum inuentos auri granis impraegnatos, ſed duabus praeterea domeſticis hiſtoriolis, ad Sachſium an. 1659 exmiſſis, rem illam uberius illuſtrauerit. In Hungaria noſtra, mineralibus feraciſſima terra, aurum huiuscemodi vegetabile ſaepius conſpectum fuiſſe varii commemorant Scriptores: *Fortunius Licetus* de Spontan. Viuent. Ort. I. IV. c. 72. *Fulgoſii* teſtimonio munitus, narrat apud Sirmium Pannoniae vrbem interdum in Vitibus Capreolos eſſe repertos, vere aureos, et monetam ex iis auream cuſam fuiſſe. *Ioan. Ioach. Becherus* Metallurg. part. I. cap. 1. pag. 2. dicit ſe vidiſſe in Hungaria vitem ſupra auri venam prognatam, cuius truncus non ſolum totus aureis velut filis obvolutus fuit, ſed et in quibusdam granis ſeu acinis auri obryzi granula inuenta ſunt. Auguſtiſſimum Cimeliarchum quoque Vindobonenſe tale aurum vegetabile, inſtar fili contorti e terra prognatum, in vico Tarcza, quarto lapide a Ciuitate Eperieſienſi diſſito, inuentum adſeruare, et vnciam dimidiam cum drachmis duabus in pondere, in longitudine vero vlnam fere aequare dicitur. De Vitibus aureis in Hungaria egit pluribus *Phil. Iac. Sachs a Löwenheim* in Ampelograph. pag. 41. ſeqq. refert enim inter cetera, ante biennium ſibi exhibitos tales

les

les quosdam botros auri granulis circumveſtitos; praecipue in Tokaienſi tractu, vbi generoſiſſima vina naſcuntur, videri non raro aurum ex terra ſimul inſtar funiculi modo rotundi, modo angulati cum trunco enaſci adeo arctiſſime, vt videatur ſimul progerminaſſe, immo inſtar conuoluuli bonam partem trunci amplecti, cuius ſe ſaepius oculatum teſtem fuiſſe adfirmat. De auro puro figura arbuſtorum ex Hungaria, et fruſtulo ligni vitis cum auro adnato ex Vinetis Hungariae conferri meretur. *Muſeum Spenerianum* pag. 132. 133. *Ioannes Paterſon Hain*, Phyſicus Eperieſienſis, Aurum vegetabile, et Vites Hungariae aureas deſcripſit in Ephemerid. Nat. Cur. Dec. I. an. II. obſ. 113. plura heic loci enumerantur luculentorum hominum exempla; qui tale aurum et viderunt et poſſederunt. De auro vegetabili commentatus eſt *D. Ioan. Lud. Hannemanus* quoque in Thom. Bartholini Act. Med. et Phil. Hafn. Volum. III. obſ. X. pag. 17. ſeq. *Procopium Bonanum* quoque Camerae Reg. in Fodinis Hungariae archiatrum, plura auri vegetabilis exempla collegiſſe in *Libro de Admirandis Hungariae Rebus*, quod dolendum deperdito, Franckenſteinius et Sachſius l. c. referunt. *Cel. Köleſerius in Aurar. Romano-Dacica*, Cap. II. pag. 59. ſeq. ſcribit non infrequenter vuas guttis graniſque aureis ſuperbire, tres eiusmodi guttas ſuper extima vuae cute in vno botro apud

Comitem Georg. Banſium Gubernatorem an. 1701. contemplatum fuiſſe, aliam vuam punctis aliquot granulatis aureis ornatam, binos adhuc botros aureis guttis eleganter rutilantes ſe vidiſſe, et plures tales annuatim paſſim inueniri commemorat: ſed attentione in primis dignum iudicat acinum aureum in Vineto familiae Nalaczianae Babolnenſi, per carnem et cutem vuae translucentem, aetate ſua repertum et decerptum. Sed quis aureolas eiuscemodi hiſtoriolas vbiuis obuias ſingulas iam enumerauerit? Dum Seculis ſequioribus, neſcio quo fato, Chemici quidam magnam auri cum vino conſanguinitatem et ſympathiam eſſe, eamque ex vegetatione auri in vitibus demonſtrare poſſe ſibi perſuaderent, vulgus eruditorum, praeiudicio partim auctoritatis partim praecipitantiae deceptum, veram auri vegetantis in vuis firmiſſime credidit exiſtentiam tam diu, quoad eam *Io. Ad. Raymannus* eruditus Eperienſium Medicus Ordinarius an. 1718. in Annal. Phyſico-Medicis Vratislau. Tentam. V. M. Oct. clas. IV. art. 3. pag. 1733. et in Ephemerid. Nat. CC. Cent. IX. obſ. 45. pag. 116. omnium primus in dubium vocauit, inſtituto examine, adfixas cortici exteriori vuarum miculas nil minus quam aurum eſſe, ex abſentia characterum auri eſſentialium, grauitate ſcilicet, et fixitate in igne maxima, promptaque cum Mercurio amalgamatione, euidentiſſime demonſtrauit,

mox

mox vero an. 1741 in iisdem Ephemerid. Curioſ. Vol. VI. obſ. CXXIX. pag. 427. hanc auri vuarum vegetabilis Hungarici fallaciam vberius explicuit, aureas ſcilicet illas miculas in acinis vuarum conſpicuas non niſi ipſum vuarum eſſe perfectiorem ſuccum, qui dum per acinorum pelliculas ob maturitatem tenuiores redditas, iamque colore fulvo pulcre perlucentes, tranſudat, feruore ſolis in gummoſum, prout in prunis et congeneribus fructibus aliis fieri adſolet, inſpiſſatur et cogitur in Subſtantiam. Nos vero quo nouo exemplo hanc veram auri vegetabilis Hungarici fallaciam illuſtrauerimus, placet breuiſſimam hac ea de re ſcriptam commentationem noſtram huc tranſcribere, provt ea in Ephemeridibus litterariis Vindobonenſibus, in Theotiſcum ſermonem traducta, Partic. X. pag. 78. ſeqq. an. 1773. publicata eſt hac ſerie: *Viri Ampliſſimi, plurimum colendi!* „ Prout reliqua Scripta Veſtra hebdomadaria non ſine voluptate et vti-
„ litate lego, etc. etc. Quum Londini haud
„ ita multis retro annis Rich. Meadii, ar-
„ chiatri regii Bibliotheca inſtructiſſima ope
„ licitationis fuiſſet diuendita, Eques qui-
„ dam auratus emit in ea auctione inſano
„ pretio aurum quoddam vegetabile, dictum
„ Hungaricum, cuius is genuinam indolem
„ indagaturus, detulit illud ad amicum ſibi
„ addictiſſimum, Michaëlem Morriſium,
„ exercitatiſſimum Chemiae profeſſorem, et

„ praeceptorem noſtrum omni honoris cul-
„ tu hodiedum proſequendum. Botrus hic
„ aureus exſiccatus, qui ex Hungaria adla-
„ tus fuiſſe credebatur, habebat nonniſi
„ vndecim acinos ſuis quosque pedunculis
„ integre pendentes, quorum tribus in pel-
„ licula exteriore, his plures, illi paucio-
„ res, neutri tamen praeter quinque adna-
„ tae videbantur miculae quaedam aureae;
„ aliae lentis aliae milii magnitudinem re-
„ ferentes: opinio erat ſingulos quoque ho-
„ rum acinorum nucleos ex ſolido conſta-
„ re auro. In Laboratorio Morriſii chemi-
„ co quod in *Golding-ſquare* ſuis ille ape-
„ ruerat diſcipulis, ſingula per partes ad
„ ſeuerum reuocata ſunt praeſente dicto ſu-
„ perius Viro quoque nobiliſſimo examen,
„ primum micula vna maximae molis, mox
„ plures, tandem omnes forinſecus accino-
„ rum pelliculis adhaerentes; aeque actum
„ eſt cum eorundem quoque nucleis ex or-
„ dine ſingulis: at inter amalgamandum
„ Mercurio currenti depurato nihil horum
„ vlla arte conſociari potuit, liberrime
„ ſemper innatabant, inſtrumento hydroſta-
„ tico impoſita, genuini auri volumini gra-
„ uitas ſpecifica prorſus non reſpondebat,
„ nec flammas lampadis ope tubuli flatu
„ impulſas, nec ignem reuerberii in furno,
„ ne dum leuiorem quemquam chemicum
„ diu ſuſtinere poterant. Spurium itaque
„ hoc Hungariae aurum, quicquid erat,

„ omne

„ omne abiit in fumos et Cineres, vna cum
„ Libris Sterlingicis quam plurimis, quibus
„ nuper admodum diues naturae indagator
„ illud coëmerat. Quum Profeſſor iſte mul-
„ ta in rem hanc eruditiſſime diſſereret, et
„ eleuato modicum cachino, omne huiusce-
„ modi, quidquid circumferretur Hungari-
„ ci nomine, Aurum vegetabile turpiter
„ exſibilaret; patriae honorem theſaurum-
„ que in media adſtantium corona, quodam
„ modo tuiturus, enumeraui Viros Patriae
„ Eruditos, quos mihi Aduerſaria eo tem-
„ pore ſuppeditare poterant, plurimos;
„ Matthaeum Heldium, principis Sigiſmun-
„ di Rakoczii archiatrum, Mart. Henr.
„ Franckenſteinium, et Ioan. Paterſonium,
„ vtrumque Eperieſienſium poliatrum; nec
„ non Procopium Bonanum, Caeſareo-Re-
„ gium in metalli fodinis Hungariae archia-
„ trum, aliosque plures patriae Ciues eru-
„ ditione conſpicuos, Principes puta, Co-
„ mites, Nobiles Hungariae, qui tale Hun-
„ gariae aurum vegetabile oculis luſtrarunt,
„ manibus contrectarunt, poſſederuntque,
„ quorum potiſſimum longam nobis ſeriem
„ Ephemerides Nat. Curioſ. Decur. I. An.
„ I. obſ. 131. et An. II. obſ. 113. vna cum
„ hiſtorica enarrat. ſuppeditarunt. Hiſtorio-
„ las eiusmodi, vel aniles potius fabulas,
„ regeſſit praeceptor meus, infinitus paſſim
„ apud Scriptores poſſe promiſcue inueniri
„ noui optume, at omnes nonniſi familiari

 „ homi-

„ hominibus, eruditis etiam plerisque, vi-
„ tio, praeiudicio ſcilicet auctoritatis vel
„ praecipitantiae niti, certiſſimis iam ante
„ hoc pridem edoctus ſum argumentis; ali-
„ ter mecum fuiſſent omnes ii boni Viri
„ ſenſuri, ſi modo, ad oculos vobis ex le-
„ ge artis nunc demonſtrato, ſuum Aurum
„ putatitium tractare didiciſſent.. Nihil du-
„ bito, pergebat in ducendo ſermone Vir
„ experientiſſimus, quin etc. " reliqua huc non pertinent. Ex dictis his euidentiſſime perſpicitur, eo nos adducto tentamine Morriſiano digitum vnice intendiſſe, vt opinio magno in Hiſtoria naturali adſenſu recepta de vera auri vegetantis in vuis hungaricis exiſtentia, a Raymanno noſtro l. c. exploſa, nouo iterum hocce documento falſa omnino eſſe demonſtretur. Diffitendum quidem non eſt, quantum Chemia veri nominis circa ſubtiliſationem, volatiliſationem, et penetrabilitatem auro conciliandam praeſtare valeat, argumenta quoque a *nupero Viro Patriae eruditiſſimo* ex ſublimiori Metaphyſica, et principiis Becheri potiſſimum, ſingulari eruditionis adparatu pro ſtabilienda auri vegetabilis poſſibilitate congeſta, ſpeciem omnino habere; aſt animo alte hodiedum infixum teneo, quod olim in Scholis me didiciſſe meminerim, a *poſſe ad eſſe neutiquam valere conſequentiam*. Magnum profecto inter furni chemici et naturae ignem intercedere diſcrimen probe vtique nouimus vniuerſi, adeo

qui-

quidem vt natura certe talem caloris gradum immediate adhibere, eumdemque ad normam artis moderari non poſſit, ne quidem eamdem ſemper adſequi vel imitari valeat, quod *Celeb. Neumannus* ſalis alcalici fixi, et ammoniacalis exemplis egregie docuit, quorum neutrum Natura absque adminiculis artis, ſponte ſua, generare poterat, in Spiritibus perinde inflammabilibus, in primis depurationibus, ſeparationibus, homogeneisque mineralium et metallorum collectionibus naturam deficere, artique cedere debere luculenter *Stahlius* demonſtrauit. Oportet itaque nos obſeruare potius, quid Natura re ipſa agat, quid faciat, quam ſpeculari, quid pro vnius cuiusque ingenii foecunditate, et iudicii praecipitis facilitate exſequi valeat; ita futurum eſſet, nos plus verae ſcientiae practicae, et minus vanae opinionis adquiſituros atque poſſeſſuros. Inter deſiderata utrique Naturae merito referendae ſunt illae miculae aureae in acinis vuarum ſplendentes, quae non niſi, vt ſuperius monuimus, ſuccus ſunt vuarum inſpiſſatus, et in gummata minutiora concretus perinde vt ſunt prunorum et ceraſorum gummata in arboribus conſpicua: *Iacobus Horſtius*, vt ſatis ſuperque notum eſt; *aureum pueri Sileſii dentem* cum *Rulando* ceterisque ſequacibus ſuis admirandum Naturae phaenomenon exſtitiſſe integro libro docuit, tale eſſe credidit tupidum vulgus tam diu, quoad *Io. Ingol-*

ſteterus integro commentario Lipſ. an. 1596. in 8. edito aureum hunc dentem Sileſiacum non niſi luſum naturae eſſe demonſtrauerit, manus enim periti artificis omnem fraudem detexerat. Tantum itaque intempeſtiua fingere ſubinde poteſt credulitas, vbi raritas potiſſimum, quae filia plerumque eſt ignorantiae, pretium et admirationem rebus conciliauit. *Nimium ergo* cum poëta loquendo, *ne crede colori*, non quod ſenſus et oculi te fallant, ſed quod iudicii tibi imponat praecipitatio. Referantur licet, ſi volupe viſum fuerit, vuarum Hungaricarum nuclei quoque aurei inter credenda phyſico-chemica perinde ac *Rappii* ex alis cantharidum, et *Becheri* ex virgulis Tamariſci certa encheireſi paratum aurum, vt nugatum eſt, nobiliſſimum: abſit tamen procul a nobis, vt ab examine rerum recedentes, minutorum philoſophorum, quidvis caeca fide credentium, teſtimoniis illico adquieſcamus. Nemo interim exiſtimet, velim, nos omnem prorſus auri vegetationem velle ex hoc capite pernegare, qualem *Belius*, *Marſiglius*, *Tollius*, *Henninius*, *Köleſerius*, alii produxerunt, quum conuoluuli inſtar tale aurum arboribus, vitibus, immo et ſegetibus non numquam adhaeret; accepi ipſe ante pluſculos annos eam fili vere aurei portionem, integri numi aurei noſtratis pondere, a nobiliſſimo *Liedemanno*, Viro Senatorii ordinis Georgenbergenſi, quod *Teplitii* in ſcepuſio

ſlo an. 1772. inuentum, et in Relationibus litterariis Vindobonenſibus *Anzeigen* inſcribi ſolitis eiusdem Anni Part. XLV. et XLVI. vulgatum eſt: parauerat ex aureo filo hoc Teplicenſi, ſpithamam fere longo, peritus aurifaber noſter *Büttöſius* pro vſibus domeſticis meis annulum, ornatum pretioſiſſima gemmula, Rubino, Hygieiae, Aeſculapii Filiae, effigie affabre ſignato, nuper in ruderibus antiquae Poeoniae Pannonicae ad Comaromium inuento, et a Clar. D. *Stephano Wali*, diſertiſſimo Almaſienſium V. D. Praecone mihi donato. Maximopere interea, a parte altera cauendum eſt, ne quoduis promiſcue aurum filamentorum inſtar productum, in terrae ſuperficie repertum, vel e viſceribus eiusdem erutum, illico pro auro vegetabili venditetur; quale Conſilium ſatis ſalubre nobis dediſſe legimus perſpicaciſſimum Virum Patriae anonymum in laudatis Ephemeridibus an. 1774. Part. XXV. tale filum aureum in agro Popradenſi inuentum, deſcribentem: is fila huiusmodi aurea in gyrum contorta non modo equis, ſed hominibus quoque militantibus potiſſimum, pro more gentis Hungaricae ſeculis ſuperioribus ornamento inſeruiiſſe non ſine ratione, vero quam ſimillima, opinatur. Verbo duntaxat liceat nouiſſime id quoque monuiſſe, inde unice hanc auri vegetantis in vitibus Hungariae, Tokaiienſibus in primis, eſſe forte enatam vulgi opinionem, quod terram

Tokaienſem variis particulis metallicis, aureis in primis, ob praeſtantiam ſuam in, praegnatam eſſe minuti philoſophi a longa annorum ſerie crediderint: ſed omnes farinae huiuscemodi homines, *Cl. Io. Georg. Siegesbekium*, Magdeburgenſium Medicum praecipue, *Dan. Fiſcherus*, *Keſmarchienſis Ciuitatis Phyſicus, in Tractatu Medico-Phyſico, de Terra Medicinali Tokaiienſi, a Chimicis quibusdam pro ſolari habita*, Vratislau. an. 1732. in 4. plag. 19. edita, egregie refutauit, neque aurum vlla arte inde elici poſſe, neque ſingulare ſulphur ſolare agnoſcere, teſtatus. Licebit interim ſermonem longiuſcule productum celebratiſſimi nuper apud Berolinenſes Chemici Caſp. Neumanni, viri in Rep. litteraria notiſſimi, teſtimonio iam claudere, qui Chemiae ſuae Medicae, dogmatico experimentalis Tom. IV. part. I. cap. 8. §. 4. pag. 547. a Chriſt. Henr. Keſſelio Zillich. an. 1754. in 4. edit. omne aurum vegetabile, e vitibus enatum non niſi ad aniles refert fabulas.

ARTICVLVS XXIII.

Ioannes et Thomas. Duos hos priſcos Seculi XV. Medicinae Doctores, vtrumque ex ordine cleri, priorem Huntenſem, alterum Nitrienſem Archi-Diaconum, aetate Sigiſmundi Regis in Hungaria floruiſſe innotuit ex Litteris Nicolai Olahi, Archiepiſcopi Strigonienſis,

Po-

Poſonii prima menſis Februarii an. 1556. exaratis, et ſigillo pendenti roboratis; quibus Diploma Vener. Capitulo Poſonienſi a *Ioanne Palotzio*, Archi-Praeſule Strigonienſe an. 1425. impertitum de nouo confirmatur. Vtrumque inſtrumentum hoc litterarium legitur apud *Car. Péterſium* S. Conciliorum Regni Hungar. Part. I. pag. 182. ſeqq. e tenebris in lucem productum. Dum ſcilicet *Ladislaus Sos*, Praepoſitus Poſonienſis, litem diu multumque in eadem Eccleſia agitatam, et in Synodo Strigonienſi dioeceſana ſub Sigismundo Rege et *Ioanne Kaniſai* Archi-Epiſcopo Strigonienſe, annis 1390. et 1393. conuocata ſopitam, iterum an. 1424. reſuſcitaret, velletque *ius conferendi beneficia intra aeque ac extra muros Poſonienſes ſibi attribuere, atque ab obitu Canonicorum pro delectu ſuo heredem ſe conſtituere, ſacrosque praeterea liquores cum aliis coetibus ſacris communes auſu nefario ad ſe pertrahere*, in componendo graui hoc, quod inter Praepoſitum, atque loci eiusdem Capitulum Canonicosque vigeret, diſſidio domeſtico Archi-Epiſcopus Strigonienſis, *Georgius Palótzai*, pro animi ſui aequitate quam definitiuam tulerit Sententiam ex litteris, manu et Sigillo illius munitis l. c. in apricum eductis poterit optime cognoſci, quarum vltima verba loco hoc repetere concinnus dicendorum ordo hoc a nobis iam requirit: *Lecta et lata, et pronunciata eſt haec Sententia definitiua in porticu almae Eccleſiae Strigonienſis circa altare S. Nicolai Confeſſoris, anno Domini* 1425. *indictione*

ne

ne tertia, die vero 20. menſis Ianuar. Pontificatus S. in Chriſto Patris, D. Martini, diuina prouidentia Papae quinti, anno octauo. Praeſentibus ibi honorabilibus et egregiis Viris Dominis Martino S. Georgii de viridi campo Strigonienſi, et Paulo S. Thomae Martyrum de promontorio Strigonienſi, Eccleſiarum Praepoſitis, Thoma Decretorum Nitrienſi, et Magiſtro Ioanne, artium Profeſſore, in Medicinis Doctoribus, Huntenſi, *Andrea Komaromienſi Georgio Zolienſi* Archi-Diaconis; *Andrea de Scepus, artium liberalium Profeſſore, Emerico de Tolna, et Franciſco de Canonicis, Eccleſiae Strigonienſis praedictae nec non Stephano Plebano Eccleſ. S. Regis Ladislai de noua ciuitate Strigonienſi ſpecialiter rogatis, et aliis quam pluribus perſonis fide dignis ibidem tunc praeſentibus.* Ex adlatis his perlaudatum Péterfium Litteris manifeſtiſſimum eſt *duos* hic in teſtimonium rerum, aeuo illo in Eccleſia Poſonienſi geſtarum, adduci *Doctores in Medicinis*, alterum *Thomam*, prout pag. 184. vberius explicatur, Decretorum quoque Doctorem, Archi-Diaconum ſimul Nitrienſem, et Canonicum Strigonienſem atque Vicarium; alterum vero *Magiſtrum Ioannem*, Medicum noſtrum, artium Profeſſorem, atque Archi-Diaconum Huntenſem. (*)

ARTI-

(*) Vterque hic Archidiaconus, non modo Doctor in Medicinis, ſed ſimul etiam ille Decretorum, hic Artium liberalium adpellatur Profeſſor. Sed vbi

Digitized by Google

ARTICVLVS XXIV.

KHIEN *Ferdinandus* patria Nouiſolienſis Hungarus, poſteaquam Eperieſſini artis pharmaceu-
ticae

---

vbi quaeſo, et in qua Studiorum Vniuerſitate eos bis gemino hoc Profeſſoris munere functos fuiſſe dixeris? Duobus in locis aetate illa *Studium Generale*, quod nos hodie Studiorum Vniuerſitatem vel Academiam vocamus, in Hungaria floruiſſe certis non modo domeſticorum, ſed etiam exterorum Scriptorum documentis ſuperſtitibus comperimus; *Quinque-eccleſienſe* puta *Studium Generale*, dictum *Ludouicianum*, an. 1360. a Ludouico I. Rege noſtro excitatum, et quadriennio poſt ab Innocentio VI. priuilegiorum tabulis roboratum, nec non *Budenſe Sigiſmundeum*, an. 1386. conditum, a Bonifacio IX. confirmatum; hocne vel illo altiorum ſtudiorum domicilio iam exemplo *Bononienſium* in Facultates ita dictas partito, aut vero perantiqua illuſtri illa *Schola Vacienſe a S. Ladislao* fundata, Profeſſoris munia geſſerint noſtri hi Archidiaconi, quis in tanta rerum patriarum caligine definiuerit? Certius id eſſe noueris olim ad officium dignitatemque Archidiaconorum exornandam, teſte *Concilii* quoque *Trident. Seſſ. XXIV. cap.* 12. non niſi Magiſtros in Theologia, vel Doctores in Iure Canonico admotos fuiſſe, et quidem e numero *Magiſtrorum Canonicorum*, qui verbo ſcriptisque docere ſunt obligati, vt haec nos egregie docuit *Ad. Balthaſ. Kerchelich* de *Officio Archidiaconi*, Zagrab. an. 1772. in 4. plag. 3. edit. et quia vnice penes Clerum ſtaret omne Magiſterium, non modo Theologicis, ſed iuris quoque non minus quam Medicinae ſtudio, tamquam ſcientiis prae Theologia

forte

ticae tirocinium in Officina Ioan. Weberi, Caeſareo-Regii pharmacopoei, cuius filiorum ephorum

---

forte vtilioribus, idem vnice ſolus operabatur. Poſteaquam vero per Concilia et ſacros canones, vt notum eſt, Studium hoc Medicinae clero tractandum interdiceretur repetitis vicibus, coeperunt ſenſim bonas litteras negligere adeo quidem, vt qui antea eſſent *Magiſtri*, labenti tempore redditi ſunt diſcipuli Monachorum, qui ne vmbram quidem eruditionis cuiuspiam habere cenſerentur. Quia vero in deploranda eruditionis haec incidimus diſſerendo tempora, liceat bona L. B. venia Hiſtoriam Medicorum, miſſam in compendiolum ob oculos hic ponere: Primorum Caeſarum Romanorum archiatros, ex iis *Caſſios*, *Carpitanos*, *Aruntios*, *Arbutios*, *Rubrios*, tanto in pretio olim habitos fuiſſe teſtis eſt *Plinius Hiſtor. Nat. Lib.* 29. Venet. an. 1469. curante Io. Spira edit. in fol. vt ducena quinquagena IIs. id eſt 7812. ſolidos nummos Imperiales pro annua mercede receperint; immo ab ipſis quoque Imperatoribus Chriſto devotis Senatorii quoque ordinis dignitatem obtinuerint: hac blandientis fortunae felicitate in tranſuerſum abrepti, vulnerum ac vlcerum deligationes vna cum reliquis operationibus chirurgicis deſpicatui habere coeperunt, easque mox non niſi *ſeruis Medicis* tractandas reliquerunt. Poſt deletum omne Romanorum nomen inde a Seculo VII. vſque ad XIV. denſiſſimis artium et ſcientiarum tenebris vniuerſus orbis in tantum obnubilatus eſt, vt vix aliqua litterarum amplius adparuerint veſtigia, atque ſeculo octauo et quatuor ſequentibus non niſi Arabum Medicis, *Meſue*, *Serapione*, *Auicenna*, *Auenzoare* et *Andromacho* Graeco ſtudium medicum exercentibus, *I. Freindio* in *Hiſtoria Medic. Part. II.* ita nos docente.

Verum

rum egerat, feliciter abſoluiſſet, ſtudii medici continuandi cauſſa anno 1662. Vittebergam pro-

Verum enimuero Seculo XI. cepit aliqua lux Arti medicae in Monte Italiae Caſſinenſi adfulgere, quo *Conſtantinus* dictus *Africanus* ſpretis Roberti Calabriae principis aulae delitiis, vitae monaſticae litaturus ſemet contulerat, atque in *Monaſterio S. Benedicti* ibidem florenti artem medicam reſuſcitaret: cuius dum Alumni non modo Medicinam ſed et clinicen atque chirurgicen promiſcue profiterentur, ſedibus propriis haud contenti, longe lateque euagati ſunt, et mox relicto monte Caſſinenſi vrbem Salernitatem ingreſſi, locum agendis rebus ſuis commodiorem multo delegerunt, atque notiſſimam orbe vniuerſo *Scholam Salernitanam* condiderunt, et ſic Medicorum latifundia occuparunt, ſoliſque iuribus ſuis vniee obnoxia illa reddiderunt, vt aperte monſtrat Catalogus Medicorum aeui illius a *Georgio Matthiae* in *Conſpectu Hiſtor. Medic. Chronologico* nominum tenus contextus. Diuerſa prorſus Rei medicae erat facies apud Pariſienſes, ob exercitio Medicinae practicae omnes Monachi fuerunt excluſi, Medicis non niſi ſecularibus licuit eſſe Vniuerſitatis membris, tota enim ſchola Pariſienſis fuit Theologica, verita eſt maximopere, ne ſanguis humani profuſione, quam Chriſtiani inde ab exordio coetus ſui auerſati ſunt, profanaretur. Crebris tamen labenti tempore ſollicitationibus effectum eſt, vt etiam Medici inter membra Vniuerſitatis cooptarentur, ea tamen lege, vt in morem Doctorum decreti, id eſt, Profeſſorum Iuris, vitam agerent caelibem, et ne chirurgiam vmquam adtingerent: quare praxis chirurgica et quidem tota quanta anno mox 1436. ſolis laicis relicta eſt, exercenda. Quum vero chirurgi hi absque ſalutari ſangui-

profectus, et heic loci quinquennio poſt Lauru medica condecoratus eſt: vbi vero in patriam tellurem repedaſſet, Lib. Regiaeque Civitatis Eperieſienſis Phyſicus Ordinarius renunciatus eſt, quo munere annis compluribus rite functus eſt.

OPERA.

1.) Diſſert. *De Phrenitide.* Praeſide Conr. Vict. Schneidero Vitteb. an. 1666. 4.

2.)

ſanguinis humani profuſione artem ſuam chirurgicam profiteri nequirent, ad eluendam, quam ſuperſtitioſi quique ſacri ac profani ordinis homines inurere adtentabant, maculam putatitiam, certa inierunt ſodalitia, *Confraternitates* dictas, in honorem S. Coſmae et S. Damiani inſtitutas, hac, captandae aurae popularis cauſſa, ſibi poſita lege, vt aegris, ipſo cuiusuis menſis Kalendarum die a finito cultu ſacro matutino ſibi obuiis, auxiliatrices manus absque vlla mercede offere tenerentur: quo laudabili inſtituto non potuerant non maximam in hominum coetu ſibi ipſis conflauiſſe exiſtimationem, etc. etc. Quia vero Hungaria noſtra ad nutum reliquarum nobiliorum Europeae nationum, Italiae puta, Galliae et Germaniae vt plurimum ſe componere ſolebat, fieri non potuit, quin eadem ipſa Rei quoque Medicae apud nos eſſet facies: atque adeo ex ante dictis jam illud quoque clariſſime intelligitur, quam ob cauſam Reges noſtri vſque ad ſeculum XVI. non niſi Archiepiſcopis; Epiſcopis, Praepoſitis, Vicariis, Archidiaconis, Plebanis, et aliis ordinis ſacri Viris, tutandae ſanitatis ſuae curam commiſerint.

2.) Diſſert. inaug. med. Praeſ. D. Ioan. Strauchio, *De Syncope.* Vitteb. anno 1667. 4. plag. 6.

3.) *Epigramma votiuum*, quo Ioanni Webero, Maecenati ſuo, alterum Iudici Eperieſienſi, et Ianum Bifrontem typis Leutſchouienſibus an. 1662. in fol. edenti, Biographiae noſtrae Cent. I. art. 98. notato, ſic adgratulatus eſt:

Plato Graecorum ſupremus et vltimus auſus,
Imbutus meliore Iouis de melle cerebro,
Quam quod apis mulſit per cunas nectare ſuaui,
Dum ſenſit, magno tum cum Ioue miſcuit ora:
Si virtus oculis ſubiecta fidelibus eſſet,
Miros diuina ſpecie proferret amores.

Experior verum, formam tu concipis iſtam,
Virtutemque tibi viſam iam numen ab alto
Indulſit, ſacros quae ſic ardebat ad ignes,
Vt hos tentaret famae per culmina gradus.
Haec animo praeclara tuo caelata latebat
Forma reformaſti, qua ſic diuûm quoque formam
Vt tua fulgeret virtus multiplice lauro,
Vrbs formata virum dum te naturaque tradit,
His titulus lauris veniet, dum cura recumbit.
In te Caeſarei medica iam numinis arte.
Et cum ſit Ianus melioris margine laudis,
Apte diſponis Ianum praeferre bifrontem.
Ex his tu formis Speculum facis ipſe Refulgens;
Sic virtutis eris Speculum, ſic formaque Diuûm.

4.) *Carmen*, quo Thomam Steller in Academia Vittebergenſi ſub Abrahamo Calouio de Gratiae vocantis, iuſtificantis, Quidditate et diuerſitate diſputantem an. 1668. in 4. *Salutauit* Ferdinandus Khien, Med. Doct. Lib. Reg.que Ciuitatis Eperies Medicus ordinarius; tale illius eſt initium:

Philoſophûm pede felici qui pulpita nuper
Preſtiti amice laude parta geſtiens etc.

ARTICVLVS XXV.

Köpetzi (*Ioannes*) Illuſtris Collegii Helvet. Confeſs. addictorum S. Patakienſis duos Profeſſores, Doctoris Medicinae axiomate inclitos, Centuria Biographiae noſtrae Prima iam recenſuimus; alterum *Vitum Balſaratium* puta, et alterum *Dauidem Valerium*, tertium nunc illis e choro Medicorum adgregamus *Ioannem Köpetzium*, virum ab omni ſcientiarum genere inſtructiſſimum: qui poſteaquam inſtitutionibus famigeratiſſimi Profeſſoris Alba-Iuliacenſis Ioannis Tſere Apáczai vſus, ſtudiorum curſum domi abſoluiſſet, et artem ſalutis humanae praeſidem ſibi praecipue excolendam delegiſſet, hauſtam domi doctrinam apud exteros locupletare atque perficere ſtuduit, Franequerae Friſiorum anno 1665. inſecuturo vero ſtatim anno 1666. Lugduni Batauorum, vt Faſti vtriusque Vniuerſitatis meminerunt, inter ciues Academicos nomen ſuum profeſſus eſt: vtrobique in florentiſſimis his Muſarum emporiis Medicos

ea

Digitized by Google

ea aetate clariſſimos audiendo, tantas in Medicina addiſcenda fecit progreſſiones, non neglectis interim aliis quoque altioris indaginis ſcientiis, vt non prius Muſas deſeruerit Batauas, quam conſuetis artis ſalutaris praerogatiuis ſollemniter auctus, Doctoris dignitatem ſuſceperit. In patriam tellurem redux, non contemnendam illam doctrinae vim, qua ipſe pectus impleuerat, in alios coepit transfundere; florentiſſimo enim ea aetate ludo litterario Saros-Patakienſi regendo admotus, Philoſophiae imprimis praecepta publice de ſuggeſtu tradidit ſingulari Auditorum ſuorum frequentia: neque clarior docendo, quam morbis tollendis exſtitit. Dum aduerſa fatorum iniquitate quies Muſarum Hungaricarum in hac regione turbaretur, et de ſtatione ſua ſcholaſtica Noſter decedere cogeretur, Sereniſſimus Tranſiluaniae Princeps *Michaël Apaſius* primarium ſibi Medicum et ſanitatis Cuſtodem adſciuit, vt haec *Nicolaus Bethlen* Cap. XI *in Hiſtoria ſua MScta* in Litteras retulit. Praeclariſſimi viri huius nomen conſeruatum praeterea legimus in Hiſtor. Eccl. Hungar. et Tranſiluan. *Paulli Ember*, Debrecinenſis, pag. 597. catalogo Ill. Collegii Helv. Confeſ. S. Patakienſis inſertum. *Epitaphium*, quod *Franciſco Köpetzio*, Filio breuis aeui, Pater Ioannes an. 1673. moeſto condiderat animo, in Templo Albenſi adpenſum, *Reu. P. Bodius in Hungaro Tymbaule continuato*, pag. 108. verbis his conceptum recitauit:

Siſtimur ad metam, tereti ſine puluere mundo
Salue vix potui dicere, dico Vale.
Munde vale, vidiſſe ſat eſt, tua munera ſenſi,
Aut dolor, aut dolus eſt. In Patriam remeo.
Exuuias hic pono graues, vos flete parentes:
Pars mea non ſentit, pars meliora tenet.

ARTICVLVS XXVI.

Ladislaus Epiſcopus Magno-Varadienſis, Ludouici I. Regis Hungariae Phyſicus. *Emericum Zudar*, Varadienſem antiſtitem, poſteaquam Ludouicus I. Rex ad infulam Agrienſem exornandam translocaſſet, eumque in prouinciam Roxiae, ex Lithuanorum manibus ter vindicatam in obſequio et fide retinendam, teſte Bonfinio Decad. II. Libr. X. editionis Belianae pag. 352. cum imperio an. 1377. exmiſiſſet, anno ſubſecuturo 1378. *Ladislaum* huius nominis *Primum* coepiſſe Varadienſem Eccleſiam adminiſtrare *Reu. Martinus Szent Iványi* in Catalogo Epiſcoporum Varadienſium, *Diſſert. Parali pomen.* pag. 83. retulit, nullo tamen prorſus, prout facere conſueuit, praemunitus idoneo ad faciendam fidem teſtimonio: aſt anno 1379. Epiſcopatui Varadienſi eum inſediſſe illo Regis Ludouici certiſſime conſtat diplomate, a *Reu. Antonio Ganóczy* in *Epiſcopis M. Varadienſibus Part. I. pag.* 248. adducto, quo immunitates a D. Stephano Rege Abbatiae de Pécs-V'arad conceſſae confirmantur, cuius initium tantummodo et clauſulam pro inſtituti

noſtri

noſtri ratione repetemus: *Ludouicus Dei gratia Hungar. Polon. Dalmat. Croat. Bulgar. etc. Datum per manus Reuerendiſ. in Chriſto Patris, et D. Demetrii miſeratione diuina tituli SS. quatuor Coronatorum S. R. E. Presbyteri Cardinalis etc. Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo nono. VI. Kal. Sept. regni autem noſtri anno trigeſimo octauo. Reuerendiſſimis et Venerabilibus in Chriſto Patribus, eodem D. Demetrio dictae Eccleſiae Strigonienſis Gubernatore perpetuo, Fratre Stephano Colocenſi, Petro Iadrenſi, Vgolino Spalatenſi, Vgone Raguzano, Archiepiſcopis: Emerico Agrienſi, Paulo Zagrabienſi, Sabino Tranſiluano, Valentino Quinque-Eccleſienſi Decretorum Doctore,* Ladislao Varadienſi, *Guilielmo Iaurinenſi, Thoma Chanadienſi etc. Eccleſiarum Epiſcopis, Eccleſias Dei feliciter gubernantibus.* Hic idem *Ladislaus* Noſter, Varadienſium Pontifex eſt, quem *Eliſabetha Regina* femina pientiſſima, Ludouici I. mater, vltimae voluntatis ſuae executorem conſtituerat in Teſtamento ſuo, Budae ſexto die Aprilis anno Domini M CCC LXXX. condito, quod celeberrimus Patriae Hiſtoricus, *Georgius Pray, Annal. Reg. Hungar. Part. II. Libr. III.* pag. 147. ſeqq. integrum produxit et Reu. *Ganóczyus* l. c. p. 250. repetiit. Nos vero ea vnice excerpemus, quae ad Virtutes Ladislai noſtri quodam modo illuſtrandas pertinere arbitramur: *In Nomine Domini Amen. Nos Eliſabeth Dei gratia Regina Hungariae, Polon. Dalmat. etc. omnibus Chriſti fidelibus praeſens ſcri-*

ptum induentibus volumus fieri manifeſtum. Quod nos huius mundi varietates fore etc. Aliis Litteris noſtris ſuper noſtra teſtamentaria diſpoſitione quoad praemiſſa temporibus praeteritis conceſſa et emanata caſſantur, et annullantur, vigoribusque earundem carituris: relinquimus enim executorem huiusmodi Teſtamenti noſtri dictam Dominam Reginam, Reuerendiſſimum in Chriſto Patrem D. Demetrium, ſanctorum quatuor Coronatorum Presbyterum Cardinalem, ſanctaeque Strigonienſis Eccleſiae Gubernatorem, et Venerabilem in Chriſto Patrem, Dominum Ladislaum Epiſcopum Varadienſem, Ioannem Praepoſitum Budenſem, et praefatam Dominam Claram etc. conſtituimus: omnino vt ipſi ſimul, aut quatuor vel tres ex ipſis aliis abſentibus plenam poteſtatem habeant praemiſſa exequendi, etc. Datum Budae ſexto die menſis Aprilis Anno Domini M CCC LXXX. Aſt Ladislaum hunc, ſacri ordinis Virum, *Medicum* Noſtrum non diu rexiſſe Eccleſiam Varadienſem, eumque iam ante annum 1382. aut e numero viuentium exemptum, aut ſede ſua dimotum fuiſſe Diploma Ludouici I. indubiam facit fidem, quo Rex Sanctimonialibus D. Clarae de Veteri Buda Poſſeſſionem ——— dono dedit. Excitauit Inſtrumentum iſthoc litterarium, anno 1382. Virginibus impertitum, laudatus toties Reu. *Anton Ganoczyus* l. c. p. 256. cuius fragmentum ſaltim, ſcopo noſtro accomodatum, depromimus: *Datum per manus Reuerendiſſimi in Chriſto Patris, et Domini Demetrii, miſeratione divina tituli SS. quatuor Corona-*

ronatorum S. R. E. Presbyteri Cardinalis, Sanctae Strigonienſis Eccleſiae Gubernatoris perpetui, et aulae noſtrae Cancellarii, dilecti nobis, et fidelis. Anno Domini milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſecundo, ſexto Nonas Maii, Regni autem noſtri anno quadrageſimo primo. Reuerendiſſimis ac Venerabilibus in Chriſto Patribus, eodem Domino Demetrio, dictae Eccleſiae Strigonienſis gubernatore perpetuo, Petro Iadrenſi, Vgolino Spalatenſi, et Vgone Raguzienſi, Archiepiſcopis. Emerico Agrienſi, Paullo Zagrabienſi, Gublino Tranſiluanienſi, Valentino Quinque-Eccleſienſi, Decret. Doct. etc. Eccleſiarum Epiſcopis, *Eccleſias Dei feliciter gubernantibus. Colocenſi,* Varadienſi, *et Boſneuſi Sedibus vacantibus.* etc. etc. Iam vt id quoque, quod caput rei eſt, addamus nouiſſime: *Ladislaum* hunc, in ſerie Epiſcoporum Magno-Varadienſium XXVI[tum], *Medicum*, et quidem Ludouici I. Regis Hungariae *Phyſicum* exſtitiſſe, Diplomate, ſecundo Idus Iulii, anno 1378. ſignato, clariſſime euincitur; quo enim dum Ludouicus Rex Priuilegia Ciuitatis Claudiopolitanae confirmat, LADISLAVM Epiſcopum, PHYSICVM REGIUM, diſerte nominat. Litterarum harum Regiarum exemplum per Wladislaum II. Hungariae Regem anno MCCCCXCIII. die VII. Decembris tranſumtum, in Archiuo Conuentus B. V. M. de Kolos-Monoſtra Claudiopolitano proſtare Requiſitorum teſtimonio muniti referimus, cuius clauſulam tantummodo pro inſtituti ratione ad fidem faciendam, hic exſcribe-

mus. *Datum per manus Venerabilis in Chriſto Patris, et Domini Demetrii Epiſcopi Zagrabienſis, aulae noſtrae Vice-Cancellarii, dilecti et fidelis noſtri, anno Domini M CCC LXXVIII. ſecundo Idus Menſis Iulii, Regni autem noſtri anno triceſimo ſeptimo. Venerabilibus in Chriſto Patribus, Dominis, Fratre Stephano Colocenſis, ſacrae paginae Magiſtro, Petro Iadrenſis, Vgulino Spalatenſis, et Vgone Raguſienſis Archiepiſcopis; Emerico Agrienſis, eodemque Demetrio Zagrabienſis, Gublino Tranſiluanienſis, Valentino Quinque-Eccleſienſis Decretorum Doctore,* LADISLAO Varadenſis FYSICO NOSTRO, *Gyllerino Iaurinenſis, Petro Veſzprimienſis, Paulo Chanadienſis, Fratre Dominico Boſnenſis, Petro Vacienſis, Ioanne Syrimienſis, Fratre Dominico Nitrienſis, Paulo Tininienſis, Demetrio Nonenſis, Criſogono Tragurienſis, Matheo Sibinicenſis, Stefano Pharenſis, Iacobo Makarienſis, Thoma Corbauienſis, Michaële Scardonenſis, et Portina Segnienſis Eccleſiarum Epiſcopis, Eccleſias Dei feliciter gubernantibus etc.* En aliud quoque, ſed vetuſtius multo monumentum, quo *Ladislaum* quemdam, ad exortas de praediorum limitibus controuerſias dirimendas in Tranſiluaniam anno M CCC LXVI. exmiſſum, *Ludouici I. Regis Phyſicum* et *Artis Medicinae Magiſtrum* fuiſſe edocebimus: *Nos Ludouicus Dei Gratia Rex Hungariae etc. Memoriae commendamus tenore praeſentium ſignificantes Vniuerſis, quod quia Eccleſia Cathedralis Beati Michaëlis Archangeli Terrae noſtrae Tranſiluaniae, et eius Praelati ratio-*

ne

ne cuiusdam particulae Terrae inter villam ipſius Eccleſiae Sárd vocatam, et noſtram Regalem villam ad caſtrum noſtrum Kecskés dictum ſpectantem, Ungarice Igen, Saxonice Krapundorff nuncupatum adiacentis, quam ipſius villae noſtrae populi a multis retroactis temporibus in praeiudicium memoratae Eccleſiae, cui Terram ipſam, ſeu Terrae particulam, etiam Dominus Rex Carolus, Genitor noſter cariſſimus, mediantibus litteris ſuis ſpecialibus, per nos priuilegialiter confirmatis, reſtituerat glorioſe, indebite totaliter occupatam detinuerunt, et ea potentialiter vſi fuerunt vſque modo, incommoda paſſi ſunt, et diſplicentiarum genera perceperunt hactenus infinita, populi etiam praedictarum ambarum villarum in vſu iam dictae Terrae contra ſeſe decertantes multos inuicem conflictus, et plurimorum hominum ex vtraque parte mortificationes commiſerunt, prout haec omnia euidenter ſunt patefacta Noſtrae Maieſtati. Igitur Nos cupientes perpetuam inter ambas illas partes pacem fieri et concordiam, volente etiam et propter bonum pacis et vnionis ambarum partium a Nobis inſtanter hoc ipſum petente fideli Noſtro Dilecto Venerabili Domino Dominico Eccleſiae praefatae Epiſcopo, mature decernentes, et ex certa ſcientia ordinantes, duximus committendum, vt praefata Terra litigioſa, quoniam ambae partes Literas habeant Regales, Terram ipſam et eius metarum curſus ſiquidem tangentes, non obſtantibus tamen in hoc ſolum caſu Literis huiusmodi, quibus circa alios ſuos certos terminos nolumus derogare inter iam dictas partes, per fidelem No-

 ſtrum

ſtrum Dilectum Nobilem Virum Petrum de Iara, Vice - Vaivodam Magnifici Baronis Noſtri Dionyſii Vaivodae Tranſiluaniae, et Capitanei Ciuitatis, et Diſtrictus Bundyn Bulgariae, quem Nos, vna Magnificis Viris Nicolao de Zeech, Regnorum Noſtrorum de Dalmatiae, Croatiae Bano, Petro Zudar, Pincernarum noſtrorum Magiſtro, et LADISLAO, Artis, Medicinae Magiſtro, noſtro PHYSICO Fideli *ad reuidendum ſtatum dictae Terrae litigioſae confidenter permiſeramus, ſub idoneo Teſtimonio Honorabilis Capituli Varadienſis, diuidatur in duas partes ſeu portiones coaequales, memorati populi noſtri de Ighen contradictione prorſus non obſtante. Quocirca Vobis Honorabilibus Viris, Capitulo Varadienſis Eccleſiae praedictae firmiter praecipientes mandamus, quatenus ſtatim acceptis praeſentibus, vnum ex vobis Virum Honorabilem, titulo maioris dignitatis ſimplici Canonia fulgentem transmittatis pro Teſtimonio fide dignum, quo praeſente, praelibatus Vir Nobilis Petrus Vice - Vaivoda Tranſiluaniae, Homo noſter, ad hoc ſpecialiter delegatus, ad faciem ſupra dictae Terrae litigioſae, vicinis et commetaneis ſuis inibi legitime conuocatis et praeſentibus accedendo Terram eamdem, non obſtante altercatrice contentione ſimul et Contradictione memorati populi noſtri de Ighen, quibus ſilentium imponimus perpetuum in hac parte, in duas diuidat partes coaequales, quarum vnam, videlicet a parte praenotatae Villae Epiſcopalis Sárd, praefato Domino Dominico Epiſcopo, eiusque Eccleſiae et Villae praenotatis, aliam vero partem ſupra dictae*

Vil-

Villae noſtrae et vſui populi eiusdem ſtatuat perpetuo poſſidendas; nouas metas, diuiſionem ipſius Terrae demonſtrantes, in locis opportunis erigendo. Et poſt haec ſeriem huiusmodi Terrae diuiſionis, cum curſibus Metarum ſub incluſione praeſentis Literae noſtrae totalis, in veſtris authenticis Literis Nobis fideliter reſcribatis. Datum in Alba Gyulae in Craſtino Feſti Beatae Margarethae Virginis, Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Sexageſimo Sexto. Quia ratio temporis haud quaquam repugnare videatur, facile equidem admiſerim, *Ladislaum* hunc, in Litteris an. 1366. ſignatis productum, unum eumdemque prorſus fuiſſe cum *Ladislao* Epiſcopo Varadienſi, in Priuilegiis Ludouici, Vrbi Claudiopolitanae an. 1378. conceſſis, commemorato. *Ladislaum* hunc, aeque ac Ladislaum illum Epiſcopum Varadienſem, vtrumque Ludouici I. Regis Phyſicum, ſacri ordinis Virum fuiſſe mihi perſuadeo nullo alio, ut ita credam, inductus argumento, quam quod aetate illa omnis eruditionis ſacrae et profanae monopolium, vt alibi, ita in Hungaria in primis, penes Viros Eccleſiaſticos ſteterit, et ne vnum quidem e Seculo XIV. exemplum Medici cuiuspiam produxeris, quin idem ſacro ordini fuerit adſcriptus; ſi tamen Arabes et Iudaeos, qualis certe Ladislaus noſter non fuit, exceperis. Dum haec finiueram, adferuntur e taberna libraria *Reu. Ioannis Róka Vitae Praeſulum Weſprimienſium*, Poſonii recentiſſime typis exſcriptae, qui pag. 209. Ladislaum II. Epiſcopum Veſpre-

ſpremienſem Ludouici I. Phyſicum fuiſſe, fide diplomatum indubia communitus, ſcribit hunc in modum: *Anno itaque MCCCLXIX e Medico (quod eo aeuo haud ita rarum) factus Epiſcopus Ladislaus II. ſeu eius opere releuatus aliquando aeger Ludouicus, ſeu alio officii obſequiique genere tantum Heri fauorem, vir aulicus meritus.* Reverendiſs. Róka pag. 211. haec porro adnotavit: *Ms. Veſprimienſe ita habet: Ex Phyſico primi Ludouici Regis factus Epiſcopus (Ladislaus) teſtante priuilegio Comitis Iacobi de Scepus Iudicis Curiae ſuper Duznigh et tributo fori in Tapolcza de anno MCCCLXXV. emanato.* Idem Auctor pag. 212. exiſtimat Ladislaum hunc Weſpremienſem Antiſtitem an. 1377. obiuiſſe, quod nulla eius abhinc memoria, et quod Pétsváradienſe Diploma VI. Non. Septembr. MCCCLXXIX. habeat: *Veſprimienſi Sede vacante.* Videtur tamen nobis longe probabilius Ladislaum hunc e Weſzpremienſi ad Varadienſem Dioeceſim fuiſſe an. 1378. promotum. Firmat adſertionem noſtram Clar. Prayi obſeruatio, qui Hierarchiae ſuae Part. II. pag. 177. ad an. 1378. Ladislaum Emerico dat ſucceſſorem in Epiſcopatu Varadienſi, quique de Ladislao in Nota ſubiecta c, haec addit: *In diplomate huius anni (1378) quo Rex Vrbi Claudiopolitanae priuilegia confirmat, vocatur PHYSICVS REGIS.* Phyſicum reuera fuiſſe Ludouici I. Regis Ladislaum hunc Epiſcopum Varadienſem vberius euincitur illo Ludouici I. diplomate, quo Liberis Villis Babaſzéky, Dobronya, et Német-

Pel-

Pelſütz Commitatus Zolienſis Priuilegia confirmat, cuius clauſula talis eſt: *Datum per manus Reuerendiſſimi in Chriſto Patris Domini, Domini Demetrii etc. Sanctorum quatuor Coronatorum Presbyteri Cardinalis, Gubernatorisque Eccleſiae Strigonienſis, Locique eiusdem Comitis Perpetui, Aulae noſtrae Cancellarii, Dilecti et Fidelis noſtri Anno Domini* 1380. *Decima Kalend. Auguſti, Regni autem Noſtri Anno* 39. Iam autem inter Epiſcopos Diplomati huic pro more ſubſignatos, hos in ceteris his, quae ſubiicimus, verbis commemoratos inuenimus: *Gublino Tranſiluanienſis, LADISLAO VARADIENSIS PHYSICO NOSTRO, Paullo Zagrabienſis, Benedicto Weſprimienſis, Iohanne Chanadienſis, Fratre Dominico Nitrienſis, Paullo Tinninienſis Eccleſiarum Epiſcopis, Eccleſias Dei feliciter gubernantibus.* Si cui interim volupe fuerit adſerere Ladislaum hunc Epiſcopum Varadienſem diuerſum fuiſſe a Ladislao Epiſcopo Weſzpremienſi non multum reluctabimur, manebit nobis firmiſſimum vtrumque tamen Ludouici I. Regis noſtri-Phyſicum extitiſſe, et Epiſcopen Varadienſem vſque ad an. 1382. adminiſtraſſe, quo forte vivere deſiit, prout prouectior aetas eius iam facile ſuadere poterat. (*)

ARTI-

(*) Dum in haec Ludouici I. Regis differendo inciderimus tempora, ſubit animum recordatio, proſtare quamdam in *Corpore Iuris Hungarici*, Tirnau, an. 1751 in fol. edito, pag. 170. Formulam

ARTICVLVS XXVII.

LIPPAI (*Ioannes*) Vſura lucis frui cepit anno ſalutis humanae 1606. die 30 Iunii. In Socie-

---

lam Iuriſiurandi, Regis huius aetate lingua vernacula Hungarica concinnatam, quae ita incipit: *Iſten Teged ugy Segéllyen 's a't.* Sed eam perſpicaciſſimus ipſe Decretorum horum Editor l. c. commentitiam eſſe vltro profitetur, et non niſi anno demum 1584. primum ab Hungariae ciuibus viſam lectamque fuiſſe in *Vitis Regum Hungariae*, quas vna cum adnexis eorum Conſtitutionibus, auctoritate publica ante ſancitis, *Zacharias Moſſóczy*, Epiſcopus Nitrienſis Tirnauiae in forma octaui ordinis dicto ſtatim anno omnium primus, ſed nullo prorſus litterario ſuffultus documento, promulgauerat: procul omni dubio, ſi forma haec Iuriſiurandi genuinae fuiſſet indolis. *Ioannes* profecto *Sambucus*, litteratorum in Hungaria Virorum princeps, Libro Decretorum ſeu Articulorum priſcorum Hungariae Regum inſerere haud quaquam intermiſiſſet, quam ille Bonfinii Decadibus Francof. an. 1581. in fol. procuratis, triennio ante Moſſoczyum, in fine adtexuerat. Dolendum maximopere eſt Gentem noſtram Hungaricam gloriari haud poſſe, exſtare in ſcriniis ſuis Inſtrumenta, aliqua ſaltim, litteraria antiquioribus ſeculis ſermone natiuo Hungarico exarata: omnium antiquiſſimum, vt opinor, illud eſt, cuius fragmentum quoddam ex MScto Sec. XII. et ineuntis XIII. Codice Hungarico in *Vita B. Margaritae Virginis*, Tirnau. an. 1774. in 4. edita pag. 249. in Nota ſubiecta, Littera A ſignata laborioſiſſimus *Prayus* verbis his adduxit: *Lattiatuc ſeleym Zumtuchel mic vognuc. Yſa pur es* *cho-*

Societatem Patrum, a Ieſu denominatam, mature an. 1624 intrauiſſe, Graecii et Vindobonae

---

chomov vogmuc. Menyi miloſtben teremteve eleve miv iſemucut adamut. Es odutta neki paradiſumut hazóa. Es mend paradiſumban uolouw gimilcictul monda neki elnieheon tilutoa wt ig ſa gimilcetul etc. Ipſam vero B. Margaritae Virginis Vitam, ex antiquo Codice MScto Hungarico, litteris monaſticis Sec. XV. exarato, erutam, legiſſe magno nobis fuit oblectamento, dum pro inſtituti noſtri ratione pag. 346. in haec ſcriptoris hagiographi legendo inciderimus verba, quae obſeruata ſeculi eiusdem ſcribendi ratione, nequaquam pigebit referre: *Iſtvan kyral ſya iſſiju Lazlo kyral mykoron volna tyzenharom eztendeus, eſek nehez korſagogban, es ez utan eſek oly nagy feu ſaydalomban, hog leun eunen maganak es okoſſagnak kyveule ugy hog negy jeles orvos Doctorok, kyk ez kyralyal bannak vala, keetſegben eſenek ez kyralnak eletyreul.* Quatuor ſcilicet excellentes Medicinae Doctores Regi iuueni Ladislao, Stephani V. filio, grauiſſimo morbo detento, commemorantur loco hoc medicas ſuas in reſtituenda illius ſanitate locauiſſe operas. In eadem B. Virginis Vita pag. 348. alii tres eiusdem ſeculi adducuntur Medicinae Doctores, ita l. c. verba leguntur: *Zent Margyt azzon halala utan teurtenek, hog Karoly vitez huganak leanya igen meg betegeule hydegleleſſel, eſek eu rea oldalanak ſaydalma, ugy hog megſugorodva leun tyz hetyk ez Agnes azzonnak eu anya es ura ſokat keulteuttek volna Orvoſokra, harom orvos doctorok az eu eletyreul ketſegben eſenek:* de Agnetis huius maligna febre, vt ſequentia docent, correptae vita tres Medicinae Doctores deſperaſſe dicuntur: et talia haec anno 1272. qui mortem Margaritae inſecutus eſt, contigiſſe

bonae humaniores Litteras, et linguam ſacram annis pluſculis docuiſſe, Collegiis Iaurini, Vngua-

---

tigiſſe his ita pag. 349. innuitur verbis: *Ezek leunek Ur Zuletety utan ezer keet zaz hetven ket eztendeuben.* Laudanda maximopere eſt Cel. Popularis noſtri. *Prayi*, induſtria, quod apographum hoc veteris aeui, ſeculo XIII. ſcilicet exarati codicis manuſcripti exemplar, quod ad Sec. XV. retulit, illuſtrandarum rerum patriarum cauſſa eruerit. Incidit in noſtras quoque manus haud ita pridem eiusdem ſeculi XV. ut characterum ductus et chartae indoles manifeſtis docent indiciis, Codex quidam MSctus ad aetatem Sigismundi Regis noſtri referendus, litteris Gothicis rubronigris in forma quarti ordinis ſermone Hungarico conſcriptus, phyliras 28. et amplius explens: illuſtrandis quodam modo Patriae rebus conſulturus, ſeruata eadem ortographiae ratione, non nihil ex eo exſcribam, ita vetus Liber incipit. *Kezdetik Vrnak neueben eztendo altal valo zentoknek eletokrol valo tanuſag az iduezwlendoknek lölki haznalatoſſagokert. Selozer a zent Andras Apoſtolrol vronknak elſo tāituaniarol. Nagi dicoſeg embornek az o vrat kouetnie;* eccleſtici, xxjjj. *es igeket bolc Iria egi konuenek. huzon harmadik rezeben mell igek lol lehet kozonſeguel mondattanak minden kereztienokrol kiknek nagi tiztoſſeg vronk Ieſuſnak eletet elkw'lc'et es zent tanuſagat kouetni de maga ſeukeppen 's a't.* quum non liceat nobis prolixioribus eſſe, ſequentium capitum argumenta ordine hoc vnice perſequar: *Zent Barbala azzorōl valo tanuſag. Zent Miklos pispokrol valo p̄dikacio. Zent Amborus doktor eletih † a bodog zwz Marianak zeplotelē fogantataſarol valo predikacio. ez a zent lucza azzoni eleti a zent lazar eleterol. Zenth Tamas Apoſtolrol, karacon eſtire valo predika-*

guarini, Trenchinii, et Seminariis Hungaricis Viennae et Tirnauiae conſtitutis cum laude prae-

---

dikacio. Vronk ʒileteſerǫl. Zenth Anaſtaſia Aʒʒonnak innepe. Zent Iſtuan elſó mātīrol valo p dīo. Zent Ianos euāgeliſtarol valo pᷓdᷓo. aʒ apro ʒentǫknek eletǫkrǫl. a Zent Silueſter elete kǫuetkeʒek. Kys karacon napra valo pᷓdicāo. Zent Basilius piſpǫk eleteh. Vyʒh kereʒt napi predikacio. a harom ʒent Kiralioknak Caſparnak baltoſarnak es melkiornak eletǫkrǫl. A Remóte ʒent pal eleterǫl. A ʒent Piroska aʒʒonirol. Zent Fabian, Sebǫſtien eletǫkrǫl. A ʒent Annos aʒʒonrol. A ʒent atianknak eleterǫl adamrol embǫrǫknak elſǫ ʒuʹleiǫkrǫl. Zentʹ pal Apoſtolnak megtereſerǫl. Arani ʒaiu ʒent Ianos eleterǫl. Aʒ alamoſnas ʒēt Ianoſrol valo tanaſag es tǫrlitǫt Iras. a ʒent Ignac piſpǫkrǫl. a ʒent Brigida aʒʒon eleterǫl. Giertia ʒentǫlǫ bodog aʒʒon napiara valo tanuſag Iīg Maria. Zent Balas piſpǫknok eletirǫlh. Zent Agota eʒʒonirol tanuſag a lólki embǫrǫknek. Zent dorothya aʒʒonirol predikāo † a ʒent Apalin aʒʒonrol. Zent Kolos aʒʒoni eleterǫl † 'a ʒent Iufrosinarol, a ʒent ʒwʒ Iuliana aʒʒonirol. Zent petǫrnek ʒekǫs Inneperǫl. Zent Mathias apoſtolrol. Zent Tamas doktor eleteról. Zent Gergoli paparol. Zent Longinus martirol. a ʒent Ioſefnek aʒʒoniónk Maria Iegioſenek eleterǫl. Giumǫlc olto Bodog Aʒʒoni napiarol. Zent Benedek Apat eleterǫl. Hic ex improuiſo abrumpitur Legendarii Hungarici filum, adnectunturque varii tractatus plag. 12. de ſeptem B. M. Virginis petitionibus, de meditatione mortis, humilitate, patientia, et aliis virtutibus chriſtiano homine dignis, vernaculo idiomate, et characteribus aeque Gothicis, ſed a priore vt manu ita etiam modo ſcribendi quodam modo diuerſo, aetate tamen ſuppari: pro ſpeci-

praefuiſſe Nathanaël Sotuelus in Bibliotheca Script. S. I. a ſe aucta fol. 469. commeminit.
Abba-

ſpecimine exſcripſiſſe ſequentia ſufficiant: *Tudnya mint : zereſſed a te vradat iſtenọdet te telies zivedel; te telies lelkọdél, te telies elmedel, es te minden ereidel. Tovaba zereſſed te ſele baratodat mikepen te̅ nọn magadat: es gọlọlied te ellenſigedet azaz a binọket* 's a't. Sequuntur aliae Meditationes piae plag. 21. diuerſa iterum manu exaratae, de gaudio in primis B. V. Mariae, quod illa ex magorum Chriſtum adorantium aduentu, et B. Eliſabethae viſitatione coeperat, cum ſubnexa ad calcem Orationis Dominicae paraphraſi, quam non pigebit deuota mente hunc in modum recitare: *My attyank: ky vag' men'ekben: zentọlteſſec te neued yọiọn te orzagod: leg'ente: akaratod, mykeppen men'ben es fọldọn! My ken'erónket naponkedied ag'g'ad: nekọnk ma: Es bochaſtad my nekọnc my uetetinket: mykeppen my es boczatonc nekọnc uetotteknec: Es ne vigy mikent keſertetben: De zabadoh mikent gonoztol: Amen.* Tractatus hic loco poſtremo in apricum productus his ita verbis explicit: *Finit per me P. Ihu̅s Maria leg'ẹn en uelem bu̅nọſſel es minden binọſọkuel.* Si coniecturae locus eſſe poteſt, littera hac P. Pelbartam de Temeſwar, profeſſum ordinis Seraphici Patris Franciſci, celeberrimum exeunte Seculo XV. in Hungaria concionatorem, denotari exiſtimem; ille enim ſcripſit *Sermones Pomerii*, quod rectius *Pomarium ſermonum* adpellare debebat, in imperiali oppido Hagenaw per Henricum Gran an. 1508. in fol. impreſſum, quos in prologo ſe pro capacitate populi ſimplicis huius ſuae regionis ſeu patriae (Hungariae) compoſuiſſe dicit ea lege, *vt textum Euangelii litteraliter inſeruerit, pro plebis deuotione, quae expoſcit Euangelium textualiter*

Abbatiam vero de Rupibus, Szkalkenſem poſtea dictam, adminiſtrauiſſe Carolus Péterſius Sacror.

N 2

---

ter auſcultare: idem in his quoque ipſis tractatibus vbique obſeruatum fuiſſe legimus, immo et *Expoſitione compendioſa Pſalmorum nec non Canticorum V. et N. Teſtam. Symboli Athanaſii* etc. Hagenoae in officina Henr. Gran an. 1513. fol. min. fol. 139. edita, et reliquis etiam eruditiſſimi Viri huius, Popularis noſtri Libris, ab aliis recenſitis, Iuuabit verbo monuiſſe in vaſto hoc Sermonum Volumine certo prodidiſſe indicio, ſe non modo in Scriptis Patrum primorum ſeculorum, ſed omnium promiſcue aetatum fuiſſe quam maxime verſatum, nouit apprime opiniones ſuas *Ralani Sigisberti*, *Richardi*, *Lyrae*, *Bonaventurae*, *Bedae*, *Hugonis*, *Haymonis*, *Scoti*, *Lombardi*, *Abelardi*, *Meſſreti*, mille aliorum id farinae hominum teſtimoniis fulcire. Medicinae quoque peritia pro more illius ſeculi tinctum fuiſſe vno ſaltim euincere iuuabit documento; ita de *Hydrope* Dominica XVI. poſt Pentech. Sermone XLVIII, diſſerit: *Secundum Bedam et Lyram Hydropiſis eſt morbus ab aquoſo humore dictus ab hydor grece, quod eſt aqua latine, eo quod hydropicus habet humorem aqueum inter cutem et carnem. Et habet quatuor proprietates, quibus dignoſcitur, prima eſt inflatio ventris, et membrorum corporis. Secunda exaltatio fetoris. Tertia ardor ſitis. Quarta, liuor, hoc eſt palliditas coloris*, etc, De animatione foetus, hominum aetatibus, Leprae et paralyſeos natura et curatione, et ſimilibus nil amplius adtinet dicere. Sed depono e manibus Pelbarti noſtri, Temeſvarienſis Hungari, Pomarium ſermonum, ampliſſimum Librum, Gothicis characteribus exſcriptum, reuertar ad antiquum Codicem MSctum noſtrum Hungaricum ſuperius lau-

cror. Concil. R. Hung. part. II. pag. 385. nos edocuit, dum Synodo nationali Tirnauiae an. 1648.

---

laudatum, in quo Vita Catharinae Virginis plag. 8. prolixe explicata ſub tali titulo rubro ſequitur enarranda: *Vrnak neuebe keʒdetyk ʒēt Katerina legendaya avag' elete* 's a't. Manu recentiore illam compilatam eſſe ea, quae ſequuntur, manifeſto produnt documento: *vgy oluaſtatykeu vola nemy nemew yrasba kyth pelbart athyank ʒedegheteth aʒ ew predytatyoyaban, hogy vala gheregh orʒaghban* 's a't. Legendam ſcilicet hanc ex Sermonibus Patris Pelbarti collectam eſſe, atque ſimul Virginis matrem, Reginam celebratiſſimi in Graecia Medici arte foecundam redditam, ſimul et eiusdem nutu Catharinae nomen inditum fuiſſe commemoratur: *monda a nagy mondhattathlan es hyres dottor Alforabius, yo keral onnan neueʒyed aʒ ew neuet: Aʒ Katheryna ghered new: dyakol neueʒtetyk: vniuerſalis deorum ruỹa: magerol mageraʒtatik: keʒenſeghes yſteneknek romlaſa* etc. Aetas Legendarii huius incidit in an. 1519. quod palam colligitur ex ſequenti folio viceſimo: *Maxentius thyaʒar yedeben hog' yrnak vala wronk yeſuſnak aʒ ew ʒyleteſenek vtanna harom ʒaʒ tyʒ eʒtendebe, hogy ʒent Katerinat meg ewltek: es ymaron oh aytatos lelek ha megh akarod tudnod hogy hayn eʒtendeye, rywindeden rea feleltetyk hog' eʒer keeth ʒaʒ' es kelenth eʒtēdeye vagyon.* Inſtat tempus Librum hunc pretioſum MSctum Hungaricum, qui tractatibus praeterea nonnullis Vitas quorundam Sanctorum, Chriſti Paſſiones, et aliquas virtutes enarrantibus, et plagulas IX. explentibus terminatur, iam e manibus noſtris deponere, et verbo ſolummodo monere, Vitas Sanctorum in vniuerſo hoc Codice MScto noſtro contentas non ex decantatiſſima illa. *Iac. Ianuenſis*

de

1648. ſub Ferdinando IV. Rege noſtro, et Georgio Lippai Archi-Epiſcopo Strigonienſi,

N 3 ce-

---

de Viragine Hiſtoria Lombardica S. Legenda Sanctorum aurea dicta, Vlmae abſque anno per Io. Zamer in fol. impreſſa, aut *Viola Sanctorum*, abſque loco editionis an. 1482. in fol. publicata, depromtas eſſe: veroſimilius forte, vt noſtra fert opinio, ex *Oswaldi Pelbarti* noſtri Themeſvarienſis *Pomerio Sermonum de Sanctis* compilatas eſſe, quum ne *Catalogus* quidem *Sanctorum Petri de Natalibus Veneti*, Lugduni an. 1508 in fol. editus, aut alii ſimile quidpiam referant: aſt multo certius eſt, falli vehementer Czwittingerum cum Königio, Ioechero, nec non Bodio, aliisque illorum ſequacibus, quod de Vita Pelbarti nil certi ſtatuere auſi fuerint, quum *Wadingus in Annalibus* ſuis ad an. 1485. clariſſime illius meminerit, et in *Scriptor. ord. Min.* pag. 274. eum an. 1500. ſub Alexandro VI. celebrem in Hungaria extitiſſe oratorem ſacrum adſeruerit: *Reu. Vincentius Blaho* vero, Prouinciae Saluatoris S. Franciſci Hiſtoricus, in epiſtolio, Caſſouia die VII. an. 1779. ad nos exmiſſo monuit, die, Vincentio ſacro, an. 1504. viuere deſiiſſe. *Xyſtus* autem *Schier* in *Buda ſua ſacra* pag. 48. Pelbartum, quem *Martinus Szent Ivanyius* Differt. Paralipom. pag. 154. nullo nixus documento, vt pleraque pro ingenio effingere ſolitus, inter Beatos Hungariae recenſuit, Budae mortalitatis vinculis exſolutum, et in aede Ord. Minor. ſacra, D. Ioanni Apoſtolo dicata, tumulatum crediderit. Vnum praeterea Epiſtolium Seculo XV. ſcriptum inter inſtrumenta litteraria nobiliſſimae cuiusdam familiae huiatis in hunc vſque diem apud nos fideliter conſeruatum memorabo nouiſſime, quod Albertus Abbas S. Aniani Epiſcopi et Confeſſoris de Tihan

an.

celebratae nomen ſuum ſubſcripſiſſe ſcribit. Nouiſſime a fratre ſuo laudato ſtatim Archi-Prae-

an. 1486. in Comitatum Marmaraſienſem ad Literatum Valentinum K— fratrem vterinum dederat, quia illud breue eſt, expromam integrum: *Edes Teſtverem. Koſzonom a M —— Neſtienek keldek zent Erekliet. Ianos Vronk a nagi giori prepoſtual Budan meg meg lez, minden agſagtok meg meg lez. Iſten veltek. Tichon. Zent pal napian etſzaka* 1486. *Albert Apatur.* Reliqua talia antiquitatis Hungaricae monumenta plura aliis harum rerum ſtudioſis relinquimus exquirenda, et e tenebris in lucem publicam protrahenda. Verum hoc Abbatis Epiſtolio tria priora nuper admodum nobis innotuerunt Inſtrumenta litteraria, Hungarico ſcripta idiomate, vnum prae manibus noſtris *Gratiani Kazzay*, vernaculo ſermone *Kazzay Karátſon bátiam* cognominati Teſtamentum, a Ven. Conuentu S. Michaëlis Archangeli de Cſorna an. 1413. reuiſum, ſigillo roboratum et extradatum: alterum adſervatur in tabulario Illuſt. Familiae Semſeianae, quod eiusdem Priuilegia Nobilitatis Hungaricae, *Armales* vocamus, Sigiſmundi Regis manu et Sigillo an. 1401. communita exhibet, alterum in Ill. Comitis Ioſephi Telekii de Szék ſcriniis deliteſcit an. 1472. ſignatum, et non niſi Quietantiam quamdam, *Menedék levél* ſic ibi adpellatam, continet. At populares noſtros non modo Colomanni Regis tempore Statuta et Conſtitutiones ſuas patrio conſignauiſſe idiomate, vt ex Praefatione Decretorum laudati Regis §. 16. luculenter colligitur, ſed ipſa iam Diui Stephani Regis aetate, immo longe antea, Ciuibus noſtris in vſu fuiſſe animi ſui ſenſa propriis characteribus vernaculo ſignare ſermone, poſt Cel. Matth. Belium, litteratiſſimus il-le

Digitized by Google

Praeſule Georgio Lippaio, in aulam ſuam adſcitum, et variis morborum generibus, per vices exercitum, animam die 2. Iun. an. 1666. Trenchinii in thermis efflauiſſe Dav. Czuittingerus et Álex. Horányius, celebres Biographi patrii in Artic. referunt.

Meruit laborioſiſſimus et eruditiſſimus Vir hic in Catalogum noſtrum inſeri, non quod medicinam vmquam fecerit, ſed quod Rei Botanicae fuerit callentiſſimus, et primus in reliquorum ordine, qui, editis optumae frugis Libris, populares ſuos Horticulturam lingua vernacula docere coeperit.

OPERA.

1. *Calendarium Oeconomicum perpetuum*, az az, *Eſztergami Erſek Urunk ö Nagyſága. Poſoni Gondviſelöjének Majorſágról irt Laiſtroma, minden Eſztendöre, kibül minden Major - Gazda hórúl hóra egéſz eſztendö által mit munkálottaſſon á Majorſág Körul meg tudhattya.* Poſon 1662. 4. Liber tecto nomine a Noſtro editus *Georgio Lippai de Zombor*, Archi - Epiſcopo Strigonienſi, et R. Hungar. Primati inſcriptus eſt. Repetitus Caſſouiae an. 1721: in 4. plag. 9. praefixa veteris edi-

le Patriae Hiſtoricus, vt promiſit, D. Daniel Cornides ſingulari libello demonſtraturus eſt propediem.

editionis dedicatione, oblatus *Michaëli Viczenii*, Triceſimae Tokaienſis adminiſtratori. Iteratus ibidem, forma eadem, an. 1751. praefationibus tamquam ornamentis ſuis denudatus. Recuſus Iaurini quoque 1753. 4. plag. 10. Ephemerides Oeconomicae in omni Re ruſtica continentur hoc volumine, quid videlicet quibusvis menſibus per annum integrum Oeconomo faciendum ſit, ediſſeritur.

2.) *Poſoni Kert, kiben minden Kerti Munkák, Rendeléſek, Virágokkal, Veteményekkel, Fákkal, Gyümöltſökkel, és Kerti Cſömötékkel való baimolodáſok: azoknak Nemek, haſznok, be eſináláſok bövſégeſen Magyar Nyelven le irattattanak, kivált képpen azok, az kik Eſztergami 'Erſek Urunk ö Nagyſága Poſoni Kertében találtatnak, az Nemes Magyar Nemzetnek közönſéges haſznára,* Libri huius, Archiepiſcopo Strigonienſi, *Georgio Lippaio*, inſcripti Pars I. *Floram Poſonienſem*, Capitibus XVI. ſiſtens, Tirnauiae an. 1664. in 4. plag. 15. Pars II. *Hortum olitorium Poſonienſem*, Cap. XIV. Viennae an. 1665. alph. I. pl. 7½. Pars III. *Pomonam Poſonienſem*, Cap. XVI. complexa. Ibidem an. 1666. in 4. alph. I. plag. 15. editae ſunt. Recuſ. Iaurini an. 1753. in 4. plag. 16. Sed ommiſſis ab editore non modo Dedicatione et Praefatione, ſed et iconibus pulvillorum, pergularum, labyrinthorum etc. affabré aeri inciſis, ornamentis ſcilicet operis omnibus

velut

velut totidem ſalibus, quibus cibi bene cocti egregie condiri conſueuerunt. *Horti* huius *Poſonienſis Archiepiſcopalis* vocari ſoliti, cuius culturam Auctor enarrandam ſuſcepit, primas areolas, in aperto et amoeno rure anno 1614. *Franc. Forgách*, *S.* R. E. Cardinalem, Strigonienſium Pontificem, *Verſalienſis Horti regii* typum imitando, duxiſſe; *Georgium* vero *Lippaium* ad eam admirandi operis venuſtatem labentibus annis adduxiſſe accepimus, quam *Georgius Lippai*, L. B. de Zombor Archi-Epiſcopi ex fratre nepos perenni aëre expreſſit in Libello, Inſcriptione hac notato: *Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſ. Principi, Dn. D. Georgio Lippai, Archi-Epiſcopo Strigonienſi in debitae obſeruantiae monumentum hortenſes eiusdem vicennales labores aeri inciſos demiſſiſſime dedicauit Georgius Lippai L. B. de Zombor, Nepos obſequentiſſimus Anno MDC. LXIII. Poſonii in Hungaria.* Clar. *Matth. Belius* dum magnifici huius et ſtupendi operis picturas, ſtatuas, machinas hydraulicas, et reliqua ornamentorum horti genera in *Notit. Hungar.* Tom. I. pag. 640. et ſeq. in compendio enarraſſet, ita ſermonem non ſine animi moerore quodam claudit nouiſſime: *Lippaianae induſtriae praeclarum adeo monumentum, quod vicennalibus operis iuxta et impenſis conſtiterat, exeunte ſeculo ſuperiori, ſui prorſus diſſimile iam euaſiſſe.* Quibus Lippaium noſtrum, Strigonienſium Praeſulem ob inſtauratum et conſumma-

N 5 tum

tum amoeniſſimum hunc Hortum Poſonienſem vaſtae illae eruditionis humanae ex ordine Lojolitarum Vir, *Athanaſius Kircherus*, in *Oedipo* ſuo *Aegyptiaco*, Romae an. 1653. in fol. edito, Tom. II. Part. II. pag. 279. concelebret elogiis, dum Claſſem VIII. de *Mechanica* et *Architectonica* inſcriptam, Lippaio Noſtro obtulit patrocinio ſuo fovendam, lubet nobis, quia Librum manu tenemus, inter cetera haec ipſa verba ad amuſſim exſcribere: *Tu praeter caetera Diſciplinarum ſubſidia, quibus inſtructus es, huius mirificae quoque ac paene diuinae artis notitia tantum tibi nominis ac famae peperiſti, vt omnium opinione* πολυμήχανος ϗ πολυτεχναςὴς, *vti quidem de Archimede memorabat Polybius, iure dici ac haberi merearis. Teſtantur id ſatis ſuperque delitioſi illi viridariorum tuorum receſſus, tanta, vt audio, hydraulicarum varietate machinarum inſtructi, quanta paucis in locis ſimiles ſe vidiſſe teſtantur ſpectatores. Merito itaque praeſens hoc diſceptationis thema tuo debebatur nomini, non quod tuae famae, qua mundo inclareſcis, ſcriptis meis quidpiam ornamenti adiicere me poſſe ſperarem, etc.* De Allodiatura, atque Re Ruſtica commentati ſunt lingua Hungarica alii quoque patriae ciues eruditiſſimi: *Ioannes Tſere Apáczai*, quantum inſtituti ratio patiebatur, in *Encyclopedia ſua Hungarica*, Vltraj. an. 1653. in 12. pl. 18. edita. *Ioannes Nadányi*, Flori Hungarici auctor, in Libro Claudiop. an.

1669.

1669. in 4. alph. 3. cum titulo impreſſo. *Kerti dolgoknak le iráſa, négy dolgokban rendeſen be foglaltatott, mehlyek közzül az alſö á Kerteknek gandviſeléſét, ekeſitéſét, es ſok rendbeli titkait mutattya meg: á máſodik az oltáſnak meſterſégét adgya elönkben: á harmadik kerti holmiknek, parajoknak, gyökereknek, gyumölcſöknek, ſzolöknek, Bornak és Huſnak gyönyöruſéges állapatban meg tartáſoknak modgyat fejtegeti* 's a' t. *Auctor anonymus* Libri, Claudiop. an. 1733. in 8. impreſſi: *Kerti veteményekröl irt Könyv, mellyben mint kellyen á magokkal és veteményekkel bánni, elö adatik. Ioan. Vigand de Re Ruſtica* ex Theotiſco in Hungaricum ſermonem opera Sam. Szilágyi Iunioris translatus, Poſon. 1774. in 8. plag. 15. editus. *Az Auſtriaci paraſzt ifjuſágot á jól rendelt mezei gazdaſágra oktató kézi könyvetske.* Recus. forma eadem Caſſov. an. 1776. alii *Martinus Szent Iványi*, Vir inter Hungaros multiplici eruditione clariſſimus, de curanda Re Familiari plurimum omnino lingua Latina diſſeruit paſſim in vaſtis illis *Curioſis et Selectioribus Variarum ſcientiarum Miſcellaneis*, Tirnau. in exitu ſuperioris ſeculi in 4. per vices editis, quae *Reimannum*, notiſſimum Hungarici nominis obtrectatorem, cum reliquis putidis ſuis ſectatoribus facile in ruborem dare poterunt. Sed vt L. B. vno velut obtutu videre poſſit, quid laudatus Sz. Iványius hac in re olim praeſtiterit, id eruditus quidam Patriae Ci-

vis

vis omne in vnum collegit Volumen, et Tirnauienſi typo an. 1746. in 8. plag. 20. foras edidit, hoc praefixo titulo: *Oeconomia Philoſophica, ex tribus Tomis Reu. Patris Martini Szent Iváni, ſoc. Ieſu Sacerdotis, collecta, et in V. Libros diuiſa, addito duplici Indice, altero Titulorum, altero Materiarum, praecipue remediorum contra varios Morbos, et noxia animalia, etiam inſecta.* Liber I. Res *Allodiaturae exponit.* Liber II. *Animalia Oeconomiae noxia recenſet.* Liber III. *Ephemerides oeconomicas, quid quouis menſe faciendum ſit oeconomo, explicat.* Lib. IV. *Ephemerides Ruſticas,* ſive *Obſeruationes ruſticas circa futuram Conſtitutionem vel viciſſitudinem aëris, annique fertilitatem ac ſalubritatem* enarrat. Lib. V. *Varias obſeruationes oeconomis vtiles, tum phyſicas, tum ethicas,* proponit. Non modo priſco ſed recentiori quoque aeuo Populares noſtros delitioſis eiuscemodi Hortis, Viridariis, amoeniori Receſſui deſtinatis, vt fuit olim in flore *Lippaianus,* fuiſſe delectatos, *Viſſegradenſis* et *Budenſis,* nec non *Dotenſis,* Regii; *Királyfaluenſis Pálfyanus, Gödölyenſis* Graſſalkowichianus, *Eſzterhazianus, Erdödianus, Petraſchianus,* Cibinienſis *Grinaeanus,* alii paſſim, teſtes ſunt locupletiſſimi; ſed *Tetenenſis Rudnyáſzkyanus* in primis noſtram meruit attentionem, qui praeter reliqua oblectamenta ſingularem eam habere cenſetur prae reliquis dotem, ut eruditorum quoque ſpectatorum ani-

animis dignum, quoad ibi commorantur, exhibere poſſit pabulum: viſuntur ibi quippe prouida Illuſtriſſimi Lib. Baronis Rudnyanſzkii cura, Horti ſui olitorii muro inſertae Romanorum Inſcriptiones, in Pannonia Hungarica aeuo noſtro repertae: quarum primam luxata, et in duas tempore effoſſionis partes diffracta, ſed, ita iubente litteratiſſimo Horti hero Rudnyanſzkio, qui talia eruditionis antiquariae cimelia pro merito aeſtimare didicit, in vnam iterum molem affabre coagmentata ſubminiſtrauit Tabula lapidea, tres in ſuperiore parte Effigies humanas opere exſculpto fabricatas, et palliis indutas oſtentans; virorum primus in medio hic, barba rotunda adſtans, dextra pallium humero adaptans, Litteram V. diuaricatis cornubus vertici capitis imminentem gerere, virorum alter, a parte dextra ſtrophiolum convolutum manu dextera tenere, alter a ſiniſtra caput corona tectum, manus vtrasque ventri admotas habere; in inferiori vero parte a dextris ſacerdos ſtolatus Littera D. poſt tergum reiecta, ad aram tripodem ſacrificare, a ſiniſtris vero vir alter breuiori tunica indutus, et cingulo conſtrictus adſtare viſitur. Inſcriptio ſubiecta talis eſt:

IVL

IVL PRORO L IL I
IARI CIVI HONORAI
QVI VIXITI AM I XXII DT
ÆIIÆ D CORATÆ MATER
VIVA CIVLI ROKIANVS
CANIÆ CSS. QVAM TE
CEERI IRATRES PATREFRT
MATRIV NE E-CVRAVERVT.

Altera *Tabula Lapidea Sepulchralis*, Romanae antiquitatis in Hungaria monumentum, ibidem aeque honorifico loco cuſtoditur, in qua Mulier palliata, velamine vel peplo ornata, brachio armilla conſtricto, baltheo cincta, manu dextra ſtrophiolum contorquere, a ſiniſtro latere Vir iuuenis imberbis, pallio circumamictus, ſiniſtra chirothecam tenere conſpicitur: in inferiore paullo regione eaedem Effigies exſculptae obſervantur in forma minori ad aram tripodem clatratam adſtare, mulier compoſitas manus, vir dextram ad aram expanſam, ſiniſtram cingulo inſertam, pallium poſt tergum reiectum habens. Hypographen illa hanc

hanc exhibet, prout legere licuit propter eraſas temporis vetuſtate litteras:

QVARTIO MIIEIVM
ARIPANↃXDERVA CON
IVX VIVA SIBI ET CO
NIVGI L RA TO NIV::::
ICVRA::::: ET — — — — —
— — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — —

In Tertia. *Tabula lapidea ſepulchrali*, ibidem adſeruata, quae aeque haud ita pridem e terrae viſceribus in lucem protracta eſt, talia leguntur:

D. M.
SEPT▴ IVNIL E
CONIVGI ▴ KAREQ VIXV
P▴ AELIVS
CONSTAS
QVSTORARMOR
LEG II ADIVT.
VIVS▴ SIBI▴ FECI
ET CONSATI NE▴
FIL[1] E
(C:I) i. e. Oſſa omnium iacent.

Supra Inſcriptionem hanc in ſuperiore Lapidis parte viſuntur tres Effigies humanae, lege artis exſculptae, Viri ſcilicet, Feminae, et Filiae, loco medio conſiſtentis; in inferiori vero, priori ſtatim ſubiecta, erectus ſtat Sacerdos barbatus, togatus, cingulo conſtrictus, ambabus manibus far, aut potius libum tenens, in aram tripodem praeſentem iniecturus. Relicto *Tetanio*, recto ſeptem horarum itinere *Albam Regalem* ingreſſi,

Digitized by Google

greſſi, referamus ea quoque Romanae antiquitatis monumenta, quae priſcam illam Regum noſtrorum ſedem hodiedum oſtentare compererimus. Supra Portam turritam, ſeptemtrionibus obiectam, luxata talis legitur Inſcriptio Tabulae lapideae inciſa, quae vtrinque Effigie Victoriae alatae, altera manu palmam tenentis, altera lapidem ſuffulcientis, lemniſci inſtar condecorata eſt:

PRO SALVTE IM PP
LSEPT SEVERI ET MAV
REL. ANTONINI AVGG.
— . — . — . — . — . — . — . — . —.
— . — . — . — . — . — . — . — . —
— . — . — . — . — . — . — . —

Supra truncatam hanc, ut eſſe vides Inſcriptionem *Diptychon* eſſe *conſulare*, ſeu Effigiem Viri Conſularis cuiuſpiam, pallio induti, manu ſiniſtra Scitulam tenentis, dextram pectori admoventis, ad umbilicum vſque exſculptam videri. In Curia Domus Senatoriae tres Tumbas Lapideas integras diuerſi generis haerere, vna cum Fragmento lapidis duos Aſinos referentis dimidiatis his litterulis PRINC L notato. In Lapi-

de quopiam arte polito, et muro arcis inſerto, Effigiem Viri Sponſi genu flectentis conſpici, cui a ſiniſtris alter quispiam pallium humeris eius adaptat, a dextris vero tertius capiti mitram imponit. Aliud Romani operis inſigni mole fragmentum lapideum, ad aedes ſtatuarii in loco publico humi iacere, quod duas opere exſculpto exhibet Effigies conſpiciendas, quarum altera a parte laeua ſedens, galerata, pallata, ſtolata, et capite velata eſt, et manus ventri admouens, ſiniſtra botrum tenet; altera a dextris Vir iuuenis, aeque ſedens, complicatis manibus, pectorique admotis, caputio tectus eſt, et togatus, fragmen praeterea lapidis, quod in Curia Domus publicae proſtat, Effigiem *Panis*, vel ſi mauis, *Satyrae*, cum Leone ringente colluctantis, ſiſtit ſcite admodum exſculptam. Portam quoque Ciuitatis *Albae* ſuperius indicatam, Romanorum architectis ſuam debere originem, quod aliqui ex ſtructura, lateribus et coemento demonſtratum dare conantur, loco hoc haud quaquam definiuerimus: id tamen multo certius pronunciare audemus, extra Portam hanc *Albae Regalis*, ſeptemtrionibus obuerſam, ad diuerſorium ſigno Aquilae aureae notatum, manifeſtiſſima Viae Romanorum publicae adparere veſtigia, ea latitudine, vt aduerſa inter ſe plauſtra tria commode commeare poſſint, lapidibus interim natura praeduris et compage firma cohaeren-

haerentibus in hunc vſque diem, etiam in ipſo quoque utrimque margine, integre per tot ſecula permanentibus. Sed omnium maxime ſpectabilia ſuperſunt in vicino Comitatu Weſzpremienſi intra oppidum *Palota* et vicum *Öskü* dictum exſtantia Viae huius Romanae rudera; Pons ſcilicet tres fere orgyas latus, e duriſſimis lapidibus caeſis et dolatis opere ſupra terram arcuato in convalle fabrefactus, frequentibus plauſtris et iumentis quibuslibet quotidianum hodiedum iter praebens; cui in contiguo iungitur murus, lato et alto aggere ſuffultus, ex laeuigatis aeque in planum ſaxis quadrangularibus, absque anſis ferreis, arte coagmentatis, continendarum ſcaturiginum et riuulorum cauſſa ad conſtituendam Paludem efformatus, et mille amplius paſſus productus, qui in medio Septum ſeu portam cataractam, vel *Emiſſarium* habet, duplice crena inſtructum, per quod Aqua e loco clauſo paluſtri ſub contiguo ponte ſtatim memorato arcuato, praecipiti et numquam interrupto curſu effunditur, auſtrum verſus iter continuatura. Hae ſunt *Aquae* illae Romanorum *Cyriae*, *ἀπὸ τȣ̃ κυϱιȣ̃* vel *κυϱιακȣ̃* dictae, retento ad haec vſque tempora priſco ſuo nomine Kikiri-*τό*, id eſt, *Lacus Cyrii* vel *Cyriaci*, ab accolis Hungarice adpellatae. In hac ipſa Pannoniae regione inuenies a P. Mela, et aliis commemoratas *Volcae* quoque *Paludes* et *ſtagna*, diu ab eruditis Viris iam

quaeſita: Alba ſcilicet Regali orientem ſolem verſus progrediendo, quarto fere ſeiunctus diſtat lapide pagus quidam viliſſimus *Velencze* adpellatus, quem Palus adluit *Velenczei Tó* ab omnibus promiſcue hodie vocata, ac ſi dicas *Paludem Volceae* vel *Volcenſem*, aut Hungarico pronunciandi more *Volencenſem* vel *Velencenſem* paludem: illam *Cellarius in Notitia orbis antiq.* Tom. I. in adiecta Tabula Pannoniae geographica collocat nobiscum aeque intra *Mogetianam*, quae, teſte *W. Lazio*, nunc nobis eſt *Alba Regalis*, et *Valcum* antiquam Romanorum coloniam, in *Itinerario Antoniniano*, a *Weſſelingio* an. 1735. edito, pag. 233. commemoratum, quod *Ioſ. Simlerus* in eiusdem Itinerarii editione Baſil. an. 1575. procurata, vna cum *M. Ant. Baudrandio Pariſino in ſua Geographia ordine litterarum diſpoſita*, edit. Paris. an. 1682. in fol. *Voltz* recentiori aetate adpellari adſerunt, vnde Paludem quoque hanc noſtram denominationem ſuam ab hoc Hungariae loco, *Voltzenſis* vel *Velencenſis* ſortitam fuiſſe arbitramur, *Koehlero* licet et *Száſzkio* ad *Lacum Batonum*, vel, adiecta vſitata Hungaris littera labiali, *Balatonis* talia perperam referentibus: magno Palus noſtra haec *Valcenſis* ambitu ad plura incuruis limitibus ſe extendit milliaria, et loca vt plurimum occupat vadoſa, paluſtria, vliginoſa, in notiſſimum aeque ac patentiſſimum Lacum limoſum, *Sáarvitz*

vel

vel *Sáar - Réte* dictum, per plures Comitatus diffuſum, terminata. Sed viſuntur in ea regione paſſim alii quoque huiuscemodi priori ſimiles pontes lapidei, talis eſt *Pátkaienſis* in agro prouinciae Albenſis, in primis alter circa *Almaſinum* in Comitatu Comaromienſi, Emiſſario inſtructus, cum adnexo muro, aggeribus e terra congeſtis communito, labentium ſeculorum iniuria quidem non nihil iam vitiatus, ſed veteris Romanae artis imaginem exacte referens. Sic videmus gentem illam dominatricem in Pannonia noſtra quoque hac Hungarica eam in Viarum refectione olim adhibuiſſe ſollertiam, ut eas non modo lapidibus et congeſtis terrarum et harenarum cumulis inſtrauerit, cauitates impleuerit, qua conuallibus et torrentibus interrumperentur, pontibusque iunxerit, ſed etiam ſingula milliaria, dimenſa diligenter, lapideis columnis diſtinxerit, vt iam id quoque luculentiſſimo conſtare poterit documento ex illa *Columna Milliarium Romana*, in Ephemerid. Vindob. an. 1779. partic. 54. relata, quae infra Budam prope ripam Danubii e regione vici - *Promontorium* dicti, e terra effoſa, et in arcem Budenſem nuper admodum translata eſt, Academiae loci vniverſarum Scientiarum Thereſianae donata, et hoc ornata epigramate:

Digitized by Google

IMP. CAESAR MARCVS AVRELIVS SEVERVS ALEXANDER PIVS FELIX AVG. PONTIFEX MAXIMVS TRIBVNICIAE POTESTATIS VIIII. COS III. PP. RESTITVIT AB AQ. MIL. PAS. VIII (*)

Diſtan-

(*) Seueri Alexandri Imp. non modo lapidares Inſcriptiones, ſed Nummi quoque praeprimis obſeruantur in Pannonia noſtra ſatis frequentes, quorum nos quoque plures diuerſi moduli argenteos atque aeneos poſſidemus in oris illis repertos; ille in primis formae maioris aereus, *Amaſiae*, vrbe Capadociae, ad Pontum conflatus, et Vámoſini, vico, oppido Veſzprém vicino, anno 1746. erutus, quem tenemus, numophilorum Patriae poterit maximopere excitare attentionem, qui circum caput Imperatoris laureatum hac graeca ſignatus eſt Inſcriptione: ΑΤΤ. Κ. CЄΟΤΙΡΟC ΑΛЄΞΑΝΔΡΟC *Imperator Caeſar Seuerus Alexander:* in parte vero poſtica, ſubſtructio quaedam, ſeu aedificium viſitur, Lauru arbore, more ſerpentino contorta, a dextris ſtipatum; ſupra quod *Aquila* alis expanſis, et deſuper *quadrigae obuerſae*, in quibus *Sol* capite radiato, dextra flagrum tenet, lucidiſſime conſpiciuntur hoc adiecto lemmate:

ΑΔΡ. CΕΤ. ΑΛЄΞ. ΑΜΑCΙΑC ΜΗ
ΝЄΟ. ΠΡ. ΠΟΝ. ЄΤ CΚΗ.

id eſt, *Hadrianae Seuerianae Alexandrinae Amaſiae Metropoleos Neocorae, Primae Ponti, Anno CCXXVIII.*

Diſtantia Loci huius, quo *Lapis* iſte *Milliarium Octauus* erutus eſt, inſtituta dimenſione, haud obſcure commonſtrat clariſſimae quondam Romanorum coloniae *Aquincum* ad-

---

CCXXVIII. Numus hic noſter integerrime per tot ſecula conſeruatus, a *Vaillantio* in Numiſmatibus Impp. Graece loquentibus cum tali Epocha neglectus, nec ab alio quoquam, quod equidem ſciam, in lucem eductus eſt: *Cimelii Auſtriaci Vindobonenſis* conditores quidem part II. pag. 68. fig. 2. ſimilem Numi noſtri Iconiſmum, Romae a Fratribus Chartuſianis aere expreſſum, ſed detritum; ſub eadem Epocha proferunt, ſed inſcriptionem eius tribus in locis cum additamentis variare animaduertet is, cui Opus ſplendidiſſimum volupe fuerit inſpicere: et quod quaedam Graeca Tituli Imperatoris verba ibidem Graece recitata M. ΑΥΡ. quae Numus noſter non habet, errore ne, non dicam, Editorum, vel forſitan typographi potius, latinis characteribus Part II. pag. XVI. ſic AVR hybride ſint repetita, reliquis interim litteris Graecis rite e numo ſuo deſcriptis. Accipe, velim, genuinam numiſmatis noſtri imaginem ita delineatam.



pellatae poſitionem; quod *Sicambriae* ſeu *veteris Budae* ſitum fuiſſe plerique ſagaciores antiquae Geographiae ſcriptores non male, vt iam videtur, opinabantur: in hoc enim Veteris Budae loco conſpiciuntur hodiedum plures concameratorum murorum acervi et canales varii, plerique eorum integri, ad ducendas aquas arte fabrefacti, viua ſcilicet priſcae Romanorum magnificentiae monimenta. Sed relicto indicato ſuperius Principis Eugenii *Promontorio*, vbi duarum horarum interuallo *Thetenium* recto deueneris itinere, et inde in pagum vicinum, *Ertſeinum*, pedem proferre volueris, Via Romanorum publica ſuperſtes eo te absque ambagibus deducet, vbi *Potentianam*, vrbem amoeniſſimo pone ripam Danubii loco olim ſitam fuiſſe *Thurocius* noſter hiſtoricorum fide nixus adſeuerat. Hinc *Albam Regalem* verſus ituro duorum fere noſtrae Regionis milliarium intervallo in aperto campo et valle Tárnokienſi. a vico eiusdem nominis adpellato, conſpiciendam ſe offert Columna quaedam milliarium Romana, terrae infixa, cylindrica, quatuor pedes alta, cum SEVERI ALEXANDRI IMP. nomine, deraſo ſeculorum vitio, reliquo Inſcriptionis themate, ſignata. Ex hac itaque narrationis ſerie integra oppido iam liqueſcet, vix quemquam cum Nic. *Bergierio dans l'Hiſtoire des grands chemins de l'Empire Romain* amplius dubitare poſſe, an vllam *Seuerus Alexander Imp.* nominis

nis ſui memoriam Viis publice muniendis reliquerit; illud quoque ſimul haud obſcure colligitur, lampada nobis hic praeferentibus, quam inde ab *Aquinco*, Vetere ſcilicet Buda noſtra, Viam publice munitam ſedula natio Romanorum per mediam Pannoniam inferiorem, *Sabariam* verſus, olim produxerit, publico Ciuium conſultura commodo. Sed a viis Romanorum deviis in viam iam redeundum eſt noſtram peruiam!

ARTICVLVS XXVIII.

Longobardvs *Iacobus* Eximii huius ex infulatorum Patrum ordine in Hungaria ſeculo XIV. Medici, Epiſcopi Chanadienſis, et Caroli Roberti Regis Hungariae, indiuidui utriusque fortunae comitis, et archiatrorum principis, memoria quomodo a M. Ioanne Thuroczio ab interitu vindicata fuerit, ipſa laudati ſtatim Hiſtorici patrii verba ex Chronica Hungariae Part. II. cap. XCVII. excitabo: *Anno Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo tertio egreſſus eſt Rex* (Carolus Robertus) *de Wyſſegrad cum Andrea filio ſuo puero ſex annorum in menſe Iulii, et perrexit cum bona comitiua militum per Zagrabiam vltra mare, vt filium ſuum per voluntatem ſummi pontificis, domini ſcilicet Iohannis XXII. et ad inſtantiam et petitionem inclytiſſimi Roberti regis Siciliae regni eiusdem coronaret in Regem. In cuius regis comitiua profecti ſunt Chanadinus, Archiepiſcopus Strigonienſis; Andreas*

epiſcopus Waradienſis; et Iacobus Longobardus, Phyſicus, Epiſcopus Chanadienſis; *et Magiſter Donch, et alii nobiles plurimi de regno. Qui rex rediit cum ſoſpitate in menſe Martii cum ſanitate omnium ſuorum, qui ipſum fuerant comitati, filium etc.* (*) Exſtat praeterea conſeruata *Iacobi*

(*) Carolum I. Regem noſtrum in Aulam ſuam celebres Chirurgos atque Medicos euocauiſſe, eosque non liberaliter modo aluiſſe, ſed amplis quoque ditauiſſe honoribus, Benedicti, Perectoldi, Placentini, alibi iam euicimus exemplis. Quam magno reuera in pretio olim a Regibus noſtris habiti fuerint Medici, en alio nunc denuo illuſtratur Documento, dum idem laudatiſſimus Rex *Iacobum* hunc *Longobardum*, Phyſicum ſuum, in Familiarium, indiuulſorum itineris Comitum, Commenſalium, Conſiliariorum numerum cooptat, immo Conſcientiae arbitrum deligit. Quam ſapienter praeterea, et quam feliciter Regni habenas fuerit moderatus, plena ſunt Hiſtoriarum Patriae monumenta paſſim obuia, ſed hoc in primis nomine celebritatem nullo aeuo oblitterandam conſecutus, quod collapſam in Regno rem monetariam feliciſſime reſtaurauerit, teſte ſingulari Decreto an. 1342. ampliſſimis verbis Viſſegradi condito, relato in Corpore Iuris Hungar. pag. 159. ſeqq. Tyrnauiae an. 1751. impreſſo, vnde manifeſtiſſimis elucet indiciis, Caroli I. argenteos denarios craſſos, pro genio illius Seculi groſſos, hodie *garas* adpellatos, omnium primus ad modum Neapolitanorum, vnde ſuam traxit originem, formatos, iuſſiſſe cudendos innumeroſiores, eosque tamen non niſi duplici externo ornatos habitu; quorum nos ſeptem numero ex archetypis Numothecae

bi, Medici noſtri et antiſtitis Chanadienſis memoria in eo Diplomate, quo poſſeſſiones Felicia-

---

cae Kazzaianae huiatis depictos in gratiam Nnmophilorum Patriae in Tabella hac iam exhibebimus contemplandos, a nemine quoquam, quod equidem ſciam, primo et vltimo exceptis, in litterariam lucem eductos, magnitudine, opere monetario, litterarum ductibus, pondere, atque valore vix quidquam inter ſeſe diſcrepantes. Pars ſingulorum *antica*, ſi paucula quaedam, eaque minutula, excipias, prorſus eſt eadem, in ſingulis enim Rex corona redimitus, et paludamento amictus, thronum inſidens, dextra ſceptrum liliaceum et ſiniſtra pomum regium cruce ſignatum tenere conſpicitur, adiecta epigraphe: MONETA KAROLI REGIS HUNGARIAE. excepto tamen quinto numero locato, quo idem ſceptrum liliaceum ſiniſtra, dextera vero manu pomum crucatum prenſare viſitur, duobus moloſſis infra ſcabellum humi recumbentibus, diuerſa quoque hac a prioribus notatus perigraphe: MONETA DOMINI KAROLI. Pars autem *poſtica* longe iam eſt diuerſiſſima, quatuor enim priores ſcutum ad perigaeam reclinatum praeferunt, cui galea ſuper impoſita eſt, laciniis tegumenti ad vtrumque latus longae diffluentibus. Galeae incumbit Corona aperta, e qua minus quam pectore tenus prominet Struthiocamelus ferream equi ſoleam roſtro prenſans; duabus vtrimque plumis ſuis conſtipatus, inſcriptio eſt: HONOR REGIS IVDITIVM DILIGIT. Oſtentant reliqui tres Scutum erectum, in duas perpendiculariter diuiſum areas, quarum vnam quatuor Hungariae Trabes, vel ſi mauis dicere, Fluuii permeant; Dextram vero in quinto et ſexto. Lilia Andegauenſia quinque, et vltimo nouem pulcre exornant; ſingulorum interim ſcu-

liciani propter adtentatum ab eo regis parricidium, in Ioannem ſuum ſoſpitatorem Carolus Ro-

---

ſcutorum faſtigiis, Galeae et Coronae loco, vno praeterea ſimili ſuperimpoſito lilio, aut etiam ſtellula pentagona. Nummi iſti tres, duplices habentes circumferentias, circumextimam earum oram in ſexto et ſeptimo haec ex S. Stephani Decreto Cap. V. §. 1. vel potius Pſalm. XCIX. ℣. 4. petita verba leguntur: HONOR REGIS IVDITIVM diligit, circum intimam autem IVS DAT PACEM PAX SALUTEM. Circulus vero quinti Numi exterior verba habet inſerta: DEI GRATIA REGIS HVNGARIE. Scuto autem vicinior liliolis quindecim, totidem ſcutulis inſertis, exornatus eſt. Ceterum haudquaquam negauerim, quemadmodum ſingulos hos noſtros, ita alios quoque huiusmodi formae groſſos Carolinos, quorum infinitus eſſe poteſt numerus, quodam modo inter ſe differre, eo ſcilicet indicio, quod ſub diuerſis ſudauerint inciſorum typariis, atque in diuerſis percuſſi fuerint Officinis Monetariis. Siglas in primis monetales ad vtrumque poſticae latus adiectas hic plurimum variare animadvertimus: Monetarum enim noſtrarum prima hinc monogrammate § illinc lilio ſimplice; ſecunda etiam monogrammate § et § geminato; tertia vero duobus liliis; quarta A et F. vltima S et A notatae ſunt; reliquae duae ſuis deſtitutae ſtigmatibus, quae non niſi praefectorum in Monetariis Domibus fuerunt diſcrimina, teſte laudato Caroli I. Decreto, quod ſingulis praefectis ſingula ſua ſigna monetis praeceperit inſcribere. Indicata vero monetalia ſigna talia Oedipum plerumque poſtulant, quod vix vnum atque alterum Praefectum Monetarium Caroli aetate cognitum habere quea-

bertus tranſcribit, cuius concluſio talis eſt: *Datum per manus honorabilis viri Magiſtri Tatanei, Albenſis Eccleſiae Praepoſiti, Aulae noſtrae Vice-Cancellarii, pridie Kal. Martii, Anno Domini milleſimo trecentiſſimo trigeſimo ſexto, regni autem noſtri anno ſimiliter trigeſimo ſexto, Vene-*

---

queamus. Decreuerat Cel. Hiſtor. Prof. Hallenſis *Io. Frid. Ioachim* groſſos Carolinos vtriusque formae Parti IV. Operis Numiſmatici *Das Neueröffnete Münz-Cabinet* inſcripto inſerere atque illuſtrare, verum enimvero ante naturae debitum laborioſo ſeni perſoluendum erat, quam eruditi operis partem quartam abſoluere potuerit. Spes non vana adfulſit fore, vt vberiorem horum numorum illuſtrationem politiſſimus ille Patriae Polyhiſtor, *Andr. Ionas Czirbeſz*, Eccleſiaſtes Iglouienſis, in *Apparatu* ſuo *Numiſmatico* propediem edendo, accipiamus vniuerſi legendam, qui Numi noſtri vltimi ectypum, ex Ill. Comitis, *Paulli Feſtetics*, Camerae Aulicae Pro-Praeſidis, Cimelio acceptum, in Ephemer. Litterar. Vindobon. An. 1774. Partic. 6. erudito Commentario illuſtrauerat, at longe maiori eruditionis apparatu, quam Scriptor ille *Des Neueröfneten Groſchen-Cabinets*, Supplem. II. tab. XXXVI. num. 6. tentauerat. Non abſimiliter primae quoque Monetae noſtrae apographum, idque a Cl. Matth. Belio acceptum, et fronti Recenſionis ſuae Criticae Commentar. Schmeizel. de Numis Tranſilv. Rintel. an. 1764. in 4. edit. praepoſitum, iam exhibuiſſe Reu. Godofr. Schwartzium, legiſſe nos probe recordamur, atque pag. 8. ſingulis groſſis Carolinis ſedecim crucigerorum noſtrae monetae valorem conſtituiſſe. En itaque delineatos ſeptem hos groſſos argenteos Caro-

Venerabilibus in Chriſto Patribus, Dominis, Chanadi Strigonienſi, Fratre Ladislao Colocienſi, Aulae noſtrae Cancellario, Archi-Epiſcopis. Nicolao Iaurinenſi, Ladislao Quinque-Eccleſienſi, Andrea Tranſiluanienſi, Ladislao Zagrabienſi, Andrea Varadienſi, Rudolpho Vatzienſi, Nicolao Agrien-

---

Caroli I. Regis, nunc demum ex Archetypis in lucem opera noſtra iam iam eluctatos!



Fig. 4.

Digitized by Google

Agrienſi, Iacobo Chanadienſi, *Meskone Weſzpremienſi Aula dictae Dominae Reginae Conſortis noſtrae Chariſſimae Cancellario, Fratre Vito Nitrienſi, Boſnenſi et Syrmienſi Sede vacantibus; nec non Fratre Paulo, Albenſi de Nandor, Epiſcopis, Eccleſias Dei feliciter gubernantibus.* Inſtrumentum hoc diplomaticum *R. Michaël a SSS. Tri-*

nitate

Fig. 4.




Fig. 5.




Fig. 6.



Fig. 7.

nitate, ex Cleric. Regg. Scholar. PP. in apricum produxit in *Natalibus Archi-Epiſcopatus Colo-*



Minorum argenteorum Caroli I. denariorum, quorum plures quam XXVIII. laudata Numotheca huius adſeruat, effigies dare inſtituti noſtri ratio non patitur, temperare interim nobis non poſſumus, quin *Cechani* vnum et alterum Gaitihae, Regum Hungariae numos, quod eſſent omnium rariſſimi, ex archetypis delineatos, bona poſſeſſoris venia, loco hoc in lucem proferamus, vtrisque eorum in antica aeque ac poſtica parte ductibus quibusdam minutioribus exceptis, in eo conuenientibus, quod areae illorum non niſi quatuor ſimilibus fere radiis per centrum verſus peripheriam ductis, et rectos formantibus angulos diſtinguantur, tales illi in vtraque priore et poſteriore parte habentes perigraphas: Fig. I. CEHANVS REX et LADISLAVS REX. Fig. II. GAITIHA REX et LADISLAVS REX. Sunt *Gaitihae* huic ſimiles alii duo praeterea in manibus noſtris denarii, hoc obſeruato diſcrimine: GAILTIHA REX et LADISLAVS REX. Item CAIHIIA REX et LADISLAVS REX. Numus primus, altera ſui facie CEHANI, altera Ladislai nomine ſignatus, cui e numero Regum noſtrorum adtribuendus ſit, difficile profecto videtur veram aenigmatis huius ſoluendi rationem poſſe eruere: damus nos id honori

Colocienſis et Batſienſis Eccleſ. canonice vnitar. pag. 76. edit. Budæ an. 1746. in 4. *Martinus Szent-Ivanyius* quoque Diſſert. Paralipomen

---

nori eruditiſſimi *Czirbeſzii* noſtri, opinione Illuſtriſs. *L. B. Cothmanni* ad id credendum adducti, CKHANUM in Numo noſtro *Geyſam* Regem denotare poſſe, et non niſi caelatorem indoctum nomen Regis vitioſe expreſſiſſe, eo ſane argumento, quod ſcripturam in plerisque medii aeui numis exteris aeque ac domeſticis mire deprauatam inuenimus. Sic exempli cauſſa in his ipſis numis noſtris Ladislai nomen *Ladlaus*, *Ladislaus*, *Laitislaus*, in aliis *Ladilaus* quoque & *Ladisclaus* legitur: præ manibus nobis ſunt duo praeterea *Salomonis* Regis denarii argentei, quorum in Antica parte *prior* Fig. III. exporrecta dextera benedictionem impertiendo, ſiniſtra ſceptrum cruce duplici, dicta patriarchali, ornatum praeferendo, *poſterior* lorica ſquamata indutus expanſis verſus coelum vtrisque manibus, Deo pro ſui in regnum reſtitutione gratias agendo, et populo ſimul bene precando, vterque quidem perigraphis SALOMONI REX ſignatus conſpicitur; ſed in auerſa parte illius areae † PANONIA, huius vero PANNONEIA, alibi etiam PANONNIA inaratum fuiſſe obſervatur. Quam vitioſam ſcripturam vel ob inconſtantiam exarandi ſolis caelatoribus indoctis merito adſcripſeris, quos ſaepiuſcule alias turpiter lapſos fuiſſe non ignorant Rei Numariae atque Inſcriptionum periti aeſtimatores. Laudatiſſimus *Czirbeſzius* in litteris, ad filium meum *Emericum* die 3. Aug. an. ſuperior. 1778. humaniſſime datis, recte monuit ſcriptores quoque illius temporis plerosque aliter atque aliter nomen *Geyſae* expreſſiſſe, in *Necrologio* enim *Admontenſi* col. 204. Geyſa noſter *Kautſe Rex Vngarorum*, in

men. pag. 84. forte ex inſpectione Chronicae Turoczianae l. c. *Iacobum Longobardum* noſtrum ad an. 1333. in catalogum Epiſcoporum Cha-

---

Chronico S. Vincentii pag. 75. *Rex Deviae*, in Litteris Rom. Pontificis apud Prayum Annal. Part. I. pag. 75. *Geyſa Dux*, in *Chronico Iordani apud Murator. Antiquit. Italic.* med. aeui Tom. IV. pag. 965. *Zecha I. Rex Ungariae*, ab aliis *Ieſſa*, *Ioas*, *Piſo*, *Geuezka*, immo in denariis noſtris quoque, quos poſſidemus, *Iaiaz* et *CIEISA* adpellatur. Vocatur quoque CIAIA in hoc meo Geyſae denario argenteo, Regem loricatum, ſtantem dextra gladium tenentem, exhibente, cum inverſa tali perigraphe ϒ.ΞΙΡΑΙΛΙϿ: Quandoquidem vix ac ne vix quidem ullius Hungariae Regis nomen ac *Geyzae* ita deprauatum a ſcriptoribus inueniamus, nihil facilius fuerat, quam ex CIEISA *Zecha*, CIEISANUS *Zechanus*, vel CEHANUS monetariis, qui ab exteris illo aeuo accerſiti fuerant, pro arbitrio effingere; adeoque nomine CEHANI *Zecham* vel rectius *Geyzam* Regem voluiſſe indoctum caelatorem exprimere. Vtrum autem *Geyſae* Regi Numum noſtrum adſcripſeris? quem ei *Ladislaum Regem* comitem adiunxeris? qua occaſione numum hunc duorum Regum nomina gerentem conflatum fuiſſe dixeris? arduas has vltra, quam reris, quaeſtiones eruditis popularibus expediendas offerimus. Quid de *Gaitiha* Rege Hungariae aeque ſentiendum ſit, diſpiciant atque definiant, ſi placet, peritiores rerum patriarum indagatores: quia breuis nobis ruit hora, ad ignotum prorſus alium Hungariae numum, aeque ex archetypo deſumtum, celeri transeundum iam eſt pede, vno dumtaxat verbo explicandum Fig. IV. cuius facies anterior ſolum caput Regis exhibet coronatum, cum ſubiecta cruce geminata Apo-

Chanadienſium inſcripſit. Sed interim an Iacobus Longobardus hic, vt non leuem mihi ſubortam fuiſſe ſuſpicionem haud diffitear, idem

---

Apoſtolica, a dextro ibidem aeque ac ſiniſtro capitis et cruculae latere litteris quadratis perpendiculariter ſibi incumbentibus haec vtrimque legantur ac repetuntur ◁ I □ I ▷ pars vero auerſa non niſi ſphyngem coronatum, gradientem, monſtrat absque lemmate reliquo contemplandum. Dauum potius, quam oedipum, hic agas, oportet, nec prius nos noſtram promere audebimus ſententiam, quam denarium hunc eruditis commentariis a patriae ciuibus olim illuſtrandum legerimus. Addamus nouiſſime, non minimam profecto lucem illuſtrandis patriae rebus id quoque foeneraturum credimus, ſi noſtrum quispiam ſingulari libello olim enarrauerit, quot, atque quibus animalium, Hominumue aut Angelorum effigiebus Reges noſtri ſuos ſignauerint denarios? En vide hic tres *Belarum* denarios, *vnum* cum *Archangelo Michaele*, Draconem interimente; *alterum* cum *Agno paſcali coronato* & crucato; *tertium* cum *cruce ſimplice* et perigraphe MON. I Œ G Œ N S I S ſignatos: illum vero *Belae caeci* cum *Aquila* notatum: *Caroli I.* Denariorum *primus* hic *Angelum cum e panſis*; *alter* eiusdem cum *demiſſis alis*; *tertius* duos coruos litteram Z roſtro tenentes; *quartus ceruum* inter trifolia paſcuum; *quintus Martes Scythicas*; *Sextus Baſiliſcum*, *ſeptimus Leonem currentem*; et *octauus faciem Ieſu Chriſti* cum nimbo tribus radiis, ſigno ſcilicet SS. Trinitatis conſpicuo, exhibent: iſte vero *Ludouici I.* denarius *Leonem* monſtrat *Venetum*; *Matthiae* autem *I. caput Leonis coronatum:* ignoti quidam iſthac ciſtula contenti partim *Draconem inter turriculos*, partim *Equum* circumiectis litteris R N aut etiam *Leo-*

nem

ſit cum Iacobo a Placentia, aeque Roberti Regis Phyſico, cuius vitam Part. II. Biographiae in Artic. XL. pluribus iam dedimus, alii


---

nem erectum cum pedo paſtorali, vel *olorem* quoque, immo et *Columbam*, qui forte eſt Colomanni, dicti *Columbani*: ſed tenemus manibus alium, qui certo eſt *Colomanni Regis* et *Epiſcopi Varadienſis* Fig. V. cuius in poſtica parte viſitur crux ſimplex ſuper vertice templi cum erectis duabus a latere turribus, in antica vero effigies Viri pontificalibus induti et mitrati, dextra pedum paſtorale, ſiniſtra Euangeliarium tenens, cum epigraphe, hoc inuerſo litterum ordine: ƎR N Λ Ɯſ-V Λ C. id eſt CALMAN RE. Supple REX. Non abſimiliter iſte quoque Collomani denarius meus cum effigie Angeli alati ſedentis, et pedes decuſſatim collocantis, poſtica vero parte Virum quempiam Sanctum, forte S. Petrum veſte talari indutum, claves vtraque manu tenentem, exhibens tali inuerſo litterarum ordine X. Λ ᔑ V Λ Ɔ In hoc uero eiusdem moduli numo altero Vir ſedens, pontificalibus et pallio Petri indutus, et mitra tectus, dextra apertum Euangeliorum codicem, ſiniſtra pedum paſtorale tenens, deraſis reliquis, his notatus conſpicitur in periphaeria characteribus P T Œ P. C. †. in poſtica viſitur Eccleſia Baſilica duarum contignationum variis ornata columnis, hoc adiecto lemmate: Œ T. A. Œ O L. non auſim adfirmare, poſtremis his litteris A. C O L. Archiepiſcopatum Collocenſem deſignari poſſe. Aeque in ancipiti haereo, quam hicce Belae denarius denotet Baſilicam, cuius auerſa pars Eccleſiam quinque turribus decenter ornatam, antica vero crucem duplicatam in ſcuto oblongo inferius acuminato, addito lemmate Ꝧ Є L Λ ꝶ Є X exhibet. Numi alii aliud quidpiam referunt. Tales autem Ani-

alii curatius diſpiciant, nobis prolixitatis notam euitaturis in id operoſius inquirere iam haudquaquam licebit. Verum opinionem hanc

---

Animalium et Angelorum effigies, numis inaratae, diſpiciendum iam foret, ad Symbolicane, vel ad gentilitia Regum noſtrorum Inſignia; vel ad Epiſcopatus, Conuentus, aut Abbatiae cuiuspiam Epocham fundationis referendae ſint? Sed effluxit hora, deſinat hic currere calamus, ad reliqua, tempus inſtat, progrediendum iam eſt enarranda. Typos interim laudatorum a nobis Numorum in Tabula hac adpingere ne iam negligamus, ad veram, qua potuit accuratione, archetyporum ſimilitudinem efformatos:



Exiſtimem nouiſſime me peccare vehementer in Rempublicam litterariam Hungariae, ſi groſſum minorem argenteum ab erudito Amico huiate pridie huius diei acceptum, nulla prius hic illius facta mentione, illico in ſcrinia recondiderim,

noſtram a Cel. Prayo quoque recentiſſime iam confirmari intelligimus, dum Hierarch. Part. II. pag. 294. Iac. Longobardum de Placentia e Praepoſitura Poſonienſi ad Epiſcopum Chanadienſem an. 1333. euehit, et pag. 345. inde Zagrabiam an. 1343. translocat, atque Roberti et Ludouici I. phyſicum conſtituit.

ARTICVLVS XXIX.

Madats (*Caſpar*) *Tot-Keletſény* tenuis viculus eſt in Comitatu Nogradienſi ad *Sztregovam* amniculum ſitus, praetorio *Gentis Madátſianae* inſignis, cui ſecundo rivo adſcendentibus *Alſó-Sztregova*, a qua familia illa hodiedum florens ſuam accepit denominationem, orientali annis margine obiicitur: loco huic geminum opere non indecoro inaedificatum eſt caſtellum, alterum

loca mox perpetuo tenebricoſa occupaturum; ſiquidem mire is plurimum facit ad illuſtrationem Numi Fig. V. a nobis ſtatim repraeſentati, in cuius aeque parte poſtica inter Turres eminet Pinna Templi cruce ſimplici ornata; hinc Dracone, illinc Crocodilo, ore hiante caudam illius conuolutam mordente, ſtipata, in antica uero parte conſpicitur Vir Veſte epiſcopali totus circumamictus, et mitra in capite tectus, dextra pedum paſtorale, ſiniſtra tenens Euangeliarium, his ſolis ſuperſtitibus in periphaeria characteribus — — — V V — — 19 A I — — — Nonne nomen Regis noſtri Colomanni, aliter CoLVmBANi dicti, his ipſis litteris ſignificari debere hariolabimur?

alterum gentis Madatſianae Sztregouenſis haerediolum eſt, cippos & vexilla emortualia priſcorum herorum ſuorum aedes ſacra ibidem conſtituta hodiedum oſtentat: vt Diploma a *Matthia Coruino* ob inſigne facinus, bello bohemico editum, antiquae huic genti impertitum monſtrat, vico quoque *Boros-Berinke* in eodem Comitatu commode locato donata eſt: Madatſiós rebus quoque publicis in eadem provincia ſubinde adminiſtrandis praefuiſſe *Cel. Matthias Belius* ex publico Comitatus tabulario eruit *Notit. Hungar. Nov. Tom. IV.* pag. 46. *Georgium Madátſium de Sztregova* in primis ſeculo ſuperiori Pro-Comitis quoque munus geſſiſſe. Ex horum genere ortum olim eſſe noſtrum quoque *Caſparum Madátſium* accepimus, qui admiſſis in contubernium Muſis aetatem in meliores litteras, remque imprimis medicam poſt publici, vt videtur, muneris adminiſtrationem, raro inter Nobiles exemplo, impendit. Hoc ſatis dedolere nequimus, quod reliqua Nobiliſſimi Viri doctiſſima, quae in litteras retulerat, commentaria vel computruerint temporum iniuria, aut certe concerpta, vel ad foeda miniſteria reiecta ſint. Ite nunc Muſae, et ſi quis vobis ſenſus eſt, gaudete, et amplexibus mutuis Veſtrum excipite! Nos certe Virum aeterna memoria dignum, ſine crimine ſilere nequiuimus. En itaque Codicem, qui in manus noſtras fato felici incidit, botanicum, anno 1608. terſiſſime manu ſua in forma octavi ordinis philyris 30. exaratum, typo deſti-

natum, et in litterariam lucem educendum, qui praeſtantiſſimum P. Andr. Matthioli Librum Herbarium ciuitate Hungarica donatum, et hoc inſignitum titulo exhibet:

Haazy Apateka. Szok rendbely irott orwoſſagokkal ezközökkel tellies ezen koniw mellieket könnien megkeſithetny minden fele kwlſok es Belſö niawaliak Betegſegek ellen, melliek ſzármaznak az emberre elette folliaſanakminden ideieben. Nemet nielwbeol az Tudos Doctor Matthiolus Andras Herbariumos köniwebwl Chech nielwre forditatot, es moſtan Chech nielwbwl Magiarra forditatot az Nemzetes es Nemes Stregoway Madats Gaſpar altal Az Ezer hat ſzaz huſſon niolts eſtendoben.

In libro hoc, per capita CCVIII. diſpoſito, proponuntur ex ordine quaeuis morborum genera, curanda modo Galenico, herbarum potiſſimum beneficio, addita vbique ad margines lemmatum inſtar interpretatione plantarum Bohemica, et ſubnexo ad calcem morborum indice, copioſiſſimo. Quanta vero cum accuratione Auctor noſter propoſito hoc munere defunctus fuerit, vnum alterumque caput integrum, hic pro exhibendo ſpecimine, retenta Seculi XVI. orthographia, inſerendum putaui.

Caput XLVI. Eökleles ellen, melliet Pleurifisnek hyak.

Agrifolium io *Eckleles ellen, ha porra tenne es azt meg Inna. Hurut ellen is igen Io.*

Barba hirci (kozy Bradka) *keczke ſakal neweöſu nierſen auagi feöwe Enni augi feöwe inna, haſznal azoknak: kik Faidalommal vezötnek, auagi*

gi keö bant. Mely faiaſza ellen is io, Hurutt; nehéz le legzet wevoknek, ſaraſzagh es oldalnak faiaſza ellen is io. Az ki faczart wize is Eökleles ellen.

Wegied az Arpa liſztet Maak feieket *Rutat, Geörög ſenat egykbeöl annit, mint a maſzikból, azt igen iol meg fozed wizben, adgi hoza fa olait, és tſinali belole flaſtrumot, melegen rakiad reaia meg alatia az faidalmakat.*

Cardus Benedictus. *Az Papa fü wize ighen haſznal ökleles ellen. Luter marton probált orwoſzaga.*

Cerefolium (Kerblyk) *Turbulianak ki faczart lewe Arpa Wizel és Naad mezel Innia io Eökleles ellen.*

Nimphea (Lekno) *Wizi* Teök *wize Almot hoz a ſemedre, az heuſeget Termeſet ellen gialutia, felete haſznos minden fele heuſeges hideg leles ellen, feökeppen azoknak kik az teſtben el ſzaradnak. Haſznal heufakadaſok ellen oldalban, ſaras kech, ſoniuſzag, es heu Lep ellen ha iſak az wizit.*

Scabioſa (Kawias) *Swl füt wizzben auagi borban feozai, azt innia igen io Eoklelet ellen, ki tiſlitia az rutſſagott Melibeöl es twdeöbül, wizi korſzag ellen haſznal, ha eginehani nap egimas wtan iſzod, és azzal az ki faczart wizewell vizketeget kened. Swl fü wiziben adnanak az beteg embernek innia negi auagi eot kalannal, Eökleles, Hurut, giliſtak es hideg leles ellen igen io.*

Item. Wegied az Wad kannak (Weprowi Zub.) *fogabol walo wakart port egi latal, es*

igiad ſwl fü wiziwel regel eginehani nap, igen probalt orwoſzag ökleles elen, melt pleuriſisnek hyak.

Papauer erraticum (wlczy mak) Farkas Mag io *Eöklelett ellen hogi ha annak az wiragat meg ſaraztanak, es porra tennek, betegnek adnad innia. Nemeliek a Swl fü viziben egi Meſelben ereztenek benne egi Czomotskaba es vgi oſzwe föuen feligh echomra adgiak meg innia, azt pedig innia haram izben kel regel, probalt orwoſag.*

Vrtia (Koprywa) Chalanbol *wött viz, awagi leuelenkent le ſedwen, wizben meg feözned, melegen azt Innad, ighen haſznal Eöklelet ellen, mert az haniaſra eröltett, villagoſiiettia a ſemeket, és tiſztitia minden belſeö és külſeö ſzebeket is.*

Nux Indica. (Orech Indiansky) Serechen Diobol *walo Olay el weſzy az agieknak faidalmat. köwet, keöſwent kyüzi feökeppen, az ky terdben is ky ottlik giogettia. Eökleletet giogit, nehezen weueö lelegzetettis, giliſtakat ki özi az hasbul, ha kenyk wele. Nux moſhata calida ſicca ſecundo gradu, vim habet roborandi ventriculum, et frigidos ipſius affectus ſanandi, concoctionem iuuandi et flatus diſcutiendi.*

Semen Lini (Lnene ſyme) Len magnak *edgi keweſzet wegied, és azt vizell meg öntwen, melegen rakiad az faio ſemedre, io Eöklelet ellen is.*

Caulis Capuſta, vel Oleris Kapoſta giukereet *egiezd meg o hayal, és awal kenied oldalodot, igen enihiti az Eokletet, es az oldal faiaſt.*

Wegied

Wegied az Kapoſta lewelet, *tegied az igen heu teglara, kend meg waial awagi tiuk haial, hogi iol meglagiulna, az keomennek porawal hints megh feliül, es rakyad melegen az faib oldaladra.*

Mikor az ferſiatt bantia az Eoklelet, vegied az hym vehemnek ganeiat melegen és faczard az lewet, kylentsſereſt moſs beleie, es adgi meg Innia az betegnek, ha az Aſzonialatot bantia, az Noſtinnek ganeiat *kel wenny.*

Item. *Recipe Camphorae.* ℨ. *j. Theriacae bonae* ℨ. 2. *vel* ℨ. *croci* ℨ. *j. aloe hepatici* ℨ. *j. Mirrae* ℨ. *vel* 5. *Miſce cum auro puriſſimo tabulis ſeptem: Ita ſingula conterantur, ipſa confectio detur in quantitate nucis auelanae ieiunio tepido quantum capit vnum coclear, ungaturque locus dolens eadem quantitate ex vino ſimiliter tepido, coperiatur, poſtea igne vt bene ſudet.*

Item. *Vegied az* veres hagimat (Cybulina) *ved ky belöle az keek hartiat, azt teörd meg mezel, ted az oldaladra, erelie meg alattia.*

Caput LXXV. Termeſetre ſolgalo Inakot es ereket fel nitni.

Iuola giukeoret *megfeozni leweleſttöl es azal, az Alfelet parlani, es az ruhawal türleni, az nilat koztattia az erekett, meliböl Malancholia weer ky foly.*

Annagallis. Tuikhur neweö *fwnek keck wiraga viſza özi eſzmet az weer hurkat, de eſzmet az Tuikhur neweo fü melinek weres wiraga wagion hi wonia nemelliek ahoz keppeſt elnek wele az Aranias Inakert, nilat kozaſokeert, meliet* Hemoroideſnek *neweznek.*

Weres

Weres hagimat *meg hamzanni es azt ſa olaiban tenni, egi vini termede keſſeghw ſakoczkaban varanni, es azt chiap gianant az Alſelben tolni, meg nilatkoztattia az Aranios Inakot. Ha az Aſzoni alat ſemerem teſzteben teſzik, megh indittia az Hauikorſagott, az meli meg alott wala, es foliaſabol el allott wolt.*

Diſzno repanak ky faczart lewewel az wegſeö hurkatt, hon az Aranias Inak vadnak kenni, nilatkoztattia az Aranias Inakot.

Caput CIV. Emberben ſzerelem dolgaban geriedezeſt inditani. Poſteaquam omnia ad tollendam virorum faeminarumue ſterilitatem, conciliandam vero vtrisque foecunditatem Auctor enumeraſſet medicamenta ſimplicia aphrodiſiaca, vt ſunt Fraxinus, caſtanea, amygdalum, nux Indica, Oriza, Semen lini, capſicum, rapum, paſtinaca, ſinapi, naſturtium, porrum, cepa, allium charyophyllum, carduus benedictus, coriandrum, ſatyrion, polygonatum, boletus ceruinus, genitale cerui, nux moſchata, piſtacia, articactus, artitioka, claudit agmen Aſparago hunc in modum:

Aſparagus. *Sparganak giukeret etelben hozad venni, igen io, Indulatot hoz embernek, ſerelemre gerieſzti.*

Nos vero quo Commentariolo, ad Inclitam Nat. Curioſ. Societatem Anno 1777. exmiſſo, naturam Aſparagi explicauerimus, placebit hic eam obſeruationem noſtram medicam cum ſubnexo ſcholio integram repetere.

Obſer-

Obſeruatio de virtute et efficacia Aſparagi medica.

A viginti inde retro annis, quibus medicinam exerceo clinicam, plures in Aduerſariis meis medicis reperio Viros, qui languenti in corporibus ſuis Veneri opem medicam a me adferri expetierunt; dum primis praxeos meae annis medicamenta aphrodiſiaca in pharmacopoliis parari ſolita in curando morbo vocarem in ſubſidium, ſed, ut fatear ingenue, voto noſtro haudquaquam reſpondenti cepi ſimplicium duntaxat medicamentorum ad hanc claſſem referri ſolitorum vires in plerisque hominibus, dicto malo tentatis, repetitis explorare vicibus; at nullum tanta pollere efficacia, ac turiones ſeu cauliculos teneros aſparagi in iuſculo carnis bubulae coctos ac liberaliter comeſtos, certis animaduertimus experimentis. Licet tantorum virorum nomina prodere ſanctiſſima medicorum vetet religio, ſubticere tamen non poſſum ex eorum numero fuiſſe praeprimis quemdam e gente recutita in hac noſtra vicinia hominem, qui, dum in ſuaui ac concordi a viginti quinque inde annis abſque omni querela viueret matrimonio, mox illud ante quadriennium ex neglecto debito officio coniugali repente mirum in modum conturbabatur: adhibitis prius incaſſum reliquis medicamentis, ex largiori aſparagorum vſu in tantum languentes partes genitales recreatae, vt duorum poſtea liberorum pater, maritus a coniuge ſua

ſalu-

Digitized by Google

ſalutaretur. Veſcebatur hoc quoque vere patiens noſter, vt ſolet quotannis, tyrſis his in cibo laudato, ſex hebdomadarum intervallo quotidie adſumtis, quorum mirus, vltra quam crederes, in agris noſtris longe lateque patentibus, vertentibus quibusuis annis, eſt prouentus; inde factum eſt, vt vſus eorum inter nos euaſerit promiſcue popularis, et plus ſemper agreſtes hi, quam ſatiri, vtentibus adferant emolumenti.

SCHOLION.

Duo antiquioris aeui in Hungaria Botanici, viri longe eruditiſſimi, *Petrus Melius Juháſz de Horhi*, Debrecinenſis, et Stephanus Bejthe Caſtriferenſis in ſuis Herbariis, quod ille Claudiopoli anno 1578. in 4. hic vero Nemet-vjjvarini anno 1595. in 4. typorum beneficio publicarunt, in deſcribendis aſparagi virtutibus ex aſſe conueniunt, dum haec ſermone vernaculo referunt. *Az Spárga meddüſſégöt el üz mint az Borsfigü Szaporitya az ferfyſáget, és Szaporijto magot: id eſt: Aſparagus infoecunditatem aufert, prouti Satureia, virilitatem vero inducit, et ſemen genitale auget.* Ex adlato hoc ſpecimine conſtat aperte, minus recte gloriari poſſe vtrumque laudatum hunc Auctorem noſtrum, ſe ſe in conſcribendis libris ſuis Botanicis Dioſcoridis imprimis vſos fuiſſe opera, quum diverſum prorſus Graecus iſte Scriptor de aſparago referat: ποιεῖ ἀτόκον καὶ ἄγονον. quod Ianus

nus

nus Anton. Saracenus edit. Francof. an. 1598. Libr. II. Cap. CLII. pag. 140. rectius ita latine reddidit: *Aſparagus partum impedit, et ſterilitatem inducit.* Putem laudatus Patriae Botanicos duum viros Melium et Bejtheum noſtrum Ruellii translatione fuiſſe deceptos, qui ſic ſermone latino Dioſcoridem, ſed perperam, expreſſit, edit. Francofurt. 1549. pag. 146. *conceptum adimit et ſterilitatem aufert;* adfert ſcribere debebat, id enim eſt, quod ἄγονον ſignificat. Vel ex ſolo ſpecimine hoc conſtat liquido iuſtas profecto habuiſſe cauſſas Saracenum in praefatione translationis Dioſcorideae, vt Ruelli verſionem tamquam minus fidam, reiiceret, eo quod multis in locis Latina Graecis non ſatis apte reſponderent. Omnes, praeter *Ruellium*, et huius translatione ſeductos priſcos Patriae noſtrae Botanicos, *Melium et Bejtheum*, mentem Dioſcoridis recte expreſſerunt: ita enim *Ianus* quoque *Cornarius* edit. Baſil. anno 1557. pag. 169. *Conceptionem impedit, et infoecunditatem inducit*, hoc certe ἀτοκιον et ἄγονον ſignificat; in hunc modum reddit *Matthiolus* quoque edit. Venet. anno 1558. ita legitur in aliis quoque et huius, et reliquorum interpretum, editionibus ſingulis. *Ioannes* quoque *Danzius*, Aſtenſis in Translatione Dioſcoridis Germanica, a *Petro Vffenbachio* iconibus plantarum exornata edit. Francof. anno 1610. in fol. pag. 108. cap. 38. Lib. II. ſic recte interpretatur: *Verhindert die Empfängnüſz, und bringet Unfruchtbarkeit zu weg.* Dioſcoridem preſſo mox pede

ſecuti

ſecuti rei herbariae ſcriptores, quantum quidem nobis innoteſcere potuit, vniuerſi, aſparagum, quoquomodo ſumptum, ſterilitatem ſexui ſequiori inducere conſtanter crediderunt; ſi vnum excipias *Auicennam*, qui in *Libro Canonis Medicinae*, cum caſtigationibus Andreae Bellunenſis, edit. Venet. anno 1527. in fol. Lib. II. Tract. II. pag. 121. cap. DCXI. perhibet: *Aſparagum, conferre difficultati impraegnationis.* Sed forte *Chryſippus* quoque iam ante Dioſcoridem eo digitum intendere voluit, dum teſte Plinio Lib. XX. cap. 10. *Aſparagum Veneri contrarium eſſe adſeruit*, quod *Harduinus* certe de faeminarum ſterilitate intelligendum eſſe interpretatur, in Notis ſuis ad hunc Plinii ſecundi locum, edit. Pariſ. anno 1741. Tom. II. pag. 204. Easdem exſerere vires in mulieribus aſparagum Nouitii quoque Auctores conſentiunt. *Ioſ. Quercetanus* Diaetet. polyhiſtoric. pag. 282. Suaſor eſt mulieribus ab eſu aſparagi ſe debere abſtinere, ne ſterileſcant. *Godofr. Moebius*, Inſtit. Med. Libr. IV. Part. II. cap. 3. docet crebriori et largiori eius uſu foeminas ſteriles reddi. *Chriſtianus Franc. Paullinus* obſeruationem habet de Muliere, quæ ab eſu aſparagi ſterilis reddita eſt, in Ephemerid. Nat. CC. Dec. II. anno V. Append. obſerv. CVII. pag. 67. plura piget in hanc rem coaceruare Medicorum Teſtimonia. Sed prouti iam euicimus, tot tantorumque virorum auctoritate muniti, foeminas reddi infoecundas ab adſumpto aſparago, ita e contraria parte mares

ad

ad officia coniugalia rite exſequenda effici multo alacriores, ex dicendis clarius eluceſcet. *Plinius ſecundus* Hiſt. Nat. Libr. XX. cap. 10. *Venerem ſtimulare* dicit *aſparagum*, item *Veneris Cauſſa aquam eius decoctam bibi ad heminam. Plinius Valerianus* idem repetit Lib. IV. cap. 30. *Simeon Sethus*, in Syntagmat. de Cibariorum facultate, edit. Baſil. ann. 1538. in 8. pag. 6. in Artic. dicit ἀσπάραγος προςίθεται τῇ γονῇ, quod *Gregorius Gyraldus*, Latinus interpres, pag. 102. ſic vertit: *ad ſemen genitale adiicit*; conſentit *Averröes* in ſuo *Colliget.* cap. XLII. pag. 84. quod *Averoys Colliget* coniunctim cum *Abhomeron Abyn Zohar Hieronymus Surianus*, Venet. anno 1514. in fol. edidit. *Auicenna* vero l. c. refert: *Aſparagum augmentare in ſpermate et coitu. Elluchaſen Elimithar*, Medicus de Baldath, de ſex rebus non naturalibus, cum *Abengnefit* et *Iac. Alkindo*, Argentor. anno 1531. in fol. editus pag. 58. in Tacuino XI. Domo 6. tale iuuamentum de aſparago adſcripſit; *addit in Coitu, et aperit oppilationes. Adamus Lonicerus* quoque in Hiſtoria arborum et Trutic. edit. Francofurt. anno 1551. in Artic. pag. 141. *Semen genitale augere* ſcribit. Idem credit *Rembert. Dodonaeus* in Hiſtoria ſtirpium Pemptad. V. Lib. IV. cap. 13. pag. 693. et reliqui omnes recentioris aeui Medici, in hanc manibus pedibusque eunt ſententiam, poſt *Linnaeum*, *Schäfferum*, alios, claudat agmen *Ioan. Baptiſta Morandus* in Hiſtor. Botanica Practica pag. 105. edit. Mediolan. anno 1744. in fol. *Semen genitale au-*

augere, *et Venerem excitare* aſſerens. Ex dictis itaque his certo nobis conſtare poterit de diverſis *aſparagi* in diſtincto hominum ſexu effectibus, quod illius ſcilicet vſu mares foecundi, mulieres vero ſteriles reddantur: ſed dum minuti quidam Philoſophi critici mente haud poſſent haec comprehendere, coeperunt ipſi quoque inſultare Dioſcoridi, imo verba eius in hanc rem ſonantia ex textu graeco, conſilio, vt videtur, iniquo forte, expungere, prouti hoc ex *Ioan. Bodaei a Stapel* Commentariis, in *Theophraſti Ereſii* Hiſtoriam Plantarum Scriptis, Lib. VI. cap. III. pag. 588. ſeq. licet vbertim cognoſcere, edit. Amſtelod. anno 1644. in fol. Aſt eruditorum hanc de Aſparagi virtutibus motam litem optime compoſuiſſe videtur celeb. *Ioan. Wilhelm Weinmannus* in Phitantozā Ichnographia ſua. Tom. I. pag. 92. ſeqq. Exploratione nempe chemica innotuit, plantam hanc recentem partibus aqueo - terreo - mucilaginoſis, ſal eſſentiale blandum, et ſubacre cum oleo ſubdulci fouentibus, conſtare, atque ob id blande incidentis, reſoluentis, aperientis eſſe indolis, ſimul et diureticae, quare ob virtutem diureticam hanc, ſibi congenitam, languentem ſtimulare, Venerem. et excitare neceſſe eſt: quod vero ſimul materiam pro ſecernendo et exercendo in Maribus ſemine ſuppeditet, ſimpliciſſimum hoc blandum ſtimulans arte factis omnibus medicamentis longe antiſtare comperitur. Sed quia diuretica ſimul emmenagoga quoque virtute praedita eſſe dignoſcantur,

tur,

tur, quod de Aſparago iisdem verbis laudatus *Simeon Sethi* l. c. *Lemery*, alii referunt, ab experientia conuicti, adeoque quod abſterſiua et aperiendi vi potenter polleat, inde fit, vt vterus faemineus, hac lege continuo ſollicitatus, magis ad egerendum, quam ad quidpiam recipiendum et retinendum idoneus habeatur, et ſic facile ſterilis reddatur. Clare ex his perſpicitur haud quaquam rationi id eſſe diſſonum; dum a liberali turionum Aſparagi vſu mares foecundos, mulieres vero ſteriles reddi adſeritur. Debrecini ad diem 26. Iun. anno 1777.

ARTICVLVS XXX.

Marikowszky (*Martinus*) Patre cognomine, Martino Marikowszkio, Viro nobiliſſimo Nagy-Toronyenſi, et Matre Anna Sztruhariana, Schemnitzienſi, XVI. Kal. Nov. anno currentis aevi XXVIII. Rosnaviae, oppido montano, Comitatus Gömörienſis metropoli progenitus: a parentibus his Dobſchavienſi primum, mox Leutſchovienſi, ſcholis commiſſus, et ad ſtudia humanitatis informando initiatus, ita celeriter profecit, vt ad altiorum ſcholarum ſubſellia translocatus, præter latinam, qua multo eſt vberior et locupletior, graecam quoque linguam Iaurini et Poſonii ſibi reddiderit familiariſſimam. Sed dum ſermonis ornatum absque rerum et ſcientiarum copia rem inanem eſſe intelligeret, ad Philoſophiam quoque curatius excolendam animum adplicuit,

Digitized by Google

non horridam illam, et barbaram ſcholaſticorum, ſed liberalem et ingenuam, quae ex Leibnitii et Wolffi limpidiſſimis hauritur fontibus; atque hac uſus via, vaſtiſſimum illum diſciplinarum orbem emenſurus, Wittebergae, quo ſe primum apud exteras nationes An. 1750. contulerat, in Mathematicis diſciplinis Weidlero, in Medicis, Languthio, Trillero, Boehmeroque, in Phyſicis Boſio, fideliſſimis praeceptoribus, viam praeeuntibus, integro triennio liberaliter ſemet exercuit: inde Halam Saxonum profectus, Büchnerum, Iunckerum, Boehmerum, Eberhardum, Nicolai, Langium, alios quoque celebres in docendis variis artibus artifices, cum inſigni ſtudiorum ſuorum emolumento auſcultauit. *E*rlangam digreſſus, dignum exantlatorum laborum ſcholaſticorum praemium, Cel. Delio brabeuta, ad d. 26. Maji An. 1755. conferente, adplaudente Medicorum choro reportauit. Obtentis hac lege ſummis in arte Apollinea honoribus et privilegiis, per varias Europae prouincias prius peregrinatus, in patriam tellurem variis eruditionis theſauris locupletatus reuertit, Rosnauiae praxin medicam initio auſpicatus, quam mox Poſonii, tandem Vaczii in Aula Ill. Comitis Paulli Forgách praeſulis infulati, deinde in Comitatu Zemplenienſi ordinarii Medici munere ornatus, crebra firmauit exercitatione: ex oris his in Sclauoniam delatus, in Comitatu Sirmienſi muneri Phyſici prouincialis admotus, multa quoque cum dexteritate ei pro modulo

dulo virium ſuarum ſatisfecit tamdiu, quoad opportunitatis in optima illa regione pertaeſus, quod verſatilem et lubricam a natura nactus ſit indolem, in aliam coactus fuerit, ita inſtigante ſuo genio, transmigrare coeli temperiem, vix tamen multo ſibi fauentiorem; in ſplendidiſſimam enim Ill. Comitis Antonii Karoli, optimi litterarum litteratorumque altoris, Aulam receptus, pauculos duntaxat in ea, et vniuerſo Comitatu Szathmarienſi exigere potuit annos, ſubminiſtrato Ei namque, et acceptato, abeundi conſilio, recto itinere Vindobonam petere induxit in animum, vt conciliatis in augusta hac metropoli optimorum quorumuis Mecaenatum fauoribus, Philoſophicam aut Medicam, quam ambiuerat, in erigenda recens ſtudiorum Vniuerſitate Tyrnavienſi; exornandam a ſe, obtinere poſſet cathedram: ſed omni, qua ſe in vanum lactauerat, ſpe deluſus, Peſtini, regni noſtri meditullio, in magna luculentorum Patriae ciuium celebritate ſubſtitit, et altero poſtea ſubſecuturo anno, laboribus, peregrinationibus, caſibus variis, tuſſi cum primis ferina, et febre lenta fractus, ſeculi ſui malitiam, et ingratitudinem accuſando, de hac vitae ſtatione anno 1772. ad exitum vergente, decedere coactus eſt.

O P E R A.

I. Diſput. inaug. med. *De Diſcuſſione et Medicamentis diſcutientibus in genere.* Praeſide

Henr. Friderico Delio, Erlangae an. 1775 in 4. plag. 2.

2. *Ephemerides Syrmienſes, ſeu Obſeruationes Phyſico-medicae, Conſtitutionum anniuerſarium inclyti Comitatus Syrmienſis, vicinarumque partium, ad latitudinem loci 45. 30. longitudinem vero 41° 37′ accommodatae, atque ab ineunte vere anni 1763. methodo Hippocratico-Sydenhaimiana practica huicque ſuperſtructa theoretica demonſtratiua concinnatae.* Auctore M. M. Equite Hungaro, AA. LL. Phil. ac Medic. Doct. Incl. Comitatus Syrmienſis Phyſico Ordinar. Vindobonae an. 1767. in 8. plag. 3. Nuncupatae ſunt honoribus Ill. Lib. Bar. Franciſci a Paula Balaſſa de Gyarmath, Conſiliarii Regii et Comitis Supremi. Illae prae primis Eius obſeruationes noſtram meruerunt attentionem, ubi ad luem pecorum a pag. 11. ad 24. uſque digreditur examinandam, quae §. 14. proferuntur hoc ordine: 1. *Obſeruaui Luem pecorum locis magis humilibus, paludoſis, paſcuis, nec non exundationibus aquarum obnoxiis familiariorem eſſe, quam elatioribus.*

2. *Rubiginem aut rorem ſic dictum melleum, ſaepiſſime mihi conſpicere licuit cruſtam per hunc plantis impreſſam, oculo armato contemplatus, innumeros in ea vermiculos detexi, acto poſtea ad infectum tale paſcuum armento, e veſtigio luem irrepſiſſe expertus teſtor.*

3. *An-*

3. *Annis elapſis erucae arbores immane quantum depaſcebantur, braſſicamque et olera alia ingenti numero obſedere, notata quoque ſunt exempla, vbi obiecta vaccae verminoſa huiusmodi braſſica, poſtquam eam deuoraſſet, confeſtim venter murmur continuum edidit, de hinc ſequenti luce fluxa alvo pecus periit.*

4. *E Veterinariorum relatione fide digna didici, nullam in lue hac contagii ſuſpicionem hucdum deprehendi potuiſſe, quin potius infectum pecus alio in vico cum ſanis eodem ſtabulo concluſum his nullam labem intuliſſe. Inde tamen inferre nolim nullam pecorum luem eſſe contagioſam, ſed quamdam ſolummodo.* Haec ultimo loco dicta, vix veritati conſentanea eſſe nobis videntur, diuerſum enim prorſus in agris noſtris Debreczinenſibus triſtiſſimis ſubinde experimur exemplis. *

 3. Con-

* Dum ſcilicet anno hoc labente 1778. agri noſtri Debreczinenſis armenta, eaque ſolius tantummodo foecundationis et ſaginationis gratia in paſcuis longe lateque patentibus ali ſolita iuſſu Magiſtratu ciuici vna cum prouido Plebis Tribuno, P. Fr. ſingula ex ordine perluſtraremus, inueſtigaturi curatius in naturam Luis bouillae, tempeſtate hac ſaeviter graſſantis, et medelam, ſi quam ars ſuppeditare poſſet, tanto malo adlaturi, manifeſtiſſimis conſtitit indiciis ex vnanimi paſtorum conſenſione, Luem hanc fuiſſe quam maxime contagioſam; ex primo enim pecorum grege *Berzekiano*, ita a cuſtode primario denominato, quem medio

3. *Continuatio Ephemeridum Phyſico-medicarum Syrmienſium pro anno Epochae chriſtianae* 1766 *concinnata.* Ibidem an. eodem in 8. plag. 3. Ephemerides has utrasque, vt ſingularis indu-

---

medio menſe Maio Lues haec primum corripuerat, haud ita multo poſt *Zoltanianum*, inde Bokaianum mox Kiſſianum, Deakianum et reliqua ex ordine ſenſim ſerpendo ſingula tranſiuerat, prout vnum quodque armentum alteri eſſet vicinum, ita vt adulto menſe Septembre, tempore ſcilicet inſtitutae viſitationis noſtrae, ſingula pecorum armenta, quae duodecim numerata ſunt, malum hoc fuerint experta, quorum nonnulla ab eo prorſus iam ſunt liberata, alia vero hoc quoque tempore in eum modum miſere affligerentur, vt decem numero, immo amplius quoque de die in diem peſte correpta creparent. Referam praeterea eorum alia quoque nonnulla, quum omnia loco hoc non liceat, quae ampliſſimo Magiſtratui hujati occaſione hac renunciata ſunt; In Lue hac pecorum bouilla obſeruatum eſt lege conſtanti, ſimulac morbus inuaſit, vnum quodque triſte et moroſum eſſe incipit, aures demittit, ruminari deſinit, pili in vniuerſa corporis ſuperficie horrent, ſtant erecti, oculi et nares diuerſos plorant humores, aliis aluus manet clauſa, aliis lubrica fieri incipit, atque immodicum Ventris profluuium ſollicitat, quaedam tertio quartove die ab inuaſionis tempore, nihil eo obſtante, lubricane an adſtricta fuerit aluus, morbo correpta exſpirant, alia vero per vnam alteramque ac tertiam hebdomadam nulla habita dierum ratione, morbo detenta aut pereunt, aut ſenſim conualeſcunt, multo plura tamen ſanitatem beneficio naturae recuperarunt, quam perierint, adeo quidem vt nullum armentum, licet quoddam mille et amplius con,

Digitized by Google

induſtriae ſuae ſpecimen, dum auctor ad Auguſtos Ioſephi II. Imperatoris pedes Eſzekini flexo poplite deponeret, quum optumus Princeps hic, Pater Patriae, in oris

 illis

conſtaret pecoribus, herorum ſtigmate notatis, vix centum ab infectione libera numerauerit, non tamen ſupra centum amiſerit, ſi tamen vnum exceperis Berzekianum gregem, primo omnium loco notatum, in quo viginti et amplius ultra centum, nulla habita ſexus et aetatis ratione, ſunt deſiderata. Inſtituta cadauerum apertione, pulmones aliis ſani et integri, aliis vario modo corrupti; ſanie repleti, immo exeſi et conſumti inuenti; aliis hepar et lien perinde integrum, aliis inflammatum, et vitiatis humoribus ſupra modum turgidum, omnibus tamen et ſingulis veſicula fellea nigra bile plurimum foetente plena, et maiori, quam crederes, quantitate diſtenta reperta; ſingulis ventriculus, reticulum omaſus, abomaſus, herbis non rite maſticatis, nec bene ruminatis, arctiſſime compactis inuenti ſunt pleniſſimi, inteſtinorum canalis integer gangraena, vt plurimum et ſphacelo correptus, liquorem putridum male olentem et cadaueroſum exhibens. Nec ſane mirum, hanc inter pecora noſtra obſeruatam fuiſſe mortalitatem funeſtam, aër enim noſter tota aeſtate fuit quam ſiccisſimus, ingens inſectorum numerus obſeruatus, quae ovulis et excrementis ad herbas et gramina depoſitis, eas, quod eſſent acris et corrodentis naturae, facile coinquinarunt, venti continuo ſpirantes pulueribus et harenis obduxerunt, nec pluuiae de coelo deciduae ullae ſordes has deterſerunt, emendarunt, et aërem aeſtuantem, hisque inquinamentis conſpurcatum percolarunt, depurarunt: coacta itaque ſunt neceſſario pecora omnis generis aëris hiſce miaſmatibus

illis diuerſaretur, et admiſſus Medicus noſter facile, et humaniter cum ſingulari benivolentiae ſignificatione dimiſſus eſt.

4. A' Néphez valú Tudoſitás, miképpen kellyen à maga égeſſégére vigyázni, Irattatott

Tiſſot

---

tibus deleteriis inpraegnatum inſpirare, tales herbas manducare, aquas non niſi undique ſtagnantes putridas, et innumera vermium prole mire ſcatentes bibere, et mox minoribus his aquarum pluvialium receptaculis exareſcentibus, aquam perinde putridam ex ſolo Fluuio Hortobàgy, ſubſidente ſcilicet Tibiſco, ſemper ſtagnante, et aggeribus clauſo, eamque in ipſo feruentiſſimo quoque ſolis aeſtu non niſi ſemel ut plurimum de ie haurire, et ſitim ardentem reſtinguere, eo uod alia pluraque in paſcuis his longe lateque atentibus haud ſuppeterent loca, aquationi tot ntorumque gregum deſtinata. Conſulto itaque eri renunciatum eſt, ſi idonei in vaſta et arida c Regione pro ſingulo quoque armento bini effodiantur putei, ut ita recentiſſima et ſalubri aqua i is, vt res deſiderabit, refici poſſit temporibus; p ua gregis unius cuiusque certis definiantur limi bus, ingruentis potiſſimum luis bouillae tempore numquam transgrediendis; ſeparationem ſancrum ab infectis legitimo et conuenienti modo ſuo inſtituendam; utriusque partis ſingulari ratione delegatis in hunc finem cuſtodibus, artis veterinariae peritis, curam eſſe habendam; morbidorum in primis, quorum plura, quam crederes, ſolum hominum incuria perire neceſſe eſt; cadauera foetorem plus quam peſtiferum ſpirantia humo conderentur; et plura talia conſilia ſalubria, in arte veterinaria iure optimo obſervanda ſuppeditata, forte etiam tandem aliquando effectui a noſtris

quoque

Tiſſot Ur, M. D. á Lauſannai Akademià ban az Orvos Tudomànynak Tamitója által. Motſan pedig Hazánk àllapottyához alkalmaztatva, Magyar nyelvre fordittatott Nagy-Tornyai M. Màrton M. D. által. Nagy-Karolyban 1772. in 8. alph. 2. Eſt vulgatiſſimus Cel. Tiſſoti Liber Medicus e Gallico in idioma hungaricum traductus, *Avis au peuple ſur ſa ſanté*: ſed comptiorem vtiliſſimi operis translationem, eamque vere hungaricam quotidie exſpectamus in lucem prodituram.

ARTICVLVS XXXI.

Megerlinvs (*Joannes*) Apud M. *Georgium Hanerum* in Hiſtor. Eccleſ. Tranſilu. Lib. IV. pag. 200. 201. de *Adriano*, antiquo Tranſiluaniae Medico, Archidiacono Dobocenſi, haec, quae ſubiiciuntur, leguntur verba: *Aderant iam omnes* (in comitiis generalibus, Claudiopoli

quoque hominibus ſerio mancipanda. Ne eorumdem quidem armentorum multo aequiorem eſſe conditionem experiundo ſubinde addidicimus, quae in vicinis vrbi noſtrae circumfuſis paſcuis aeque diu noctuque commorantur, ſaginantur; Aſt tamen greges vaccarum domeſticarum, quae vertente quouis veſpere, diſtenta lacte vbera vſibus matrum familias domum referunt, enumeratis his luis incommodis vix eum in modum ſunt expoliti, illis enim multo ſalubriori, quam caeteris paſſim oberrantibus, ratione iam eſſe prouiſum nouimus.

Digitized by Google

diopoli An. 1543. conuocatis) *cum Martinuſius, vt ſuam pro aſſerenda Curiae Romanae autoritate fidem grauiter probaret, Lutheranae Religionis Doctores rogo imponere et cremare poſtulabat, ſed Vrbanus Batyáni, Iovio Hiſtorico celebris, Reginae Conſiliarius*, et Michaël Csáki itidem Reginae Conſiliarius; & Adrianus Medecinae Doctor, Archi-Diaconus Dobocenſis, *accuratiori conſideratione rem dignam eſſe aſſerebant, et vt ad colloquium admitterentur, interpellabant etc. Michaël Siglerus* vero lib. I. cap. V. Chronologiae ſuae, a Matth. Belio in Adparatu Rer. Hungaric. editae, *Ioannem Salium* quemdam in exordio Sec. XVI. Cibinii Medicinam factitaſſe ex Epitaphio in Templo S. Crucis Fratrum Praedicatorum collocato edocuit, quod nos Centur. II. part. 1. pag. 203. integrum iam recitauimus. Sed et iſto, quin et Ioanne Salio exhibemus iam nunc Tranſiluaniae Medicum longe vetuſtiorem, eumque eccleſiaſtici ordinis hominem, in Villa Humperti Plebanum, quem in inſtrumento quodam, ab erudito Amico nobiscum communicato, nuper admodum offendimus, ita illud, hiantibus licet nonnullis locis, integrum e tenebris in lucem protrahimus: „ In nomine Domini Amen. Anno Natiuitatis eiusdem Milleſimo Quadringenteſimo quadrageſimo primo, Indictione quarta, die Martis, decima ſexta Menſis Maii, hora ſexta, vel quaſi Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, Domini Noſtri Domini Eugenii, diuina prouidentia Papae

„ Quar-

,, Quarti, anno eius decimo. In domo ſupe-
,, riori *quondam Egregii Viri, Ioannes Meger-*
,, *lini, Medicinae Doctoris, in villa Humperti*
,, *Plebani*, Stringonienſis iurisdictionis, in Op-
,, pido Cibinienſi, eiusdem Strigonienſis Iuris-
,, dictionis, in platea Riſporgaſſe ſita, in mei
,, Notarii Publici, Teſtiumque ſubſcriptorum
,, ad ſubſcripta vocatorum et rogatorum prae-
,, ſentia perſonaliter conſtitutus Egregius Vir
,, Dominus Michaël, Decretorum Doctor,
,, Plebanus in Stolczenberg, Decanus Cibi-
,, nienſis, publice et manifeſte ſignificari cura-
,, uit, quomodo ipſe, et certi ſui ſuperiores
,, Praedeceſſores Plebani in dicta Stolczen-
,, burg, piarum reminiſcentiae animarum, diu-
,, tinas lites in Sede Apoſtolica, et alibi vi-
,, delicet Conſilii Conſtantienſ. et cetera, ra-
,, tione quorundam Camporum Runkemnolde
,, et Stynkebronne, et eorundem fructuum
,, Eccleſiae Sancti Bartholomaei Apoſtoli, vi-
,, delicet Parochiali, in eadem Stolczenberg,
,, pertinentium, intra metas Territorii Stol-
,, czenberg incluſorum, habuiſſet, et habuiſ-
,, ſent, debito tamen Iuris ordine obſeruato
,, in dicta Sede Apoſtolica ſententiam definiti-
,, uam ſuper eosdem obtentam. Tamen ipſe
,, Dominus Michaël Doctor et Plebanus dic-
,, tam ſuam cauſam propter potentiarios actus
,, et vim metus circumſpectorum Virorum,
,, Antonii Thrawtenberger, Magiſtri ciuium
,, Cibinien. et ſuorum in hac parte Complicum
,, minas ſibi grandes mortis impoſitas minime

,, pro-

„ proſequi poſſet, nec potuiſſet, neque ualeret
„ in praeſentiarum. Ideo ſaepe dictus Domi-
„ nus Doctor, Dominus Michaël, ſuo ac
„ omnium Plebanorum, ſuorum ſucceſſorum in
„ dicta Stolczenberg affuturorum, nominibus,
„ interruptionem publice et manifeſte procla-
„ mauit, et interpoſuit, tam diu et quouſque
„ antedictam ſuam cauſam ac ſuae Eccleſiae
„ praenominatae, ipſe aut ſui ſucceſſores af-
„ futuri, Plebani ibidem, contra Plebanum
„ ſeu Plebanos de Salisfodio, praeſentem et
„ futuros, quam alios quoscunque coniunctim
„ et diuiſim valeat et valeant proſequi in ef-
„ fectum, ſuper quibus omnibus et ſingulis
„ praelibatus Dominus Michaël Doctor et Ple-
„ banus in Stolczenberg a me Notario publi-
„ co infraſcripto — — — plura Inſtrumen-
„ tum ſeu inſtrumenta ſibi, et cunctis ſuis
„ Succeſſoribus, ibidem Plebanis, in releua-
„ men Iurium ſuorum et eorundem in caute-
„ lam dare — — — — Ego vero ſubſcrip-
„ tus publicus Notarius huiusmodi petitioni-
„ bus, provt iuſtis et rationi conſonis incli-
„ nans inclinatus praeſens ideo Inſtrumentum
„ eidem Domino Michaëli Doctori, cunctis-
„ que ſuis Succeſſoribus, ibidem in Stolczen-
„ berg Plebanis, ad cautelam et releuamen
„ Iurium ſuorum tradidi et aſſignaui. Facta
„ et data ſunt haec Anno, indictione, die,
„ menſe, hora, loco, et Pontificatu, quibus
„ ſupra. Praeſentibus ibidem honorabilibus
„ Dominis Valentino de Purperg, Nicolao de

„ Villa

,, Villa Ruthenica Plebanis, ac Caſpare de
,, parvo horreo in Cibinio Capellano, et plu-
,, ribus ſide dignis perſonis, teſtibus ad prae-
,, miſſa vocatis et rogatis.

,, Et ego Vrbanus Petri de Stynauia Cleri-
,, cus Vratislauien. Dioec. publicus Papali et
,, Imperiali Authoritatibus Notarius. Quia
,, praedictae — — — Aſſion. Cauſae narra
,, con — litium ac diffinitiuae ſententiae ob-
,, tention — — — — huiusmodi ſententiae
,, minime poſſe formidaco — tutrupeon — —
,, aliisque omnibus et ſingulis praemiſſis, dum
,, ſicut praemittitur, fierent, et — — —
,, ſubſcriptis teſtibus praeſens fui, eaque ſic
,, fieri vidi, et audiui. Ideo praeſens publi-
,, cum interruptionis Inſtrumentum mea pro-
,, pria manu ſcriptum exinde confeci, et in
,, hanc publicam formam redegi ſigno et No-
,, mine meis ſolitis et conſuetis conſignaui ro-
,, gatus et requiſitus in fidem et Teſtimonium
,, omnium praemiſſorum.

Vrbanus (L.S.)

De Ioanne itaque hoc Megerlino Tranſiluaniae Medecinae Doctore non plus ſcire nobis datum eſt, quam quod longe iam ante annum a nato Chriſto 1440. in Villa Humperti, quae hodie Hammersdorff dicitur, Plebanum egerit, et domum congreſſibus publicis opportunam Cibinii Tranſiluanorum poſſederit.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS XXXII.

Metzger (*Martinus Chriſtophorus*) Honeſtiſſimis Parentibus Viennae Pannoniae pridie Non. Septembr. an. 1625. in lucem editus eſt: hauſtam in patria ciuitate doctrinam locupletaturus, itineris comitibus Philippo Iacobo Sachſio, Vratislauienſi, qui labente tempore Ferdinandi Caroli Archiducis Auſtriae archiater conſtitutus et Academ. Imp. Natur. curioſs. Phoſphorus dictus eſt, et Io. Vdalrico Vidholzio, Phyſici Auguſtani filio, in Italiam profectus, et an. 1651. Patauii Doctor Medecinae ritu ſolemni creatus eſt. Academicis honoribus rite inſignitus, vt patriae potius ſuae, quam exteris operam ſuam ac medendi peritiam impenderet, Vindobonam reuertit, et mox Poſonium, primariam regni noſtri vrbem a magiſtratu ciuico inuitatus, Medecinae ibidem exercendae prouinciam ſuſcepit, qua dum egregie per multos annos eſſet perfunctus, mutato Hungariae domicilio, Ratisbonam conceſſit, aeque poliatri ſpartam exornandam accepit, collegii quoque mox Medici Senior ſimul et Decanus conſtitutus, Celſiſſimi vero Principis et Archiepiſcopi Salisburienſis, aliorumque Rom. Imp. Principum Conſiliarius et archiater renunciatus eſt, inter Socios Academ. Nat. CC. d. 19. Septemb. an. 1683. cooptatus, honorificum Phoenicis II. cognomen adeptus, viuentium vero numero d. 10. Maii anno 1690. exemtus eſt.

Quod

Quod ad matrimonium attinet, Eum in vitae thorique ſociam, virginem lectiſſimam, *Annam Catharinam*, Danielis Schmidt, Aug. Confeſſ. addictorum Poſonienſium concionatoris, et ven. contubernii in comitatu Poſonienſi Senioris vnicam, quam habuit, filiam adſciuiſſe. Acta eccleſiaſt. Vinarienſ. Append. Vol. III. pag. 274. edocuerunt. Ex ſuaui hoc coniugio Metzgeriano ſuſceptum fuiſſe Poſonii Chriſtophorum Danielem Metzgervm accepimus, quem Collectores Ephemeridum Nat. Curioſ. Centur. 1. Catalogo praemiſſo, his condecoraiſſe legimus axiomatibus: *Dominus D. Chriſtophorus Daniel Metzger*, *Eminentiſſimi, ac Celſiſſimi Cardinalis de Lamberg Epiſcopi et. S. R. I. Principis Paſſauienſis Conſiliarius et archiater, juxta et Practicus Ratisbonenſis.* Franciſcum Erneſtum Brükmannum vero Epiſtol. Itiner. LX. Centur. III. ad an. 1724. his honorum titulis exornauiſſe: *Chriſtoph. Dan. Metzger, Imp. Maj. et Principis Paſſauienſis Conſiliarius, Sereniſs. ac Eminentiſs. Cardinalis de Saxonia archiater.* In conſpectum noſtrum nulla Patris, Filii vero nonniſi ſequantia prodierunt

OPERA.

1. Diſſert. Phyſiologico-Pathologica *De Cuticula et Cute.* Praeſ. Ioan- Mauric. Hoffmanno, Philiatrorum examini ſubiicit Chriſtoph. Daniel Mezger, Poſonienſis Hungarus, Auct. et Reſp. Altdorf. an. 1685. in 4. plag. 6.

6½. Talè Praeſidem de Auctore opuſculi perhibuiſſe legimus teſtimonium:

Mezgere, quid curas cuticulam et cutem,
Studesne corporis voluptati improbae?
Non dixerim ego, TE quippe quis in Cute,
Noui, tuamque natam ad optima indolem,
Sed et Cuticula ac cutis, quas exhibent
Hae paginae, ſat indicant ſolertiam,
Doctam artibusque deditam mentem tuam.
Sic te aemulari grande Genitoris decus
Famaeque gloriam addecet, Ratisbonae
Sic mox nouus eris clarus Aeſculapius.

Daniel Guilielmus Moller vero, Prof. publ. Poſonienſis Hungarus, cognato ſuo, paternarum virtutum et eruditionis ex aſſe haeredi, tale adiecit diſtichon:

Ante ſecanda cutis, quam quis queat eſſe Medullam
Filius, vt Pater eſt, nempe Machaon erit.

2. Ephemeridibus Academ. Imper. natur. curioſor. Centur. I. pag. 103. inſerta eſt: Obſeruat. 37. *De Glandulis ex mamma excretis.*

Ex certa amici Poſonienſis, Viri eruditi, relatione acceptum in Aduerſaria me inſcripſiſſe meminerim, *Martinum Chriſtophorum Mezgerum*, et *Danielem Schainekherlium* an. 1658. Medicinam Poſonii ſimul exercuiſſe. Poſonienſibus Medicis, in Biograph. Medic. Hungar. et Tranſilu. Centur. II. Part. I. pag. 199. excitatis, addi hic merito poteſt *Georgius* quoque *Purkircherus*, a Carolo Clu-

ſio

ſio in Hiſtoria rarior. Plantar. Antverp. an. 1601. in fol. ex officina Plantin. Lib. VI. pag. CCXXII. cap. XLI. commemoratus, de quo, dum varias phaſeoli ſpecies explicare adnititur, talia celebris iſte Botanicus recitat: „ Phaſeolus peregrinus I. valde
„ ſerotina fuit planta, an. 1576. ſemine a
„ Cl. Viro, *Georg. Purkirchero*, Poſonien-
„ ſi in Vngaria Medico primario, mihi
„ communicato nata, qua de cauſſa ad fru-
„ gem peruenire non potuit. Ac ipſi *Pur-*
„ *kirchero*, dum vixit, et poſtea eius vxo-
„ ri (nam ad pergulas aprico loco ſata)
„ ſingulis annis maturum fructum dedit. Mi-
„ hi deinde an. 1582. et aliquot ſequenti-
„ bus egregie prouenerunt aliquot eius ſtir-
„ pes, quarum nonnullae lobos dederunt,
„ qui matura ſemina protulerunt etc. Fit
„ Burkircheniani nominis huius ibidem pag.
„ quoque CCXXV. mentio.

3. Diſſert. inaug. med. *De Lactatione* Altorf. an. 1685. in 4. Eruditorum examini ſubiecit Chriſtoph. Dan. Mezger, Poſonienſis Hungarus.

ARTICVLVS XXXIII.

Milivs (*Iulius* vel *Iulus*) Iulium hunc Milium, Regis Matthiae Coruini Archiatrum, in Artic. 2. Biographiae noſtrae Centur. I. ab Antonio Bonfinio decepti, Iulii Aemilii nomine fuiſſe dictum iam indicauimus, ita Eum ille

Digitized by Google

Rer. Hungaric. Decad. IV. Libr. VIII. pag. 647. edit. Hanov. an. 1606. vt et praefatione, Philoſtrato praefixa, ab Ill. Kollario in Analect. Vindob. Tom. II. primum edita, pro ſuo nomina Romana vbique adfectandi more *Milium* in *Aemilium* perperam transformauerat. Sed vnde, quaeres, haec coniectura nobis enata fuerit, tribus dumtaxat iam ediſſeremus verbis. In opere, cui titulus; *Abhandlungen der Churfürſtlich-Bayeriſchen Akademie der Wiſſenſchaften. Erſter Band. München* 1763. *in* 4. *Erſter Theil pag.* 32. exſtat commentatio hunc in modum inſcripta. *Ioh. Caſp. Lipperts Nachricht von den ehemahlichen gelehrten Geſellſchaften in Bayern.* Profertur ibidem a Lipperto ex Codice MScto. Aulicae Bibliothecae, manu Hartmanni Schedel, Med. Doct. Norimbergenſis olim exarato, ſibique a Bibliothecae Praefecto D. Felice Oeſſele communicato.

DANVBIANVM CONTVBERNIVM. *)

Epiſodia Sodalitatis Litterariae Danubianae ad Conradum Celtem dum a Norico Gymnaſio ad Viennam Pannoniae conceſſerat. Inter caeteros Sodalitatis Litterariae Danubianae Socios, Conrado

* Aſt vero quale *Sodalitium* dixeris hoc *Danubianum* cuius Membrum Milius noſter fuiſſe Articulo hoc docetur? an ergo apud nos quoque in Hungaria tale virorum eruditorum Concilium olim conſtitutum fuiſſe adfirmaueris? Eruditae huius ſodalitatis

rado Celti verſibus latinis adplaudentes, occurrit etiam *Iulius Milius Regis Pannoniae Phyſicus*; ita diſerte nomen eius exaratum eſt. Carmen uotiuum, quo is Celti adplaudit, pag. 33. ita habet ad verbum:

R 3 *Quum*,

---

tis litterariae membra nominum tenus nos iam Articulo I. Centur. I. pag. 2. enumerauimus, eiusque electum primum Praeſidem Epiſcopum Weſzprimienſem, *Ioannem Vitéz* exſtitiſſe Centur. II. pag. 211. 212. euicimus: non tamen audemus praefractae adſcirere *Sodalitatem* hanc *Danubianam* eamdem prorſus ex aſſe fuiſſe, quae fuit eadem ipſa aetate *Hungarorum Budenſis*: notum quippe ſatis eſt auctore Conrado Celtes, politioris litteraturae in Germania ſtatore, varias excitatas fuiſſe ſocietates litterarias, vt fuerunt Leucopolitana, Boica, Rhenana, et inter ceteras Danúbiana quoque, nonne Vindobonae haec ſuſcitata? adum is ſcilicet a Maximiliano I. Imp. e Gymnaſio Norico in Academiam Viennenſem ad docendam eloquentiam et philoſophiam Füſemanno et Racho Pierio regiae voluntatis interpretibus euocaretur, eam ibidem conſtituiſſe vero ſimiliter adſeri poſſe exiſtimauerimus. Aſt tamen praeter Tranſiluaniam *Septemcaſtrenſem* Celti dictam, Budae quoque Regni noſtri meditullio formatam fuiſſe *Hungaricam* eiusmodi *Sodalitatem litterariam*, in qua Viri ab omni ſcientiarum genere inſtructiſſimi ad morem illius ſeculi dulcia ſeueris interſerendo ſuper negotiis grauiſſimis ad rem litterariam pertinentibus docte et ſapienter habitis inter ſe mutuis colloquiis diſceptarent, certiſſime nobis conſtare poteſt partim ex *Haſſenſteinii Epigrammate* Budae ad *Schlectam* ſcripto et Lucubrationibus eius oratoricis Pragae an. 1563. editis pag. 96. maximopere

Quum tot carminibus, quum tot celebrare poëtis
Non opus eſt verſu, Celti diſerte, meo.
Nunquam Caſtalios hauſi de fonte liquores,
Vbera prima licet Melpomene dederat.
Quod cernens Phoebus, medicas me uertit ad artes,
Et rerum cauſſas noſcere poſſe dedit.
Et dixit: dulces ſequeris cur Iule Camenas,
Altera debetur laurea nempe Tibi.
Cura erit iſta tibi Reges ſeruare potentes,
Atque illis medicas exhibuiſſe manus.
Parce igitur, quaeſo, nobis doctiſſime Celti,
Si Phoebus negat hoc, quod meus ardor habet.
Nunc Auguſtinus Vates clariſſimus ille
Deſcribat laudes Celti diſerte tuas.
Scilicet vt muſas ad ripas duxeris hiſtri,
Et ſis germani gloria prima ſoli.
Auſtria quod doctos per te dat clara poëtas,
Vt ſimiles Latio vix rear eſſe meo.

Iulium

---

mopere vero ex illo Celtis Carmine inter reliqua eius Poëmata Argentor. an. 1513. typis publicata, quod hoc inſigniuit titulo: *Ad Sodalitatem Litterariam Vngarorum de ſitu Budae et monſtris, quae praeceſſerunt mortem Divi Matthiae Panoniae Regis Penthice II.* cuius initium tale eſt:

Vltimo nobis celebrandi amici
Pannones, claris ſtudiis fauentes,
Qui ſub meliori coelo nati,
Sole propinquo.

In reliquis verſibus concinne admodum ſcriptis laudes Pannoniae perſequitur, habitam iucundam cum Viris eruditis conuerſationem grato commemorat animo, inſtructam Matthiae Regis Bibliothecam perluſtrat, de

Iulium non contemnendum reuera fuiſſe ſui temporis Poëtam, vt alias verbo innuimus, ita nunc id Gemino *Iani Pannonii*, Epiſcopi Quinque-Eccleſiarum, et celebratiſſimi Panno-niae Poëtae doceri poterit Teſtimonio: *Ad Iulium Epigramma;*

R 4 *Scri-*

---

de rebus philoſophicis varie diſputat, vinumque bibit generoſum, et cetera. Praecipuum Sodalitii huius litterarii Hungarici Budenſis membrum Auguſtinum Olomucenſem, Supremum Regis noſtri Wladislai ſecretarium, Budae a latere Regis continuo degentem fuiſſe, atque *Pateram* quoque ex auro, non illo Adeptorum chemico, vt quidam opinantur, ſed vero arte fabrefactam illi conſecrauiſſe, ex Haſſenſteinii, collegii eiusdem Sodalis Epiſtolis Pragae An. 1563. 8. editis docuit Illuſtriſs. *Boehmius in Commentariolo de Vita Auguſtini Olomucenſis*, Lipſ. an. 1758. in 8. edito, cum adiecta ad calcem Paterae Budenſis aureae delineatione a Tenzelio an. 1703. adornata, qui fata Cimelii huius a Sodalitate litteraria Budenſi olim poſſeſſi, nunc in Numophylacio Electoris Saxoniae Dresdenſi haerentis his verbis deſcripſit: *Originem debet ſupremo Regis Hungariae Secretario, ſiue Cancellario: inde a Tartaris aliquando rapta, inter barbaros illaeſa manſit, donec in obſidione Aſſofenſi a Ruſſis intercepta, in Iudaeorum manus incideret, exque his a ſupremo Regis Poloniae Cancellario Beuchlingenio vindicata, Germaniae poſtliminio reſtitueretur, regiis deinde cimeliis Dresdae aggregata.* Quid amplius de eruditis Sodalitatibus Septemcaſtrenſi Tranſiluanica, et Budenſi Hungarica, atque Scypho huius aureo dici poſſit, laudatus Boehme concinne pluribus verbis l. c. ediſſeruit.

Scribendi ratio cum ſit vel ſola Poëtis,
Gloria vel certe maxima ſolus is es.
Qui ſcripta abſcondis, vel, Iuli, plus ſapis vnus,
Vel nihil omnino, quod mage credo, ſapis.

Ad Eumdem.

Quid tua tantum in te peccarunt carmina, Iuli,
Triſtibus vt tenebris ſemper vt illa premas,
Nec leuius ſerues, quam carcere quaeſtor in imo
Cuſtodit, ſi quos vltima poena manet.
Tandem ea mitte feras, et, ſi meruere necari,
Fige Cruci, vel ſic perfruitura die.

Haec Pannonius in Epigrammatibus edit. a *I. Phil. Pareo* in *Deliciis Poëtarum Hungaricorum* Francof. an. 1619. 12. pag. 156. quae antea omnium primus collegit et edidit *Ioannes Sambucus* Viennae Auſtriae Typis Caſp. Stainhoferi an. 1569. in 4. ſub hoc titulo: *Iani Pannonii Epiſcopi Quinque Eccleſienſis illius antiquis uatibus comparandi, recentioribus certe anteponendi, quae vspiam adhuc reperiri potuerunt, omnia.* Repet. Budae cum additamento, non tamen ſine detrimento, an. 1754. in 8. collat. cum exemplo MScto, quod Lambecius ex reliquiis Bibliothecae Corvinianae a Turcis an. 1666. Budae dono acceperat, et in Auguſt. Bibliothecam Vindobonenſem intulerat. *Iulium* hunc *Milium* noſtrum, Archiatrum Coruinianum, perperam omnino a Bonfinio Aemilium fuiſſe adpellatum, edocemur vberius ex perrara Lucii Apuleii Coſmographiae editione Vien-

Viennenſi, an. 1497. in fol. ductu Conr. Celtis procurata, nec Gudlingio aut Nicerono, nedum Fabritio vel Maittaireo nota, verum a Schelhornio Amoenitat. Hiſtor. Eccleſ. et Litter. Tom. I. pag. 808. in lucem nonniſi anno demum 1737. protracta: in limine libri huius pretioſiſſimi quae comparent Epiſodia Sodalitatis litterariae Danubianae ad Conr. Celtem directa, nominant eum *Iulum Milium Regis Pannoniae Archiatrum*. Obſeruationem *Milii* huius Medicam non niſi vnam proſtare animaduertimus apud *Georg. Hieron. Velſchium*, Exotic. curat. et obſeruat. medic. Vlmae an. 1676. in 4. edit. Chiliad. I. §. 469. pag. 117. vbi *Dyſenteria*, vulgo infirmitas rubra dicta, rhabarbaro toſto cum maci, vino rubro et aqua plantaginis a *Iulio*, Medico Reginae Hungariae, Budae curata fuiſſe refertur *Iamiſchii Rechembergii* teſtimonio, qui *Experimenta ſecreta Wladislai Hungariae et Bohemiae Regis*, Velſchii curationibus interſerenda, collegerat. Vnde non vano id quoque iam colligitur indicio, Matthia Corvino rebus humanis exemto, *Milium* in aula Wladislai quoque Regis munus archiatri geſſiſſe, atque ſimul ibidem §pho 96. pag. 32. commonſtrante, „Reginam Hungariae, coniugem Wladislai, alium quoque praeterea archiatrum, *Hieronimum* quemdam nomine, penes ſe aluiſſe;" qui pilulis aloëticis cum ſucco Intubi, praeparatis, add. myrob. agar. rhab. ſpic. et glycyrrhiza, contra arthritidem proſpero ſucceſſu vti nouerat.

ARTICVLVS XXXIV.

Molnar (*Adamus*) Andreas Elias *Büchnerus* in Hiſtoria Academiae S. R. I. Nat. Curioſ. pag. 513. memoriae prodidit, in vico Caſtri ferrei Hungariae inferioris *Treſztyénfalva*, ad fluuium *Raba* adpellatum ſito, die 24. Dec. an. 1716. natum eſſe Noſtrum, *Michaële Molnár* et *Eva Kapócſi*, parentibus vere nobilibus, quorum prouida cura factum eſt, vt in prima ſtatim pueritia eius animus latinarum, graecarumque litterarum iuſta imbueretur cognitione. Poſteaquam vero in caeteris quoque diſciplinis et artibus Sempronii, Poſonii, et aliis celebrioribus Hungariae, et Tranſiluaniae gymnaſiis probabiles feciſſet progreſſiones, ſeſe in Academiam Hallenſem contulit, vt hic Botanicen et anatomicen, vniuerſamque cognoſceret Medicinam: ſummos artis ſalutaris huius in ea ſtudiorum Vniuerſitate an. 1747. die 5. Iulii adeptus honores, dignus quoque iudicatus praeceptorum ſuorum, Büchneri in primis opinione, vt in conſortium Academiae S. R. Imp. Nat. cur. eodem ipſo indicato ſtatim anno, die 4. Dec. teſte Caeſareo Diplomate Symbolico *Marcelli II.* cognomine prius inſignitus, ſollemniter cooptaretur.

Honorificentiſſimis his titulis onuſtus rediit, quam paullo ante deſeruerat, in Tranſiluaniam, et *Claudiopoli* primum, mox *Coronae* ſuas in medendo vires periclitatus eſt, poſt expletam in his Daciae ciuitatibus breuem morulam, ho-

neſtiſſi-

neſtiſſimis a Principe Valachiae arceſſitus conditionibus *Buchereſtum*, primariam prouinciae vrbem, ad faciendam medicinam tranſiuit, cui muneri annis viginti integris, diligentia ſua, vigilantia, humanitate, aliisque liberalitatis laudibus ſatisfeciſſe accepimus, quoad exorto funeſto inter Turcos et Ruſſos nupero bello; dum omnia barbarico perſonarent tumultu, ex Dacia trans-alpeſtri in mediterraneam, tutiora quaeſiturus, vna cum domeſticis ſe ſubduceret, et *Coronae* an. 1768. denuo Sedem, eamque conſtantem figeret, licet principum Orientis haec diſſidia iterum mox ſedarentur. Dolendum ſane exiſtimamus, *Marcellum* hunc Nat. Curioſor. exſpectationi de ſe concitatae haudquaquam pro voto eruditae illius Societatis ſatisfeciſſe, nullo enim edito eruditionis ſpecimine dignum ſe commembrum publice declarauiſſe, licet reuera fuerit ſingularibus animi, ſed in primis corporis dotibus liberaliter cumulatus. Ita felicem ſe toto vitae ſuae decurſu gloriatus in litteris. A. 1778. d. 15. Iul. humaniſſime ad nos exaratis, vt ne leuiſſimis quidem morbi vllius incommodis vmquam infeſtaretur, quoad ineunte anni labentis vere arthritis fixa pertinaciſſimos in pedibus concitaret dolores, nulla artis lege iam amplius mitigandos.

OPERA.

1) Diſſertat. inaug. medica, ſiſtens *Diſquiſitionem cauſſarum ſterilitatis hominum vtriusque*

ſe-

ſexus. Praeſ. Büchnero Halae Magdeb. an. 1747. in 4. plag. 9½. Illuſtri Andr. Eliae Büchnero, S. R. Imp. Nobili, Academ. Imper. Nat. CC. Praeſidi etc. promotori ſuo in grati animi teſſeram oblata. Ea exercitatio Academica, haec dumtaxat continet, quae ab antiquioris et aevi recentioris Medicis abunde iam antea dicta fuiſſe conſtat.

2) Opera MScta: a) *De Aëre, Aquis, et Locis Valachiae.* b) *De Natura et Diaeta craſſa Vallachorum.* c) *De Morbis endemiis Valachiae.* Haec cum aliis obſeruationibus Medicis prelo deſtinata auctor ad eruditam Nat. CC. Societatem dum exmittere meditaretur, et exeunte anno 1768. hoſtis barbaricus primariam Valachiae vrbem, *Buchereſtum*, furore plenus repente inuaderet, et viginti quatuor horarum interuallo integram expilaret, omnis librorum, immo vitae totius ſupellex in templo Patrum de familia S. Franciſci repoſita harpyis manibus direpta diſſipataque eſt. Id non ſine lacrimis de genis defluentibus Medicum noſtrum per Epiſtolium ad nos transmiſſum fuiſſe acerbe conqueſtum probe commeminimus. Diploma Societatis *Molnario* impertitum, chartae et temporis anguſtia prohibitis quum recitare heic loci nobis haud liceat, ad alia itaque ſermonem deflectimus: Daciae tranſalpeſtri, quae hodie Moldauiae et Valachiae Principatus complectitur, Tranſiluaniam, alios quoque Medicos ſuppeditauiſſe clinicos non

vano

Digitized by Google

vano accepimus rumore, inter eos recentiori aetati referendum eſſe exiſtimamus praeprimis *Ferratium* quemdam, Med. Doctorem, natione et educatione Italum, qui coniugem e nobiliſſima *Comitum Kalnokiorum* familia, fato quopiam in Tranſiluania nactus, anno currentis Seculi fere viceſimo *Iaſzinum*, relicta Dacia mediterranea, ad exercendam artem Medicam transmigrauit, tales erant *Fonſeca*, *Hipomena*, *Trapezuntius*, ſed in primis *Michaël Schendo von der Beck*, qui dum poſt inſtitutas in diuerſis Europae prouinciis peregrinationes, ſupremi armorum Caeſareorum in Tranſiluania Praefecti, *Comitis a Steinville* aulae Medicum ageret, et in cis-alutana quoque Valachia Auſtriaca rem medicam an. 1719. feliciter adminiſtraret, in vicinam, quae trans Alutam fluuium ſita eſt, Valachiam ad compeſcendam peſtis ibidem graſſantis ferociam, lauto promiſſo ſtipendio, a *Maurocordato* Principe humaniſſime inuitatus tranſiuit, mox in prouinciae archiatrum vniuerſis Valachiae votis an. 1721. ſuſceptus eſt, ſed quam variis inconſtantis fortunae ludibriis fuerit ibidem expoſitus, multis enarratur verbis in *Apologia van der Bekiana*, Auguſtae Vindelic. an. 1723. in 8. plag. 4. edit. et hoc inſignita titulo: *Empirica illuſtris per ſeptem nobiliſſima euporiſta familiaria remedia etc.* addita eſt auctoris *Apologia aduerſus Maurocordati Sycophantias par le Docteur Conrade du Schebben.*

In

In Libello hoc non promiſcue, teſte Boernero in Faſcic. I. Relat. de Libr. phyſico-medicis antiquis et raris pag. 97. obuio; quid de Maurocordati huius Valachiae Principis eruditione per *Io. Clericum*, triginta nummis aureis, et aliis muneribus faſcinatum, in ordinariis menſtruis relationibus Amſtelodamenſibus publicata, ſentiendum ſit, inſtituti ratio non patitur prolixioribus verbis ediſſerere. Hic idem *Ioan. Nicol. Morocordatus*, totius Hungaro-Valachiae Princeps eſt, cui *Ioan. Albert. Fabritius* Bibliothecae ſuae Graecae volumen XI. inſcripſit, cuius pater *Alexander Maurocordatus* fuit, interpres turcicus et Legatus ad Aulam Caeſaream Vindobonenſem, et Miniſter in congreſſu Carlouicienſi plena agendorum auctoritate inſtructus, Sacri Rom. Imp. Nat. Curioſ. Academiae commembrum, *Alexandri Magni* cognomine ad d. 1. Dec. an. 1689. cohoneſtatum, a *Tournefortio* vero in *Deſcriptione Itin. in Orient.* edit. Pariſ. et Amſtel. an. 1718. Tom. II. pag. 12. ob id potiſſimum laudatum, quod eruditum *Tractatum medicum* in Italia, Belgio, Germania ſaepius repetitum *de inſtrumento reſpirationis et circulatione ſanguinis*, latino idiomate conſcripſerit, non commemoratis Libris reliquis varia eruditione refertis, quos vel Bucherеſti in Valachia, aut alibi gentium typis exſcriptos publicauit. Sed *van der Bechius Schendo*, peripateticus hic Tranſiluaniae

Digitized by Google

niae et Valachiae Medicus prouincialis, ea potiſſimum de cauſſa a nobis commemorandus erat, quod ille *Hiſtorico-Phyſico-topographicam Valachiae Auſtriacae ſubterraneae Deſcriptionem* ad famigeratiſſimum Daciae Secretarium Samuelem Köleſerium a Keres-Eer, Virum dignitate et litteris illuſtriſſimum epiſtolari ſtilo exarauit, inſertam *Galleriae di Minerua riaperta Albrizzii*, Parte I. pag. 3. ſeq. edit. Venet. an. 1724. in 12. Adiecta hic ad calcem legitur Köleſerii, popularis noſtri Debreczinenſis, ad auctorem reſponſoria Epiſtola, Claudiopoli ad d. 25. Iul. an. 1720. ſignata, tali ſubnexo tetraſticho:

Van der Bech eſt hic, ſemper peregrinus in orbe,
Qui longas nulla nouit in Vrbe moras.
Figeret hunc vni tamdem ſi Iupiter Vrbi,
Maior in Vrbe foret, qui minor Orbe fuit.

Schendius hic poſteaquam in laudata iſthac ſubterranea Valachiae Auſtriacae Deſcriptione typographica varias in ea regione conſpicuas Romanae vetuſtatis reliquias, ampliſſimam ſcilicet *Viam Traianam*, *altaria*, *delubra*, *ſiluas romani exercitus induſtria plantatas*, *caſtrorum metationes*, alia enarraſſet, innumeros quoque colles et monticulos varie ibidem diſpoſitos ſe vidiſſe commeminit, adſerendo, in eorum prominentiis Romani exercitus excubias, aut eleuata Ducum tentoria fuiſſe olim collocata, eo indicio, quod cuprea ibidem effodiantur hodiedum Romano-

rum

rum nummiſmata. Tales colles diuerſae amplitudinis, conicam formam referentes, decem et amplius orgyas altos, paſſim in *Cumanorum Iazygumque* regione, atque *Bihari enſi*, *Békéſienſi*, *Aradienſi*, *Cſanadienſi*, et *Temeſienſi comitatibus*, prae primis vero in ſpatioſa vicina nobis planitie circumfuſa, plurimos inueniri optime nouimus, adeoquidem, vt in ſolo hoc agro noſtro *Debreczinenſi* plures, quam quinquaginta iucundo ſpectaculo facile numeraueris. In horum originem, quantum quidem ſcire licet, neminem e populárium noſtrorum numero, in hunc vſque diem curatius vmquam inquiſiuiſſe exiſtimem, in primaeuone rerum exordio illi a Deo fabrefacti, aut hominum arte et induſtria in eam pulchre digeſtam molem fuerint efformati. Vidimus ipſi in collium nonnullorum lateribus ſcrobes ſatis amplos, tres fere orgyas altos, pro recondendis et adſeruandis frumentis pro conſuetudine gentis excauatos; at inde non modo rerum diuerſi generis oſſea teſtaceaque fragmenta, ſed terram quoque ſolam vulgarem nigram fuiſſe erutam, argillaceam vero aut margaceam flaueſcente colore nullam, manifeſtiſſimis ſane indiciis, colles illos nobis viſos humana induſtria fuiſſe omnino aggeſtos: in laudata enim omni hac regione, ubi terram effodere tentaueris, ad dimidiam uſque orgyam in ſuperficie Telluris nonniſi vulgarem nigreſcente colore, deinde profundius verſus ima

pro-

progrediendo argillam ſolam aut margam conſtanti lege vbique inuenies.

Nulla interim in indicato hoc Hungariae tractu, quo Daciam quoque Ripenſem retuleris, aut Romanorum numiſmata, aut alias veterum monumentorum reliquias, prout in Mediterranea, aut Alpeſtri fit Dacia, inueniri poſſe longa edocti ſumus experientia. Quid itaque in tanta hac rerum patriarum caligine, de his et reliquis Hungariae collibus in ampliſſima planitie, nullo obſeruato ordine, conſitis, adſpectu tamen iucundiſſimis, eorumque vſu antiquo ſtatuendum ſit, aliis, quibus id otii ſuppetit, rem tamquam altiori indagine dignam examinandam relinquimus, id nouiſſime ſaltim adiicientes: *Dionem* quoque *Caſſium Hiſtor. Roman. Libr. LXXI.* aliquam Collium horum, qui Caſtellorum loco haberentur, iam olim feciſſe mentionem. Verum enim vero omnium accuratiſſimam Valachiae Principatus Deſcriptionem Geographicam aeque ac Hiſtoricam MSctam, figuris exornatam, apud Fridericum Schwantzium, architectum et centurionem militarem Caeſareo-Regium ſe vidiſſe teſtatur *Car. Frider. Loewius* in Diſſert. epiſtolica MScta ad Martin. Schmeizelium exarata, quem is in Boruſſia natum, et ſumptibus Regiis in ſtudiis Mathematicis, aliisque diſciplinis eruditum, et mox in Hungariam ad ſeditioſum principem *Franc. Rákoczium* exmiſſum, atque in oppugnatione arcis Munkácſienſis

Weſzprem. P. II. S tam

tam ſtrenuum ſe defenſorem praeſtitiſſe, vt deditione vix facta, in captiuitate conſtituto varia a Caeſareanis honorifica iam oblata fuerint officia, quibus tamen illum ob iusiurandum Rakoczio praeſtitum non prius fungi voluiſſe, quam Hero ſuo ad incitas redacto, et nulla amplius emergendi ſpe adfulgente. Supremi vigiliarum Praefecti munus a Caeſare deinde conſecutum, et viam vehicularem effractis prius ad *rubram Turrim* rupibus, quam Traianus Imperator ob lapidum duritiem perficere non poterat, ex Tranſiluania ducentem in Valachiam Auſtriacam aperuiſſe commodiſſimam, variisque poſtea inconſtantis fortunae fatis in Hungaria agitatum, in Hungaria inter nos diem obiuiſſe ſupremum, atque Eius *Tractatum typographicum*, vna cum *Tabulis Geographicis* ad Sereniſſimum Sabaudiae Ducem, *Eugenium*, delatum eſſe, idem teſtatur l. c. Patriae Medicus, et Hiſtoricus exercitatiſſimus. Verum his quoque plura de ſe exſpectare iubet *Franc. Ioſ. Sulzer* quidam, centurio et quaeſtor cauſſarum militarium caeſareus, in *Hiſtoria* ſua *Daciae Transalpinae*, *ſeu Valachiae et Moldauiae cum reliquae Daciae Hiſtoria cohaerente*, quam lege ſubſcriptionis typis propediem publicandam in Ephemer. Vindobon. an. 1779. partic. XCII. obtulit.

ARTI-

ARTICVLVS XXXV.

Novicampianus (*Albertus*) Gente Polonus, in Academia Cracouienſi publice priuatimque Scholas magno ſtudioſae Iuuentutis emolumento docuit, Theologus atque Philoſophus conſummatiſſimus, licet profeſſione minime Medicus, excellentiſſimus tamen Phyſicus, et fuit vir ſcientia medica egregie excultus. Hac eruditione Nouicampiani (*) multiiuga inductus

S 2 Sigis-

(*) En Litteras liberi commeatus *Nouicampiano*, Regii Tranſiluaniae Principis, Iohannis Sigismundi Praeceptori, in Poloniam gentile ſolum redeunti, ab Isabella Regina impertitas, ſerie hac in lucem proferrimus integras! *Iſabella, Dei Gratia Regina Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. Vniverſis et ſingulis Praelatis, Baronibus, Caſtellanis, Comitibus, Capitaneis, Belli ductoribus, Prouiſoribus, Iudicibus, Conſulibus, Iuratis Ciuibus Civitatum, Oppidorum, Villarum, et quarumlibet Poſſeſſionum in Regno noſtro Hungariae et Tranſiluaniae; item Illuſtriſſimis, Illuſtribus, ſtrenuis Paſſis, Beglerbegis, Chanchiakbegis, Waywodis, eorumque vices gerentibus et aliis officialibus atque Praefectis Potentiſſimi Imperatoris Turcarum, Amicis Nobis ſincere dilectis ſalutem et felicem quorumcunque ſucceſſum. Proficiſcitur in Poloniam Fidelis Noſter* Albertus Nouicampianus, *Praeceptor Filii Noſtri Sereniſſimi. Rogamus itaque Amicitias Veſtras, ſubditis vero noſtris mandamus, vt dum et quandocunque dictus* Albertus Nouicampianus *ad dominia veſtra, honores ſeu officiolatus Veſtros peruenerit ſimul cum ſeruitoribus ſuis et comitiua, libere ac pacifice, et citra vllam pecu-*

niae

Sigiſmundus Auguſtus Poloniarum Rex ampliſſimo ſtipendio conductum in Hungariam ad Iſabellam Iagelloniam, ſororem ſuam germanam, viduam Ioannis I. Hungariae Regis vxorem eo fine exmiſit, vt filii vnici, regii Principis, Ioannis Sigismundi ſtudiis et moribus inuigilaret diligentius, addita ſalubri admonitione, inter caetera niteretur maxime conſilio, ſtudioque, atque labore, vt puerum regendis populis, et ſermone et Lege, et more, itemque et religione diuerſiſſimis deſtinatum, teneris ab annis pietate chriſtiana recte inſtitueret, vſuque imbueret atque obfirmaret. Prouinciam hanc ſibi delatam acceptamque omni virium contentione dum in aula Hungarico-Tranſiluanica regia pluribus annis exornaret, coepit corpore, quod a natura exile minusque firmum acceperat, ſenſim infirmari, cumque coelum Tranſiluanicum tam inclemens tamque inſalubre re ipſa experiretur, vt de recuperanda amiſſa ſanitate paene deſperaret, ſtatuit redire ad priſtinam, quam deſeruit, ſtationem, ſed breui mox attritus morbi violentia, Cracouiae, exeun-

---

niae ſolutionem dimittere et dimitti facere, quin potius ſicubi neceſſitas poſtulauerit, Noſtra et Filii Noſtri Sereniſſimi cauſa, illi de ſaluo conductu proſpicere velint, Subditi vero Noſtri debeant ac teneantur. Secus non facturi. Praeſentibus perlectis, Exhibenti reſtitutis. Datae Albae Iuliae, d. 20. Auguſti, Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo Quinquageſimo Septimo.

Iſabella Regina m. pr.

exeunte anno 1558. vix aetatis annos quinquaginta ſupergreſſus exſpirauit, cadauer eius ibidem in aede SS. Trinitati dicata, funere ſollemni tumulatum, et monumento nobili contectum eſt, a Vigilantio Gregorio et Benedicto Herbeſto, ſuis olim diſcipulis ligata et proſa oratione parentatum. Memoriam Noſtri Simon Starauolſcius in primis in Centuria Scriptorum Polonicorum pluribus recoluit edita Francof. anno 1625. 4. repetita Venet. anno 1627. in 4. et Vratislav. anno 1734.

OPERA.

1) *De Accentibus et recta Pronunciatione in vſum ſtudioſae iuuentutis Liber ſingularis.* Cracouiae apud Viduam Floriani Vnglerii anno 1548. in 8. Tanta auiditate Libellus exceptus eſt, vt an. 1551. Hieron. Scharffenbergius et an. 1567. Stanisl. Scharffenbergius ibidem typis ſuis recuderint.

2) *Annotationes in Fabricationem Hominis, a Cicerone Libro II. de Natura Deorum deſcriptam. Diſſertatio, vtrum Cor, an Iecur, in formatione foetus conſiſtat prius. Oratio de Laude Phyſices*, habita dum Librum Ariſtotelis exotericum περὶ κόσμου, id eſt, de Mundo inſcriptum diſcipulis ſuis publice praelegere, et Commentariis illuſtrare inciperet. Opuſcula haec apud Lazarum Andreae Cracouiae

Digitized by Google

anno 1551. in 8. iunctim prodiiſſe Merklinus in Lindenio renov. pag. 21. perhibet. (**)

3) *Sco-*

(**) Hanc Hominis Fabricationem a Cicerone propoſitam, et a Nouicampiano Noſtro hic explicatam, diſertiſſimus Hód-Mezö-Váſárhellyienſium Helv. Conf. V. D. Miniſter, *Beniamin Szönyi*, bis geminis Rythmis Hungaricis, *De Structura partium corporis humani* inſcriptis, ſcite admodum ad mentem Galeni expreſſit, cum praemiſſis aliis quibusdam *de Coelo*, *Terra*, *quatuor Elementis*, *Iride*, *dierum ac noctium*, *atque tempeſtatum anni viciſſitudine* concinnatis Meditationibus, ſummam rerum Fabricatoris ſapientiam enarrantibus. Adnexa haec ſunt ſingula *Puerorum Phyſicae* a Car. Rollino Gallice Phyſique des Enfans nuper ſcriptae, et nunc a Beniamino Noſtro

1) Hungaricae conſuetudini donatae, et ſub titt. *Gyermekek' Fiſikája.* Poſonii anno 1774. 8. plag. 12. editae. Quum nemo, quod equidem ſciam, ita diuerſo, tamque ſublimi Carminum Hungaricorum genere Patriam ornauerit, e re noſtra eſſe duximus reliqua quoque praeclariſſimi Poëtae huius Hungari prodere opuſcula:

2) *Szentek' Hegedüje.* i. e. Sanctorum Fidicula. Claudiop. per St. Paldi, anno 1762. in 8. Iterat Poſon. typis Mich. Landerer anno 1771. 8. Recuſ. ibid. ab eodem anno 1774. in 12. plag. 20. Repetit. Vacii per Franc. Ambro. an. 1777. 8. Liber hic amplius quam CL. continet Hymnos, in laudes ſummi Numinis fidibus Hungaricis modulandos: interſerti inueniuntur verſiculi, Num. LXXVI. a doctoribus Medicinae, et Num. CXIV. ab obſtetricibus, et aliis, in functione munerum ſuorum conſtitutis, recitandi.

3) *Imádſagok' Imádſága*, és *Kegyeſſeg Nap-Számа.* Poſonii anno 1773. repet. ibid. anno 1774. in

12.

Digitized by Google

3) *Scopus Biblicus Veteris et Noui Teſtamenti, cum Annotationibus ſummam Doctrinae Chriſtia-*
S 4 *nae*

---

12. plag. 3½. duo ſunt Libelli, quorum ille Orationis Dominicae interpretationem metricam; hic vero Meditationes XIV. ſingulis Hebdomadis diebus relegendas, nullis vinctas numeris, exhibet.

4) *De veritate Religionis Chriſtianae ex Miraculis et Mirabilibus Chriſti demonſtrata*, Elegiis Hungaricis expreſſa. Prelum Typothetarum graue hoc opus exſpectat.

5) *Epigrammatum Liber ſingularis.* Magna profecto animi oblectatione legi poterunt, quae Iano Pannonio Noſtro conferre equidem non auſim, Ioanni tamen Sambuco in Emblematibus, Ioanni Bocatio in Libris Hungaridum, Io. Sommero, Io. Filitzkio, Io. Gyalogio, Io. Lázário, reliquisque Hungarorum Poëtis vix elegantia et ſuauitate ſua quidquam cedere videntur. Vtinam impedimenta bonis poſita mentibus eluctari valeant! Eodem infelici fato premuntur *Franciſci* quoque *Lónyai* de *Nagy-Lónya*, Nobilis Equitis Hungari carmina, Ill. Colonello Comiti Franciſco Károly inſcripta: en habe Specimen ingenioſi huius Poëtae Hungari tali expreſſum Epigrammate: Ad Clar. Virum Stephanum Mánndi, egregium Poëtam condam Georg. Farkas (Lupum Latinis ſignificat) ſarcaſticis perſtringentem:

Incaſſum Veterem carpis Veterane Poëtam;
Nil lupus ingenio cedit Amice tuo.
Tu tamen es Vates: tetigiſti Inſigne Leonem
Eſſe meum; fingis vota dediſſe lupum.
Agreſtem fruſtra vocitas, ſi vera fatendum eſt,
Fictus, inurbanus non fuit iſte lupus;
Hoſpitis officio functus, dedit omnia gratis,
Stramina, lecta, focum, cum ſtabuloque domum.

Nomi-

nae complectentibus. Cracov. Lazarus Andreae excudit anno 1553. in 8. maj. Praemiſſa eſt prae-

Nominis ex etymo ſi rem deducis, agreſtem,
Non, ſed terrenum dicito, terra fuit.
Corpus vt in terram, ſic mens remeauit ad aſtra,
Sedibus aethereis non habet vrſa locum.
Vrſas qui primus mentitus ad aethera vexit,
Non vidit ſimiles fors miſer ille feras:
Nam pro caudis Vrſarum ſex ſidera monſtrant
Aſtrologi, cauda cum tamen Vrſa caret.
Debuit ergo lupum potius ſin iſſe vetuſtas,
Namque lupus caudam, ni ſpolietur, habet.
Si lupus Hungaricus iam ſit ſuper aſtra locatus,
Cede ſupervacuo Menalis Vrſa polo.
Iam gibbos imponat equis, et cornua tauris
Demat, eritque caper tigris, et Vrſus aper.

Viuenti vero ſibi tale ad calamum nobis dictauit Epitaphium:

Cunas Dobſza, Patak libros, liberosque Deregnyö,
Som requiem, aeternam dat ſuper aſtra Deus.
Corporis exhauſti licet hoc tegat oſſa ſepulcrum,
Vrna ſed ingenium non capit iſta meum.
Ignis, edaxque poteſt depaſcere cuncta vetuſtas,
Virtutem in cineres vertere flamma nequit.
Viuunt ingenii partus poſt funera noſtri,
Parte mei nequeo nobiliore mori.
Lugent laurigerae me decedente Camoenae,
Plectra mouent lentis luctiſonisque modis.
Ora rigant teneri (circum pia turba) nepotes;
Sola parum quae me defleat, Vxor erit.
Lugebat viuo, fuerat me ſoſpite triſtis;
Amiſſo poterat laetior eſſe viro.
Carpe Viator iter, nec iam tibi plura loquentis
Vltima Franciſci verba monentis habe:
Fida tibi potius tua quam ſibi ſit, precor, Vxor;
Vix eſt fida tibi fida marita ſibi.

Digitized by Google

praefatio ad Ioannem Sigismundum, Regis Hungariae filium directa. Sapient. XIII. *Vani ſunt omnes homines, in quibus non eſt ſcientia Dei.* Repet. Antuerp. anno 1555. et 1559. Item Lugduni apud Alex. de Marſiliis anno 1572. 12.

4) *Aſſertio quorumdam, qua inter ceteras non paucas affirmant: Charitatem non eſſe maiorem, ſeu praeſtantiorem fide in hac vita.* Ab Alberto Nouicampiano ſcriptura ſacra et teſtimoniis Orthodoxorum confutata. Cracov. apud haeredes Marci Scharſfenbergeri an. 1555. in 8.

5) *De corruptiſſimis ſaeculi huius Moribus, variisque atque turbulentis in Religione Chriſtiana Doctrinis, Oratio.* Ad Sereniſſimam Iſabellam Reginam: Illuſtriſſimumque Principem, Ioannem Sigismundum, Regem Deſignatum; et ad Ampliſſimos Ordines Regni Hungariae atque Tranſiluaniae. Scripta eſt Coloſuarii in Comitiis generalibus anno Domini 1556. celebratis. Cracov. anno a Natali Chriſtiano 1557. in 8. typis haered. M. Scharſſenberger. Recuſa Colon. anno 1561. 8. adiectis *Eraſmi Rotterodami* Epiſtolis duabus *de Doctrina et Moribus Pſeudo-Euangelicorum.* Lugduni anno 1572. in 12. omiſſis laudati Eraſmi Epiſtolis in lucem reuocata.

6) *Apologia pro catholica fide et doctrina de veritate corporis Ieſu Chriſti in Euchariſtia, de caeterisque Sacramentis; Liturgiae item ſeu Miſſae Sacrificio, ac aliis omnibus fere, quae hoc*

ſeculo controuertuntur. In Tranſiluania Tordae in comitiis anno, a Chriſto nato 1557. oblata. Praemiſſa eſt Epiſtola ad Illuſtriſſimum Principem Ioannem Sigismundum, Hungariae et Tranſiluaniae Regem Deſignatum: Praefatioque ad omnium ordinum Regni vtriuſque Viros Spectabiles et Ornatiſſimos; in quibus Ratio et Ordo Apologiae exponuntur. Cracov. anno a redemto mundo 1559. 4. cum gratia et Priuilegio Regiae Maieſt.

7) *Oratio, de Poteſtatibus geminis, quibus regitur Mundus, Eccleſiaſtica et Regia, tum quae illarum officia ſint, et de aliis non paucis, de quibus hoc ſeculo plurimi inter ſe contendunt, digladianturque non ſine magno Chriſtianae Reipublicae malo.* Huius facit mentionem Auctor in praefatione praemiſſae ſtatim Apologiae, ſed quia ea in medium numquam prolata eſt, permanſiſſe ſemper ineditam ſuſpicamur.

ARTICVLVS XXXVI.

Paksi Szathmari (*Paullus*) *Michaëlis Paxi Szathmári* Effigiem Vitae, rudi penicillo delineatam, Collectores *Muſei Heluetici* Partic. IV. pag. 649. ſeqq. adſpiciendam nobis exhibuerunt: praeſtitit idem cum enumeratione Scriptorum in compendio Auctor quoque des neuen gelehrten Europa, Part XII. pag. 856. ſeq. edit. Wolffenb. anno 1757. in 8. quam vero acerba inconſtantis et varie ludentis fortunae

fata,

Digitized by Google

fata, vna cum Gymnaſiis Albenſi, Maros-Váſárhelyienſi, et S. Patakienſi, in quibus XXVIII. et amplius annos Philoſophiae partim, partim Theologiae munus incredibili ſedulitate maximaque nominis fama obiu·t, fuerit per vices expertus, Rev. *Ioſephus Benkö, in Tranſiluania ſua, orbi nondum ſatis cognita*, Vindob. an. 1778. in 8. edita, Tom. II. §. CCLX. num. 2. et 4. luculentiſſime enarrauit. Virum hunc multis praeclaris Libris editis celebrem ob id potiſſimum magna prudentiae et ſagacitatis laude dignum iudicauerim, quod filios quidem omnes, quos ex *Iuditha Ember*, Debreczinenſi, plures ſuſceperat, litterarum ſtudiis addicendos exiſtimarit, *Michaëlem* tamen, *Stephanum*, et *Paullum* ſuo ipſe exemplo ad excolendas non modo theologicas, ſed etiam philoſophicas, omni elegantioris litteraturae vetuſtate exornatas, ſcientias ita animarit, vt *Stephanus in Athenaeo Debreczinenſi*, *Michaël* vero et *Paullus*, *S. Patakienſi*, celebres euadere potuerint Profeſſores, et Ludorum horum litterariorum moderatores ſollertiſſimi. *Paullus P. Szathmári* Noſter ita praeclarum Patrem veneratus, ita eximios Fratres nactus, poſteaquam indefeſſa domi foriſque induſtria ac exercitatione ſolidioris omnis doctrinae notitiam ſibi compararet, et mox Franequerae Friſiorum inter Batauos ad diem 29. Iun. anno 1758. ſuprema medicinae laurea exornaretur, atque nouiſſimae Philoſophiae ac Mathematum Profeſſor publicus in Gymnaſio S. Patakienſi renunciaretur, tanta eum alacrita-

te

te vtramque hanc et Profeſſoris publici, et Medici clinici prouinciam adminiſtraſſe nouimus, vt dubium reuera ſit, docendone clarior, quam morbis tollendis exſtiterit ad obitum vſque, qui quidem ipſi die 16. Aug. an. 1766. praematurus obtigit. Silentio interea praetereundum eſſe haud duxerim, *Paullum* Noſtrum in depellendis hominum infirmitatibus, medicamentis non tam arte et labore magno paratis, quam domeſticis, vt plurimum, et inuentu facilioribus, iisque parce admodum, et non niſi vrgente neceſſitate, exhibitis, nomen Medici fuiſſe egregie tuitum.

OPERA.

1) Diſſert. *De Simplicium Remediorum prae operoſe concinnatis praeſtantia.* Praeſ. Guilielmo Ouwens, I. V. Med. Doct. Franequerae Friſior. anno 1757. in 4. plag. 4. Inſcripta illa eſt Excellentiſſ. Illuſtriſſ. ac Magnific. Comitum in Tranſiluania, Ioannis Lázár, Lib. Baronis in Gyalakuta, Adami et Ladislai S. R. I. Comitum Teleki de Szék; Wolffgangi et Paulli Bethlen, Franciſci Gyulai, et Wolffgangi Bánfi de Loſſoncz honoribus. Recuſa Claudiopoli Tranſiluanorum typis Stephani Paldi anno 1760. in 4.

2) Diſ-

2) Diſſert. inaug. med. *De Morte Naturali* Franequerae anno 1758. in 4. plag. 12. Repetita Claudiopoli anno 1760. in 4. (*)

ARTI-

(*) Quantum Natio noſtra Hungarica Academiae Friſiorum Franequeranae debeat, ex faſtis Vniuerſitatis illius licet facile colligere: poſteaquam enim inter ſtudioſos Auguſt. et Heluet. Confeſſ. addictorum ea an. 1613. exorta eſt Vittebergae diſſenſio, quam antea inde ab exordio Reformationis Sacrorum fere ſolam agminatim ſtudiorum cauſſa frequentauerant, vt facta mutua inter fratres receſſione, Matriculam quoque Coetus ſui Hungarici quinque viri, *Stephanus Kereſztſzegi*, *Mart. Viski*, *Andr. Kis-Várdai*, *Martinus Totfaluſi*, et *Ioſ. Tſengeri* Vitteberga in Patriam adportarint, et in Bibliotheca Nagy - Bányenſi repoſuerint, Franequeranas praeprimis Muſarum ſedes eo numero Noſtri frequentare coeperunt, vt ſeculi vnius intervallo plures multo quam quadringenti nomimina ſua Vniuerſitatis Franequeranae Albo inſcripſerint. Prolixum quia foret catalogum hunc e Protocollo per annorum ſeriem contextum hic ſubnectere integrum, eos itaque vnice loco hoc recenſendos delegimus, qui ſtudii Medici cauſſa apud Franequeranos diuerſati ſunt: anno 1642. *Benedictus Arkoſi*, anno 1651. *Samuel Enyedi*, anno 1657. *Paulus Görgei*, anno 1665. *Io. Köpetzi*, anno 1672. *Paal. Tartzali*, anno 1674. *Franc. P. Pápai*, anno 1683. *St. Fejérvári*, an. 1686. *Sam. Köleſéri*, anno 1692. *St. Huſzti*, an. 1694. *Georg Briccius de Vizakna*, anno 1697. *St. Fogaraſi*, anno 1700. *Io. Cſüzi Cſeh*, anno 1701. *Io. Herczeg Debrecinus*, anno 1702. *Io. Oervendi*, anno 1704. *Matth. Hentzidai*, etc. Qui vero reliqui labenti hoc ſeculo e populariu noſtro-

ARTICVLVS XXXVII.

P'etsi (*aliter Peechi Lucas*) Praenobilis hic Hungarus loco natiuitatis non minus, quam

noſtrorum numero Doctorum in Medicina axiomatibus Franequerae cohoneſtati fuerint, alii facile referre iam poterunt, nos *Paullum Noſtrum* heic loci indicauiſſe ſufficiat. Eadem hac opera iuuabit reliquorum quoque Profeſſorum Ill. Gymnaſii Helv. Conf. add. S. Patakenſis Catalogum, inde a prima origine ad noſtra vſque tempora continuatum, prout is in Libro Legum Scholae laudatae, atque Hiſtoria Eccleſ. Pauli Ember reperitur, hic adnectere integrum: licet anno iam 1522. nobilem Ludum litterarium dicto loco exſtitiſſe fide monumentorum conſtet, prior tamen illius moderator nominari nequit, niſi *Stephanus Kopátſi* circa an. 1550. *Io. Vitus Baiſaratius*, Med. Doctor, ab anno 1556. ad 1567. *Baſilius Fabritius Szikſzai*, anno 1565. mort. anno 1575. *Georg Caeſar Caſſouienſis* circa an. 1577. *Matth. Thoraconymus*, anno 1589. *Demet. Krakkai*, anno 1596. *Moiſes Váſárhelyi*, anno 1601. *Mich. Lani Szepſinus*, circa an. 1612. *Steph. Siderius Szikſzai*, frater Io. Siderii, Paſtoris Tartzalienſis, anno 1612. *Georg. Korotz Szepſi*, anno 1614. *Ge. Lövei*, *Io. Szentzi*, *Io. Filitzki*, anno 1620. *Mart. Dus Muraközi*, anno 1622. *Bened. Bakai*, an. 1630. *Ge. Saláanki*, *Andr. Ruſzkai*, anno 1631. *Ge. Zemlényi*, anno 1634. *Paul. Szepſi*, 1636. *Io. Simándi*, *Matth. Komjáti*, *Franc. Verétzi*, 1637. *Steph. Fövenyeſi*, *Io. Bényei*, anno 1639. *Dav. Valerius* ex Iudaeo Chriſtianus, Med. Doctor, *Io. Tolnai* circa an. 1646. *Dan. Koloſi*, *Io. Amos Comenius*, *Alex. Huſzti*, *Io. Zebegnyei*, anno

quam habitationis, Tirnauienſis eſt: virum ordinis Religioſi, et illuſtrandarum rerum patria- rum

---

anno 1643. 8. Ian. *Caſp. Szepſi*, 1645. 27. Febr. *Steph. Beniamin Szilágyi*, 1645. 21. Dec. *Matth. Nográdi*, 1649. *Io. Herzeg. Szölöſi*, 1652. *Andr. Vátzi*, anno 1652. *Thom. Ujvári*, *Sam. Lippai*, *Io. Sz. Péteri*, *Paul. Szántai* † anno 1656. *Melchior Batzoni Baló*, anno 1657. ad annum 1663. *Io. Köpeczi*, Med. Doctor, anno 1665. *Steph. Vereſegyházi*, *Mich: Buzinkai*, anno 1656. 4. Mart. *Io. Poſaházi*, anno 1657. *Valent. Köpetzi*, anno 1665. ad annum 1668. Atque ſub Buzinkaio et Poſahàzio, indicatis duobus Praeceptoribus ſuis, Schola S. Patakina per Sophiam Báthori, Viduam Principis Georgii II. Rakótzi, anno 1672. d. 28. Sept. turbata, anno ſequente tranſiuit Albam Iuliam Tranſyluanorum ſub protectionem Principis Mich. Apaſii I. vtroque ibidem, illo quidem anno 1683. d. 23. Nov. hoc vero anno 1686. d. 3. Maii mortuis, ſed anno 1683. Iuuentute hac ſcholaſtica in duas claſſes bipartita, et parte altera Albae Iuliae perſiſtente, pars altera reuenit S. Patakinum, vtraque autem eosdem et ritus et leges conſtanter obſeruatura. Schola S. Patakenſis ſequentes nacta eſt a reditu Profeſſores: *Io. Tſétſi ſen.* anno 1686. inaug. ſub quo vice altera Schola haec anno 1687. fatorum iniquitate loco dimota Gönczinum tranſiuit, vnde anno 1695. in Vrbem Caſſouienſem immigrauit, et mox anno 1696. in ſuburbio ſedem inuenit, quoad anno 1703. bello ciuili diſſipata, antiquam ſuam ſedem d. 13. Dec. anno 1704. denuo S. Patakini recuperaret; vbi Io. Tſétſi ſen. anno 1708. 14. Maii mortuo ſuccedunt *Steph. Simándi*, an. 1709. *Andr. Füleki*, 1711. *Io. Tſétſi jun.* 1713. *Greg. Szomolló Nagymihályi* 1719. *Mich. P. Szathmari ſen.* 1734.

Digitized by Google

rum exeunte ſeculo XVI. ſtudioſiſſimum exſtitiſſe non vanis colligitur indiciis: num artem medi-

1734. d. 17. Sept. *Dav. Sárkány* 1734. 21. Oct. *Mich. P. Szathmári*, Mich. fil. 1742. *Steph. Bányai* 1744. *Paul. P. Szathmári* Med. Doct. Mich. ſen. fil. 1759. *Io. Szenteſi* 1767. d. 1. Maii. *Steph. Sz-Geörgyi* 1767. 15. Dec. *Mich. P. Szathmári* AA. LL. Medicinae et Phil. Doct. *Mich.* iun, fil. 1772. mort. anno 1773. *Gabr. Fülep de Oer* Theol. Doct. 1773. 20. Mart. *Martin Szilágyi* 1773. 20. Sept.

Schola vero Iulia Albenſis ſequentes ſuſpexit ex ordine Profeſſores: *Steph. Kis Komáromi* an. 1686. d. 20. Iun. ad annum 1700. *Sam. Kapoſi* anno 1690. † anno 1713. d. 23. Iul. *Io. Berzétei* an. 1713. † anno eodem d. 23. Oct. *Andr. Zilahi Sebeſs* anno 1714. d. 2. Febr. Claudiopoli poſtulatus, et anno 1719. peſte mort. *Mich. P. Szathmári* anno 1716. d. 21. Febr. Tokajino accerſitus, et anno 1734. 3. Sept. poſtulatus S. Patacenſis. Anno 1716. d. 26. Mart. Schola Albenſi loco dimota, Sebeſſio et Szathmário Ducibus in Caſtellum vicinum Karko, et mox anno eodem d. 2. Dec. *Marus - Váſárhellyinum* deducta eſt, vbi cum Ludo eiusdem oppidi litterario mox coaluit, retenta interim arcta ſua in hunc vſque diem erga Gymnaſium S. Patacenſe adfinitate. Illis poſtea adnumerati ſunt: *Mich. Köpeczy* ab anno 1718. ad 1720. *Io. Kövesdi* ab anno 1721. m. Nov. ad ann: 1760. d. 30. Dec. *Sam. Rimaſzombati* ab anno 1735. 24. Apr. ad an. 1738. *Sam. Nádudvari* anno 1741. fuga delapſus anno 1745. *Sam. Tétſi* ab anno 1742. ad ann. 1756. *Steph. B. Intze* ab anno 1749. m. Iul. ad annum 1776. d. 4. Mart. *Mich. Benkö* ab anno 1757. m. Ian. ad 1773. 12. Mart. *Alex. T. Kováſznai* anno 1764.

medicam profeſſus fuerit, haudquaquam adfirmauerim, ſcientia tamen in primis Botanica inter populares ſuos, pro aeui ſui ratione excelluiſſe certum eſt, licet in republica litteraria Hungariae ciuibus noſtris ad haec vſque tempora eo nomine ignotus fere delituerit.

OPERA.

1) *Epitome Rerum Hungaricarum, velut per indices deſcripta, Auctore Petro Ranſano, apud Matthiam Regem, olim Regis Neapolitani, triennium legato.* *Impreſſum Tirnauiae: Elimatione et Relectione, Lucae Peechi Pannonii M. D. LXXIX.* in 8. alph. 1. Reu. Nicolao Telegdino Epiſcopo Quinque-eccleſienſi, Adminiſtratori in Spiritualibus Archiepiſcopatus Strigonienſis Noſter inſcripſit, quem in calce praefationis praemiſſae perbello carmine gratulatorio vt ſtudiorum ſuorum altorem adlocutus eſt, ſubnexo hoc lemmate: *Non Dolo*, ſed *Virtute.* Ranſani Epitomen hanc *Io. Sambucus* omnium primus edidit in lucem Viennae. An. 1558. in fol. min. typis Raphaëlis Hoffhalter, quam poſtea Peechius anno et loco ſtatim indicato repetiit, ea

1764. m. Ian. *Steph. Baſa* anno 1774. d. 1. Maii. *Sam. Szabó* anno 1776. poſtulatus Enyedinus an. 1779. *Ioſ. Pap. Fogaraſi* ab anno 1779. d. 17. Nov.

ea tamen lege, vt omiſſam a Sambuco *Dedicationem* operis Ranſanianam, D. Matthiae Corvino Regi oblatam, praefigeret; et *Indicem primum*, continentem orationem Auctoris ad Regem Matthiam, et Reginam Beatricem, a Sambuco aeque neglectam, vtramque ex MScto exemplari in Bibliotheca Sigismundi Tordae latenti protractam adiiceret, et ſic Indices, ſiue capita, epitomes vno numero augeret, quum in Sambucina eorum nonniſi XXXVI. numerarentur: Vterque Ranſani editor, Sambucus aeque ac Peechius, hiſtoriam de occupata per Matthiam Auſtria ad infelicem uſque cladem Mohacſianam, et vix amplius, produxerunt, diuerſo et ſcribendi genere, et hiſtoriarum fonte, quo ſua hauſerunt, diuerſo plane vſi. Peechius Appendicem breuem de Rebus Hungaricis ex Lib. 8. Decad. 4. Anton. Bonfinii deſumſit; Regnum Vladislai Regis vnde depromſerit, non facile diuinaueris; Regnum vero Ludouici Regis in campo Mohach occiſi ex St. Broderitho mutuatus, totumque opus lemmatibus ad marginem adpoſitis exornauit: ſed in quantum interim editio noſtra Peechiana et Sambucina, aut etiam Francofurtana anni 1600. Collectioni Bongarſianae Nro. IV. vel Lipſienſi an. 1746. Schwandtnerianae Tom. 1. Nro. IV. inter ſe texta differat, ex contemplatione ſingularum in ordine poterit lucidiſſime Lectori conſtare. Noviſſima vero editio Ranſani Budenſis,

denſis, an. 1746. in 4. procurata, ita Peechianae noſtrae adtemperata eſt, vt eam, quam fieri poſſet, exactiſſime exprimeret prae reliquis, hoc praefixo titulo: *Epitome Rerum Hungaricarum velut per Indices etc. annis abhinc CLXVII. impreſſa, ſtudio et opera Lucae Peechii Pannonii. Nunc demum ob eius elegantiam recuſa Budae an.* 1746. Sed de Peechiana hac, aliisque Ranſani editionibus, conſulenda eſt *D. Godofredi Schwartzii*, Iglouienſis Hungari, *Recenſio critica Epitomes Rerum Hungaricarum Ranſani*, Lemgou. an. 1774. in 4. plag. 9. edita, ſed legenda imprimis eſt erudita excellentiſſimi Hungariae polyhiſtoris, *Ionae Andreae Czirbeſzii noſtri*, *Critica* aeque, Criticae Recenſionis illius *Recenſio*, in Ephemeridibus litterariis Vindobonenſibus anni 1775. Partic. XXII. XXIII. et XXIV. publicata, in qua de *Peechio*, vt altero Ranſani editore, pro more ſuo, ſatis docte ſcilicet, vt ſolet, vir hic eruditiſſimus diſſeruit. Aſt non modo clar. Schwartzius, ſed ne Reu. Schier quidem Peechianam Ranſani viderat editionem, vt ex Diſſertatione Eius de Regia Bibliotheca Budenſi pag. 61. certum eſt, caſtigat enim Iac. Echardum et Sigismundum Ferrarium, affirmantes, Ranſanum, epitomen ſuam Rer. Hungaric. Matthiae Regi dedicauiſſe, ipſe maiori iure reprehendendus, qui ſola Sambuci editione contentus fuerit. Non abſimiliter reprehendendus etiam merito eſt nuperus

Ranſani editor Budenſis, quod extruſa inconſulte perelegauti Peechiana Dedicatione; Nicolai Telegdii, Epiſcopi Quinque-eccleſienſis, et Sigismundi Torda, virorum egregie de Patria meritorum, famam turpiter obliterare voluerit.

2) Meditationes S. Auguſtini, vernaculo Sermone Hungarico expreſſae. Viennae an. 1591. in 8.

3) *Kereſztyen Szüzeknec tiſzteſſéges koſzoroia: avagy Lelki füues kert, lelki virágos Kert* Ternau. an. 1591. in 8. Liber hic in patria redditus iam eſt, alba cornicula rarior; hoc quoque, quod tenemus, exemplum lacerum eſt, et complet. plag. 23. explicitque in fol. 188. cetera vt in initio ita in fine potiſſimum deſiderantur. Plantarum ſingularum faciem, quarum indolem, naturam et virtutem medicam expoſuit, Iconibus periti artificis manu fabricatis ſcite admodum, vltra quam credere fas eſt, repraeſentauit. Auctorem hunc Tirnauiae Hortum Botanicum aedibus ſuis vicinum aluiſſe vltima prooemii verba manu ſua ſignata aperte nos haec condocefaciunt: *Költ Nagy Szombatba magam hazam melett ualo uiragos füues Kertben, Szent Mikaly Archangyal napja.* 1591. *Peechi Lukach.* Licet inſignis Cimelii huius litterarii patrii aliquam iam Biographiae noſtrae Centur. II. part. 1. pag. 175. ſeq. iniecerimus mentionem, vt tamen vberior tanti theſauri inter nos poſteroſque noſtros conſeruetur noti-

notitia, licebit in eo excerpendo et in Aduerſaria haec inferendo aliquantulum loco hoc nobis eſſe prolixioribus, eamdem aeui illius orthographiam ex integro obſeruaturis:

1) Az Saarga fü *ki kelettel nyilic*, kit Primulam veris auagy verbaſcum odoratumnac *hiunac, az koſzoru köttesben ſzolgal es mindgyart az ki keletnec es tauaſznac elein talaltatic, es óſzel ſzünic meg: ez virag örömeſt ſzaraz mezökön neuekedic: ez virag gutta ütteſtul oltalmaz, embernec ſzivet eroſiti, es ha vizet veſzic, minden fekelt, es fakadekot gyogyit, es ſzarazt.*

2) Az Szekfü *tellyes, veres, feier, auagy chepegetet ſzineuel folötte ekeſſeti az koſzorut es kanuat. az Szekfü nemelly tellyes, nemelly közep ſzerö, nemely chak paraſzt; az nyarnac keſzdetin mingaraſt nyilni keſzd, es az teli ideig nyilic, eros deret es hideget nem ſzenuedhet, hanem föképpen leueleit es viragiat meleg helyeken ſzokta ki terieſzteni: az ſzekfü valamenire keſerü, mindazonaltal gyönörüſeges illatot ad magatul: ful faidalmot, ſziu fogaſt, gutta ütteſt, keleuent, kigyo ſerteſt, harapaſt, és egyeb fele, betegſegec ellen ſzolgal.*

3) Az Saarga, feier, es ſzederies iuolac ü *magokban ſzepec, es illatozaſokial gyönyorüſegoſſec, az koſzorut is ekeſſitic, es kaſzdagettyac, tauaſzal keſzdnec nyilni es az egeſz nyaron viragoznac: az vize, embernek ſzemet tiſztitya minden fekelyeknec genetiet ſzaraztya, az aſzon allatoknac terme ſzet ſzerint valo fol-*

lyas beteg ſeget indityo es hamar ki kergeti: az ember ſzaianac inbeli faidalmat gyogyitia, midön ezeket a viragokat meg a ſz allyac, töric, es vgy iſzac auagy velle moſſac.

4) Az keec iuola, *ki keletben ſzokot nyilni, az böit mas haban viragozo kec iuola, az ü gyünyorüſeges, vaſtag; es eros illatozaſſoual külömböz az eb neuö vad iuolatul, nem ok nekul neuezik az regiek* iuolanac, propter violentiam odoris, *az illatnac eros voltaert, az iuolac öromeſt nönek az arnyekba, köfal auag ſouenyek mellett; az iuolaknac kisded viragoc es röuid ſzaroc vagyon; embernec feiet hiueſitic, es könyebitic, az alomban nyugodalmat hoznak, es az eltetö lèlegzetet eröſſetic.*

5) Az Cziptos *erös es kedues illatot ereſzt magatul, de föképpen midön vele füſtölnec, telben is zöldön meg marad, az merget meg fotia, es ellen al, a kigyót meg bagaſztya, midön azzal f uſtölnek.*

6) Az Maiorana, *igen ſzep illatozo virag ü, örömeſt neuekedic es leueleit ki teriеſzti, midön köuer es ganaios helyen vagyon hoſzu es erös hideget nem ſzenvedhet, minthogy ü nyari virag az nyarnac keſzdetin keſzd neuekedni és leûelezni. és neuekedni mind a teli ideig; az el veſztet ſzollaſt meg hozza, es ha nedueſſeget embernec fulebe bochattiac, az hallaſt nyilatkoztattia.*

7) *Szep virag az* Putnoc, *auagy* Czombor, *az ü leuele valamennyire haſonlatos az maiorana-hoz, igen közel az földön neuekedic, kiualt a*

nedues

nedues es munkara alkalmatos helyen, a minemu helt ſzeret, ott öromeſt meg marad, ſzaporodic es ki teried, ugy hogy ugyan nagy mezöket el fogion, azert neveztetik pulegium *nac* a pululando, *hogy igen el ſzaporodic midön egyeb minden fuuec az keüſegtul megheruadnac, es ſzaradnac, akcor keſzd ü, ez putnoc viragozni*, igen beü es erös illattia vagyon, es azert valamennire ugyan keſſerü és chipös ſzaga vagyon; midön *ember feien hordozza, akarminemü fer-get ki kerget, es ha vizben meg fözie, minden viſzketeket az börnec, havele moſſac, meg enyhiti.*

8) Az Boldog Aſzony roſaia *az ü ſzép es tettetes piros ſzineuel kiuül a koſzorut igen ekeſſiti, es ſzépiti, haſonló ü az feier es ſaarga iuolahoz; meg tartia azoknac eleteket kic az ſcorpiotul meg ſertetnec.*

9) *Az Bechi fü meg nem ſzokot aggani, az ö leuelet meg ſem valtoztattia, hanem ſzinet ſzüntelen meg tartia es viſeli, ſzep es kedves illato, telnek közepen is koſzoruhan kötheted; alachon, és ſzaraz helyen és mezöben terem; keregded es ſáarga viragia vagyon az tetein, mint valami Arany ugy tündöklic, es az nap ellen igen fenyeſtcedic; haruhac köze rakiac, az molyt, es egyeb hituan ferget meg öli, es el kerget, es ha borban meg fözic, giliſztat kerget, kemen maiat lagyit, az embernek leped es veſſeiet könyebiti.*

10) Az tarka iuolanac *ött kisded levele vagyon, harom fele ſzinben, kettei ſzederies, kettei feier, es az egyei ſaarga, haſonlo ez az ki*

 keleti

keleti kec iuolahoz, alaczon ſzara vagyon: mindgyart a' ki keletnek elein ü is nyilni ſzokott, es viragzic az egeſz nyaron, mind az öſzi ideig; az aſzony alataknak emleiet avagy melyet tiſztitia, vereteket kerget midön vizet iſzac, ha meg ſzaraztiac, es porat valami mezben keveric, ſebet es töreſt gyogyit.

11) Az Barſon virag az *ü kedues és ſzepſeges ſzineert ezer ſzep es ſzeretett viragianac is hiuattatic viragi tellyeſſeggel lagyac, es illeteſre ſima puhac, mint valami barſony, bar ez fü es virag meg ſzarodgon is, mely igen laſſan törtenic, de vgyan meg tartia ſzepſeges ſzinet, es gyengeſeget.*

12) Az Baſilicum *fünec kisded Leuelei vagynac, es gyengec, igen ſzep illatia vagyon mint a ſzekfünec, kit vgyan ſzekfü Baſilicomnac is neveznec, leg elöſzör az elsö reſzein ſzokott ſzép feier viraggal viragozni, es vgy laſſan laſſan megyen a teteiere az virag, ha eczetben aztattiac, az ſzedelgeſt es bagyadaſt el ſzokta venni, es az ökör nelueuel meg fözuen, leuet ha ki iſza, banatot, es fantaſiat kerget, es ha a ſzemre teſzic, heuſeget könebiti.*

13) A fzep es kednes illatu roſac, *töuiskes veſzökön neuekednec; az roſa viz az fekelt es ſömört el kergeti, az embernec böret gyengiti, az ſzemnec nedueſſeget ſzallitia midön vele moſogattiac, es az roſa egyeb hiueſſitö füuekel egyetemben a tiſztatalanſagot ſzallitia, es ha meg töric, minden heuſeges ſebet, ſzakadaſt, ha*

ha rea rakiac es tüzes kegyetlen kileſeket meg ront, es ellene ál.

14) Az Borſola *vagy* Indiai Szekfü *ſzep es arany ſzinü Leueleket, es mint valami Saárga barſon olyan viragot viſel, fökeppen akcor ſzep és gyönyorüſeges virag, midön ſzamlalhatatlan leueleit telyeſſen ki nyilua muttogattia; ez roſa kedues fü tekintetre es vaſtag ereie vagon, inkab nagy voltaual es kedues ſzineiuel tölti be embernec ſzemet; nagy volta miatt az koſzoruba nem kötic, hanem viraganac egy vagy harom leueleit, az ü ſzara leuele es viraga oly büdös, hogy ſemmikeppen el nem titkolhattia.*

15) Az Ruttat *ki kelettel, midön az nap egyenlö az eyillel kel plantalni es vetni, hogy böuebben es jobban terremien, közönſeggel tiſzta és ſzaraz inkab, hogy ſem nedues és köuer helyen neuekedic, az mereggel meg ſertet embert ſegiti, eletet vidamitia, midön elöſzör azt meg eſzik, kigyonac, gyiknac, varasbekanac merget kergeti (azert ſzoktac magokat az büuölökis midön kigyokat chalogattiac es fogyac rutaual eröſiteni) de ünön magokat az kigyokat, és bekakat üzi. Nem is gonoſz közel ültetni az Salliahoz, mivelhog' a bekac ott örömeſt laknac.*

16) Az Rosmaring *erös es gyönyörüſeges illatot ad magatul; bar aſzu es ſzaraz legyen is, meg is meg tartia az ü ſzinet, illatiat, és ereiet, örömesben neuekedic az melegen, es eſztendö altal ketſzer viragzik, tauaſzal es öſzel; valaſztot keduel, es kiuant akarattal koſtoliuc az*

etelt es italt, melyekbe talaltatic a rosmaring; büdös lehellet ellen ſzolgal; huratott es torhazaſt kerget, es minden hideg nedves folyaſt embernec feie ueleiebül tiſztit.

17) Az Leuendula es Spikanard *ket ſzepſeges füuec, es viragoc ere iekcel es miuoltokcal igen haſonlatoſſoc egmaſhoz, kikelettel zöldülnec, es kis aſzony hauaban es öſzel viragornac, mikor viragokat is le metelhetic, es az egeſz eſztendö altal elhetni vele, ez ket virag az teſtben valo ſzelletet el oſzlattia, az ſaargaſagot, es allo viz korſagot kergettic. és az hideg gyomrot melegi tic.*

18) Narciſſus, Te mondad fü; *igen ſzep kisded roſa, nemeli feier, ne mely vereſſes ü köztöc, magos hegyeken ſzokot közönſeggel teremni; igen ſzep illatia vagyon, minden nehez dagadaſt, és töreſt, meg lagyit, az ſebeſitö nyilat, auagy egyeb hadakozo fát, az ſebek böl ki vonſzon, egeteſt, és koſzueny faydalmat könyebit, ha gyukeret meg töric es valami mezzel öſzve keueric.*

19) Az Iſop *kichin füuechke ugyan, nem igen ſzep is, de ſzepillatia vagyon, ſzepiti az orczat, es ſzep ſzint chinal, mint a regiek is el tec tiſtulaſoknac idejen. Exod. 12. Leu. 12. Num. 15. fog faiaſt köniebit, az ſebekbül merget tiſztit, es az törött meg veſztet vert emeſzti.*

20) A Rukercz *törpe virag, alachon es chac az földhöz kozel vagyon, könyen is el türheti, hogy egyeb füuec ü mellette magaſſabban fel nö-*

heſ-

heſſenec, az koſzorut igen ekeſſiti, es vgan chac azert is tartiac ekeſſegert, midön vendegſeg vagyon, egeſz eſztendö altal mind talalyac, de fökeppen ki kelettel, ez igaz ſeb gyogyitto virag, ha vizben meg ſözic; es ugy meg iſzac, mind külſö mind belſö ſebet gyogyit. Singularis ea Libri huius dos eſt profecto, vt dum Auctor Virgines ex enarratis ordine floribus, Ieonibus quam pulcerrime adumbratis, Sertum contexere docuiſſet, tum Virtutes totidem, illarum potiſſimum ſexui accommodatas, enarrat; hortaturque ſimul matres familias, vt filiarum ſuarum felicitati ſempiternae conſulturae, iis velut totidem ſertis illas exornare, omni virium contentione adlaborent; Quae vero illa ſint ſplendida Virginum ornamenta, ad conciliandum libro pretium pertinere exiſtimem, nominum tenus duntaxat ſermone, vt ſcripta ſunt, patrio in tabellam hanc inſcribere: *Az iſten igeiehez, es ſzolgalattyahoz valo kedves ſzeretet; Az Iſtenec igaz ſzereteti; Iſtenec felelme: alazatoſſag: Imadſag: hala adas: az igaz hitnec nilvan valo vallaſa: Az Venekhez való tiſztelet: dolgolodas: tiſzteſſeges maga tartas: Nyaiaſag: Irgalmaſſag: Szemermeteſſeg: Ragiuaſag: Mertekleteſſeg: Lelki es teſti tiſztaſag: Meg elegédes: Adakozäs: Tokelleteſſeg: Halgatas.* Nec quidquam interea mirandum duxeris L. B. dum Maiores noſtros ſcientiam Botanicam ſic rebus diuinis adtemperare legeris, ſcias, velim, genti Hungaricae fuiſſe

fuiſſe familiare admodum iam ab ipſa felici eorum ad fidem Chriſti conuerſione, Vegetabilibus Religioſa quam plurima, a rebus diuinis, Deo ſcilicet, Viris ſanctimonia vitae illuſtribus, bonis malisque geniis, deſumta indidiſſe nomina, pauca ſaltim heic loci ſpeciminis inſtar adduxiſſe e re noſtra eſſe iudicauimus: 1) *A Sanctiſſimo Dei nomine deriuata: Iſten'ſája;* abrotanum. *Iſten' ſzakálla;* Viola tricolor, pimpinella alba, et arum vulgare maculatum. *Iſten' kenyere*, Botrys, et ambroſia. *Iſten-nyila*, *Iſten' kulcſa*, *Miſe-gyortya*, Orobanche. *Iſten'haragja*, gratiola. *Iſten-korſótskája*, Sium aquaticum. *Iſten a'tkozta tövis*, Eryngium vulgare. *Sz. Haromſág ivolya*, herba Trinitatis, iacea tricolor. *Iſten lová farka*, aſparagus. *Iſten'pohárkája*, helxine, ciſtampelos. *Iſten' táskája*, burſa paſtoris. *Iſten paréj*, blitum maius rubrum. *Iſten' tenyere*, ricinus vulgaris. Kriſtus' keze, vagy tenyere; idem, etc. 2) Nomina a viris ſanctis mutuata: *Salamon' petſe'ttye*, polygonatum. *Sz. Pêter'kulcſa*, primula veris. *Sz. Antal' virága*, gallium. *Sz. Iván' virága*, idem. *Sz. Iános füue*, horminum, item hypericum perforatum, nec non Liquiritia. *Sz. Iános' öve*, artemiſia vulgaris. *Sz. Iános'virága*, bellis maior pratenſis, buphthalmus. *Sz. Iános'kenyere*, filipendula et ſiliqua dulcis. *Sz. Iános'gyökere*, victorialis longa. *Sz. Láſzló Kiraly' füve*, gentiana cruciata. *Sz. György füve*, ophio-

ophiogloſſum. *Sz. György' virága*, Primula veris, et Lilium conuallium. *Sz. György Iova' farka*, aſparagus ſylueſtris. *Sz. Iakob' füve*, Iacobaea vulgaris. *Venus Aſzſzony* feredöje; dipſacus. *Sebeſty'en*, Mixa. *Sz. Iakob' virága*, bellis maior pratenſis, et Chryſanthemum maius. *Sz. Benedek' füve*, Cariophyllata officinalis. *Sz. Lörincz' füve*, Vincetoxicum ſeu Aſclepias. *Sz. Robert' füve*, geranium moſchatum. *Sz. Simeon' füve*, Malua alcea. *Szüz Mária' papucſa*, Calceolus Mariae. *Szüz Mária teje*, *vagy Tenyere*, Alchymilla officinarum, et carduus Mariae. *Sz. Mária Magdolna füve*, Nardus vtraque, celtica et aggreſtis. *Sz. Magdolna' füve*, Valeriana officinar. *Sz. Ilona Aſzſzony' fuve*, adianthum rubrum, vt et horminum. *Sz. Borbála' füve*, Barbarea. *Boldog Aſzſzony' roſája*, auricula flore rubro. *Boldog Aſzſzony Mentája*, Mentha graeca. *Boldog Aſzony' ága*, Sabina. *Boldog Aſzſzony' teje*, carduus lacteus. *Boldog Aſzſzony' töviſſe*, Carduus Mariae. *Boldog Aſzſzony' paláſtya*; alchymilla officinalis. *Boldog Aſzſzony' Cſipkéje*, rubus Idaea. *Boldog Aſzſzony köldöke*, Cotyledon, ſeu umbilicus Veneris. *Boldog Aſzſzony' haja*, epithymum. *Szent Fü*, Verbena. *Aldott Fu*, *Pápa fü*; carduus Benedictus. *Ditſöſſéges Fü*, Veronica, etc. 3) A bonis malisque geniis nuncupata: *Angyal rugta fü*, Nummularia officinalis. *Angyal Fü*, Angelica. *Angyal édes gyökér*, Polypo-

lypodium. *Ordög'méze*, Gentiana maior. *Ordög harapta fü*, Succiſa. *Ordög' téj*, Eſula minor. *Ordög ſzekér*, *vagy keringö*, eryngium. *Ordö g'rckolya*, veratrum album. *Ordeg borda'ja fü*, Filix ramoſa maior. *Ordög' gyöke'r*, Helenium. *Sátăn fü*, Meliſſa turcica. *Boſzorkány káſa fü*, Feſtuca fluitans, ſeu gramen mannae, etc. Omnes et ſingulas diuinas has herbarum denominationes apud Maiores noſtros pridem in vſu fuiſſe ex antiquorum rei herbariae in patria ſcriptorum, *Petri Melii*, *Stephani Bejthe*, *Lucae Peechii*, *Caſparis Madáts* libris luculenter euincitur: imo iam *Chabae*, Regis Hungariae antiquiſſimi, Filii Attilae, ex Honorii Caeſaris filia ſuſcepti, temporibus in conſolidandis vulneribus *Pimpinella ſaxifraga*, felici vſos fuiſſe ſucceſſu, hiſtoriarum patriarum abunde teſtantur momenta, vnde laudata herba haec, dicta *Pimpinella*, nomen ſuum *Csába-irje* in hunc vſque diem conſtanter apud nos retinuerit. Ex iisdem fontibus ſtatim indicatis clariſſime perſpicitur, priſcam quoque Hungarorum gentem, plantarum cognitione maiorem in modum fuiſſe delectatam, ſingulari cura in eo elaborantes, vt genuina vegetabilibus quibusuis imponerent nomina, alia ab hominibus eorumque partibus, alia a quadrupedibus, vel auibus, aut inſectis, aliisque rebus viuentibus non minus, quam vitae omnis prorſus expertibus, fere innunumeris petita: in hominum claſſe deſumptam

tam

tam nouimus frequentem nomenclationem a feminabus, earumque partibus, regina, puella, ſacerdote, monacho, ſtudioſo, paſtore, molitore, mendico, obſtetrice, nec non lutra, marte, vrſo, lepore, boue, agno, leone, cane venatico, equo, capro, capra, ceruo, cane, aſino, porco, tauro, vitulo, fele, vulpe, lupo, mure, dracone, item rana, ſerpente, ſcorpione, lacerta, hirudine, blatta, cimice, pulice, apibus, pediculo, philomela, accipitri, miluo, gallo, gallina, ciconia, hirundine, cuculo, columbo, fulica, anſere, coruo, cornice, perdice, aquila, vlula, pica, et quisnam reliqua omnia ordine iam enumerauerit? Haec, quae in laudem gentis noſtrae haud praefiſcine in re Botanica nunc enunciauimus, noſtra quoque aetate eodem in patria modo obtinere dignoſcuntur ex illo bonae frugis *Ioſephi Cſapó*, Med. Doctoris, *Libro herbario*, quem vir hic eruditiſſimus, et collega mihi coniunctiſſimus, ſub tali praefixo titulo: *Uj fuves és virágos Magyar Kert*, Poſonii an. 1775. in 8. plag. 20. typis Landererianis editum publicauit. Sed quibus praeterea ſcriptis laudatiſſimus hic Vrbis noſtrae Medicus inter populares notum ſe effecerit, meruit omnino heic loci a nobis nouiſſime ſerie hac commemorari: 1) *Diſquiſitio de praeſentia liquidi neruei in muſculo, in actione conſtituto, et de cauitatibus fibrarum muſcularium.* Argent. an. 1756. in 8. plag.

1.

1. 2) *Problema Theoreticum de auditu, et practicum de Pleuritide enodatum.* Baſil. an. 1758. in 4. plag. 1½. 3) Diſſert. inaug. Med. *De Febre Hungarica.* Baſil. an. 1759. in 4. plag. 3. 4) Kis Gyermekek' Iſputállya. Nagy-Kàroly. 1771. in 8. plag. 8. Recenſ. in Ephemeridibus litterar. Vindobon. an. 1771. partic. XIII. 5) *Orvoslo Könyvecske, melly betegeskedö ſzegeny ſorſú ember' ſzámára, és haſznára kéſzült Csapó Ioſeph,* Orvos *Doctor által.* Manu ſcriptus liber eſt, lucem exſpectat publicam.

ARTICVLVS XXXVIII.

Praetorivs (*M. Dauid*) Daniel Krmann, Aug. Confeſſ. addictorum ſuperattendens in Hiſtoria Eccl. Hungar. Euang. MScta meminit Petri Praetorii, paſtoris Rokſenſis in Scepuſio, qui dum Abrahamum Chriſtiani, in Villa Crucis Scepuſiorum Concionatorem crimine laeſae maieſtatis diuinae grauiter oneraret, hunc illius calumnias ſibi obiectas *Theſibus ſuis Apologeticis de Coelo, de Aſcenſione Chriſti in coelos conſcriptis* et Bartphanis typis anno 1599. in 4. in lucem editis, egregie obtriuiſſe idem ſacer Hiſtoricus memoriae poſteritatis commendauit. Ex hac turbulenti hominis proſapia originem ſuam accepiſſe nouimus *M. Dauidem Praetorium*, in Gymnaſiologia Reſikiana MScta Sect. I. cap. XI. §. 13. Zipſer vel Zibſer aliter adpellatum, de quo in Faſtis Gymnaſii Kesmarkienſis

Scho-

Digitized by Google

Scholaſticis, quos *Matriculam* vocare ſolemus, talia litteris conſignata hodiedum leguntur: *M. Dauid Praetorius, Kesmarkini anno* 1577. *natus, confirmatis Roſtochii, vbi et Magiſterii titulum confectus eſt, ſtudiis, regundae Scholae patriae anno* 1608. *admotus, ad annum* 1639. *commiſſam ſibi prouinciam cum magna vtilitate adminiſtrauit.* Hunc Dauid Frölichius Scepuſio-Pannonius in Prognoſtico ſuo Aſtrologico, anno 1623. Vratlslav. in 4. edito, *Virum eruditiſſimum, Medicum, Scholae patriae ſuae Rectorem et Curatorem*, alibi vero in ſcriptis luce publica donatis, *Venerabilem ſenem, polyhiſtorem conſummatiſſimum, Scholae patriae Rectorem digniſſimum et praeceptorem optimum* adpellat. Quae et quanta ad naturae arcana perueſtiganda ſtudio ſuo contulerit adminicula, vel ex eo colligere licet indicio, quod dum ſe iam morti vicinum eſſe praeſagiret, nec pedes amplius officium facere quirent, exportari ſe e domo ſua mandauerit, et conuerſus ad Carpati Montes, quos vertente quouis anno viſitauerat, ſupremum ei dixit vale, gratumque teſtatus eſt animum pro herbis ſaluberrimis, quarum vſum et vtilitatem medicam a ſocero ſuo in primis Bartholomaeo Bertramio, Conſule et chimico Kesmarkienſi fuerat ante edoctus.

OPERA.

1) Diſſertatio Logica. *De Categoria Qualitatis.* Stetini anno 1601. in 4. Ioanni Krauſio, *Weſzpr. P. II.* U arcis

arcis Lublouienſis, et XIII. Oppidorum Proviſori, Patrono ſuo dedicata.

2) *Rectores Ceiſmarcenſis Scholae.* Sub tali Libelli titulo concinauit Catalogum Rectorum Gymnaſii Késmarkienſis, hic in compendio iam exhibendum:

Anno 1570. 1571. Lucas Fabinus migrauit Eperieſinum.

1572 - 1574. Matthias Thoraconymus pulſus a P. Georgio Sommero.

1575. Emericus Sonntag factus Notarius et Politicus.

1576 - 77. Sebaſtianus Ambroſius factus Concionator Eperieſienſis.

1578 - 79. Io. Greiffenzweig, Marcivillam iuit.

1580. Daniel Rechenius.

1581 - 84. Paullus Manichius primus Ramiſta in Scepuſio, poſt Paſtor Georgio Montanus.

1585 - 86 - 87. M. Nicol. Gabelmannus factus Hiſtoricus Rudolph. Imperat.

1588 - 89. Io. Sonntag conceſſit Bartpham.

1590. 91. 92. 93. 94. M. Mich. Marthius Neoſolienſis, in eius vocationem plus C. floren. expoſit.

1595. Factus Notarius Marthius, et Subſtitutus M. Ioannes Myllius vſque in annum 1598.

1598. 99. 1600. Adamus Cunſch delectus peſte.

Anno

Anno 1601. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Io. Frölichius.
Ab anno
1608. Ego M. Dauid Praetorius haereo.
Vſque ad annum 1601. tantum temporis iam expleui, quantum alii tredecim.

3) Obſeruationes varii generis proſtant in Ephemeridibus, Calendariis dictis, Dauidis Frölichii, Aſtronomi Pannonii, ab anno 1623. ad annum 1640. in 4. Vratislauiae vſibus Scepuſiorum et in primis Kesmarkienſium publicatis:

a) *De Parelio et Cruce in Luna die* 6. *Februar. anno* 1621. *Kesmarkini in Hungaria obſeruatis.* Legitur ſcilicet in Diario an. 1623. menſe Februar.

b) *De Cataclyſmo Kesmarkienſi, anno* 1619. *die* 29. *Iun. orto ex immodica aquarum ex Carpato delabentium mole, et Ciuitatem cum inſigni incolarum damno inundante.* Ibidem menſe Iunio.

c) *De Cataclyſmo Scepuſienſi, anno* 1617. 25. *Iul. orto, in quo non modo homines, ſed et reliqua animalia ſuffocata multa, pontes vbique disiecti, et meſſis ſpem Ciuium fruſtrata.* Ibid. Menſe Iul.

d) *De Eluuione Aquarum anno* 1622. *die* 22. *Aug. territorium Kesmarkienſe cooperienti.* Ibid. Menſ. Aug.

e) *De morbis et mortibus puerorum, et reliquorum hominum in primis iuuenum ex immodico fructuum horaeorum eſu Kesmarkini an.*

 1622.

1622. *coortis.* Ibid. in Prognoſtico Aſtrologico cap. VI.

f) *Deſcriptio inauditi cataclyſmi, Francofurti ad Oderam die Philippi Iacobi, an.* 1622. *obſeruati* : damna Ciuibus illata optume Praetorium potuiſſe enumerare, eo quod praeſentem tanti periculi ſpectatorem egerit. Ibid. anno 1627. Menſe Nouembris et Decembris.

Praetorii obſeruationes has in Faſtis *Dauidis Frölichii* Kesmarkienſis conſignatas eſſe paullo ante monuimus, cuius quidem Vitam vna cum enumeratione Scriptorum, *Biograph. Medic. Hung. et Tranſilv. Centur.* I. *Art.* 25. iam nos dediſſe meminimus, quibus tamen haec merito adhuc adiici poſſe exiſtimamus: Eum anno 1600. in hanc mundi lucem prodiiſſe, academica ſtudia Francofurti ad Viadrum potiſſimum perſecutum fuiſſe, et duodecim fere annos integros in peregrinatione litteraria exegiſſe, et anno 1631. *M. Dauidi Praetorio* Noſtro, Caeſareopolitanae Scholae Rectori, in obeundo hoc munere ſucceſſiſſe, idque ſingulari ſua eruditione, labente tempore, a Ferdinando III, Imperatore, et Rege Noſtro promeruiſſe, vt honorifico Mathematici Caeſarei per Hungariam titulo ornaretur, qui ſe ipſum paſſim in Scriptis ſuis *Aſtrophili*, *Aſtronomi*, *Philiatri*, *Medici*, *Mathematicique* inſigniuit nominibus. Signantes hos tempora Faſtos, *Calendaria* vulgo vocamus, vno iſthoc, quod tenemus, volumine

mine contentos Frölichius vir vtique doctus, et Patriae commodus, ab anno 1623. quo primum iu lucem prodire coeperunt, quum adhuc in Academia Viadrina ſtudiorum cauſa commoraretur, typis Vratislauienſibus in 4. vulgauit vſque ad annum 1640. quo deſiiſſe videtur, adſeruari interim volumen hoc faſtorum ob id potiſſimum dignum iudicauerim, quod eodem illo exemplari Frölichius ipſe vſus fuerit, ac in margine manu ſua eventus varios, res in primis proprias, quamvis nonnunquam exiles ſatis adnotauerit. Maximopere praeterea volumen hoc eo ſe nomine potiſſimum commendare videtur, quod talia rerum ſui temporis diſperſa contineat fragmenta, res Scepuſii, immo et patrias quodam modo illuſtrantia, quae alibi vix ac ne vix quidem inueneris. Iuuabit interim virorum nonnullorum bene de Patria meritorum nomina, quibus Faſtos ſuos Auctor vertente quouis anno inſcripſerat, non niſi verborum tenus commemorare: *Stephanus Toekely* Dominus Kayſzrmarckenſis; *Catharina Brandenburgica* Princeps Tranſylvaniae; *Georgius Rüel*, Phil. et Med. Doctor, Lib. R. que Ciuitatis Montanae Neoſolienſis Senator, et rei metallice apud Schemnicienſes Inſpector; *M. Petrus Zabler*, Leutſchovienſis Paſtor, ſuperattendens, Fraternitatis XXIV. Regal. Senior; *Georgius Iudex*, Philoſ. et vtriusque Medicinae Doctor, Lib. et Reg. Ciuit. Eperies Phyſicus ordinarius,

nec non per Tranſyluaniam et Hungariam Practicus dexterrimus celeberrimusque; *Iohannes Meletern*, XIII. Reg. Oppid. Scepuſ. Comes; ſed non vacat Iudicum et Senatorum, qui Ciuitatibus Késmarkienſi, Elbingenſi, Leutſchouienſi, Schemnitzienſi, Roſenauienſi, Caſchouienſi, Thorunenſi, Eperieſienſi, et Curatorum ſingulorum, qui variis Hungariae Metallifodinis adminiſtrandis praefecti ſunt, nomina ex ordine recitare. Verum debito Patriae amore exſtimulatus, temperare mihi non poſſum, quin quaedam Frölichii Noſtri verba in Prognoſtico Aſtrologo Phyſico cap. IV. Calendario an. 1634. adſuto, relata, hic referam: *Johannes Honterus Euangeliſta ille Tranſiluanorum, et Paſtor quondam Coronenſis, hat eine beſondere Luſt an den ſtudiis Mathematicis Aſtronomicis und Geographicis gehabt, dahero in Aratum Aſtron. einen Commentarium hat ausgehen laſſen, wie denn auch Rudimenta Cosmographica, mit ſeinen kurtzbegriffenen Landtaffeln, die er ſelbſten mit ſeiner eigenen Fauſt ins Holtz ſauber, ſubtil und künſtlich gegraben, welcher Holtzſchnitt bey hundert Iahren hero noch biſz dato in der Cronſtädtiſchen Buchdruckerey verhanden, und ich denſelben mit meinen Augen nur vor 3. Iahren nicht ohne Verwunderung geſehen, und unter vielen andern vornehmen Siebenbürgiſchen Antiquitäten mir wohl notiret hab.* Ex his euidentiſſime perſpicitur *Io. Honterum*, Tranſiluanum, *Rudimenta* ſua *Cosmogra-*

graphica, typo deſtinata, elegantiſſimis *Tabulis Geographicis*, iam circa annum 1534. manu ſua affabrè ligno inciſis, illuſtrauiſſe, quas hodiedum in Officina Typographica Seuleria, ex Honterianae reliquiis inſtaurata, adſeruari certo intelleximus. Quis, quaeſo, in Eruditorum Republica hanc Hungariae litteratae gloriam, haud reuera vulgarem, Genti Tranſiluanorum abiudicauerit? Quantum praeterea in Litteraria quoque non modo ſed et ſanctiori etiam rep. inter Tranſilvanos Io. Honterus hic praeſtiterit, id Reverendiſſ. Ioſ. Benkö in Tranſiluania nondum orbi cognita Tom. II. pagg. 125. 351. et 595. recentiſſime prae ceteris omnium prolixiſſime enarrauit. Sed ouum ouo non eſt ſimilius, quam fuerat Honterus Tranſiluaniae Benedicto Abadyo in Hungaria, qui aeque ac ille et Miniſtrum Verbi D. agebat ſollertiſſimum, et rem typographicam procurabat diligentiſſime: poſteaquam enim Naeoneſi, ſeu Viſzigethini, oppido Comitatus Simeghienſis ex officina ſua typographica liberali Thomae Nádasdi Regni Hung. Palatini munificentia excitata Inſtrumentum Noui Foederis anno 1541. in 8. Plagul. 4. Alph. 2. foras emiſiſſet, ad audiendum Lutherum, teſte Petro Monedulato *De Homine magno illo in Natura miraculo*, Vittebergam commigrauit, et ſuſceptis mox ibidem ordinibus ſacris, anno 1544. in Hungariam ad obeunda Sacri Miniſterii munera reuocatus, do-

mum reuertit: nam in MScto Codice I. in 4. quod in Ciuico et parochiali Templo Vittebergenſi adſeruatur, ad annum 1544. decurrentem, ſequentia leguntur: *Bened. Dinper Abadius aus Hungarn aus dieſer Univerſität beruffen in Predigtamt in Hungarn.* In *Abadiana* hac Noui Teſtamenti editione id vel maxime memorabile eſt, quod ea omnes Noui Foederis Libros Hungarica conſuetudine donatos complexa omnium primum vno ſimul volumine exhibuerit Populo Hungarico legendos: *Peſtiana* enim a Gabriele Peſti adornata, et Viennae anno 1536. cum Gratia et Priuilegio Romanae Regiae Maieſtatis procurata, non niſi quatuor Euangeliſtas in hungaricum translatos exhibet, *Komiatiana* vero vnice D. Paulli Epiſtolas ſiſtit: et quod iam litteratis popularibus noſtris ſciendum eſt, hanc Epiſtolarum D. Paulli Apoſtoli translationem hungaricam, Catharinae Frangepaniae, vxoris viduae Petri Peréni iuſſu per Benedictum Komiáti, Aulae alumnum factam, et Cracouiae anno 1532. typis impreſſam eſſe Librum inter Hungaros omnium primum, qui typorum beneficio lingua vernacula vnquam editus eſt: quod contra Albert. Molnárium, et Matth. Belium nos verbo monuiſſe ſufficiat, quorum ille in Grammatica ſua Hungarica *Chronicon Mundi Hungariae* a St. Székelyio Cracov. anno 1558. hic vero in Vetere Litteratura Hunno-Scythyca *Codicem Librorum Noui Foederis* a Io.

Silue-

Digitized by Google

Silueſtro translatam, Ferdinandi I. filiis, Maximiliano et Ferdinando dedicatum, atque Abadii opera Uj-Szigethini anno 1541. impreſſos, perperam adſeruerunt eſſe Libros Hungarico idiomate omnium primo typis vulgatos.

ARTICVLVS XXXIX.

Raymann (*Ioannes Adamus*) Raymannus hic Medicus noſter Patre, *Ioanne Raymanno*, pharmacopola Eperieſienſi non incelebri, matre vero *Eliſabetha Roth* de Pongyalak, nobili orta genere, et poſt inita vota ſecunda *Samuelis Willichii* aeque loci eiusdem apothecarii coniuge, itaque non *Adamo Raymanno*, conſummatiſſimo fori vtriusque aeuo ſuo in Hungaria Aduocato, vt alibi nos, idque perperam, adſeruiſſe meminimus, progenitus eſt anno Seculi ſuperioris nonageſimo. Summos Eum ab ordine Medicorum in Academia Lugduno-Batava anno 1712. honores reportaſſe, Ciuitatis non modo Eperieſienſis, ſed Comitatus quoque Saaroſſienſis ordinarium egiſſe Medicum, laborioſiſſimum quoque Academiae S. R. I. Natur. Curioſor. ſodalem ſub *Ariſtophanis I.* agnomine ſe exhibuiſſe Biograph. Med. Hungar. et Tranſilv. Centur. I. artic. 72. pluribus verbis pro inſtituti noſtri ratione iam enarrauimus. Aſt ante biennium, quam naturae debitum anno 1770. fati neceſſitate compulſus octuagenario maior exſolueret, in eam nationis noſtrae hunc Hip-

Digitized by Google

pocratem, mirabilem alienatae mentis incidiſſe calamitatem, diu protractam, vt firmis adhuc viribus, ſe mortuum reuera eſſe et crederet, et ſollemni pompa efferri maximopere cuperet, Rev. D. *Ioannes Kriebel*, coet. Germ. Aug. Confeſſ. V. D. Miniſter ſenior, Vir ab omni diuinarum humanarumque rerum ſcientia inſtructiſſimus, magno noſtro dolore nuper e viuentium numero exemptus, in Ephemeridibus litterariis Vindobonenſibus anno 1774. partic. XII. cum publico communicauit.

OPERA.

1) Diſſert. inaug. medica. *De praecipuis diuerſitatis morborum fundamentis et curatione diverſa*, Lugd. Batav. anno 1712. in 4. pl. 3. Item *Obſeruationes medicae Commercio Litterario Norico*, nec non *Obſeruationes ſimiles Ephemeridibus Academ. Imper. Nat. CC.* paſſim interſertae, ſingulae ex ordine opera noſtra l. c. iam ſunt enumeratae.

2) Obſeruationum in Annales Phyſico-Medicas Vratislauienſes illatarum vero Series hic iam exhibenda integra talis eſt:

1) *Hiſtoria medica Variolarum Eperieſini in ſuperiore Hungaria epidemice anno 1717. graſſatarum.* Tentamine 1. pag. 31. ſeq.

2) *Deſcriptio fulminis, quod d. 17. Iulii an. 1717. notabilia Turri Eperieſienſi impreſſit ſtigmata.* Ibidem pag. 64.

3) *Hi-*

3) *Hiſtoria Monſtri, die 4. Iulii anno 1717. Eperieſini in lucem editi.* Ibidem pag. 85.
4) *Hiſtoria et cura febris bilioſae, menſe Septembre anno* 1717. *obſeruatae.* Ibidem pag. 36.
5) *Hiſtoria morbi melancholici.* Tentam. II. pag. 297.
6) *De Ventis ſtatis vernalibus et inſolitis in Eperieſ.* Tentam. III. pag. 813.
7) *Phymatis hepatici purulenti hiſtoria.* Tentam. IV. pag. 1194.
8) *Hiſtorica expoſitio proventuum terrae in Hungaria ſuperiore anno* 1718. Tentam. V. pag. 1489. ſeqq.
9) *Hiſtorica Relatio de Vindemia ſuperioris Hungariae anno* 1718. *obtenta.* Tentam. VI. pag. 1718. ſeq.
10) *De Fallacia auri vegetabilis vitium in Hungaria.* Ibid. pag. 1733.
11) *Hiſtoria et explicatio medica apoplexiae in Eperieſ. anno* 1719. *epidemice ſaeuientis.* Tentam. VII. pag. 41. ſeq.
12) *Hiſtoria vermium inteſtinalium hieme anno* 1719. *in pueris obſeruatorum.* Ibidem pag. 338. ſeqq.
13) *De purpura vernali in Iulio anno* 1719. *Eperieſini obſeruata.* Tentam. VIII. pag. 672.
14) *De enixo foetu mortuo, ſubſecuturis puerperae lochiis, et ſignis vitalitatis foetus et mortis in vtero.* Ibidem pag. 728. ſeqq.

15) *Hi-*

15) *Hiſtoria Dyſenteriae epidemicae M. Aug. in Eperies.* An. 1719, Tentam. IX. pag. 183.

16) *Diſquiſitio variolarum Menſe Octobre et ſequentibus an.* 1719. *Eperieſini graſſatarum* Tentam. X. pag. 434.

17) *De Morbis oculorum Eperieſini an.* 1720. *frequentibas.* Tentam. XI. pag. 298.

18) *De purgante foecum cereuiſiae recentis virtute.* Tentam. XII. pag. 669.

19) *Notitia praeliminaris de edendo Medico ſuo clinico ſub titulo: Medicus clinicus, ſeu Collectiones praedictionum et praenotionum Hippocraticarum, quarum ope Medicus ad lectum aegri morbos dignoſcere et eorum exitum praedicere valeat.* Tentam. XII. pag. 682. Non autem in litterariam lucem Librum promiſſum, qui futurus fuiſſet maximae vtilitatis, vmquam prodiiſſe. *)

20) *Hi-*

*) Praeter Raymannum hunc plures omnino reperti ſunt e populariorum noſtrorum numero, qui rempublicam Patriae litterariam vtilibus huiuscemodi beare voluerunt opuſculis medicis: de *Io. Dan. Perlitzio* conſtat ex Franciſci Comitis Roncalli Medicina Europaea, eum ſcripſiſſe Tractatum medicum de climate Hungariae eiusque effectibus ex habitu et indole coeli, aëris, aquarum et locorum in corpore incolarum Hungariae reſultantibus. *Ioannes Hambach* Lommium rediuiuum popularium genio adtemperatum. *Andr. Loewius et Io. Iuſtus Torkos* Obſeruationes Medicinales Hungariae *Io. Iacobus Neuholdius* Medicum Hungaricum, ſeu Tra-

ctatum

20) *Hiſtoria febris bilioſae Eperieſini Menſ. Auguſt. et Sept. an.* 1720. *graſſantium.* Tentam. XIV. pag. 378.

21) *De prouentu Vini Hungariae inferioris.* An. 1720. Ibidem pag. 415.

22) *De Rheumatiſmis et doloribus artuum arthriticis Eperieſini in Hungaria an.* 1720. *ſequentibus.* Ibidem pag. 504.

23) *Meteorologicae conſiderationes Menſ. Ianuar. an.* 1721. Tentam. XV. pag. 26.

24) *De foecunditate vteri humani in Hungaria obſeruata.* Ibidem. pag. 189.

25) *De Halone ſolari, die* 13. *Maii an.* 1721. *viſo.* Tentam. XVI. pag. 509.

26) *Hiſtoria infantis, Hydrocephalo interno defuncti.* Ibidem pag. 641.

27) *Hiſtoria Variolarum, Eperieſini anno* 1721. *epidemice graſſatarum, earumque origine, curatione per vomitum, et inoculatione.* Tentam. XVII. pag. 136. et 246.

28) *De-*

---

etatum medicum de morbis Hungarorum propriis, eorumque cura genuina, aliis vero falſa imputatis. *Carolus Rayger*, Senior, Ephemerides de endemiis et epidemiis Hungariae, alii; aſt quod dolendum eſt maximopere, neſcio qua fatorum iniquitate impeditum eſt, quod eiusmodi bonae frugis libelli in litterariam lucem e tenebris eluctari nequiuerint, praeter ſolas *Paulli Spindleri* Obſeruationes Hung. medicinales, opera *Car. Raygeri* collectas et Francof. an. 1691. in 4. publicatas; quibus ſi forte addideris Tob. Köberi obſeruationum medicarum caſtrenſium Hungaricarum

28) *Deſcriptio Vindemiae ſuperioris Hungariae an.* 1721. Tentam. XVIII. pag. 473.

29) *Hiſtoria morborum epidemiorum an.* 1722. *Menſ. Februar. et Mart. graſſatorum.* Tentam. XIX. pag. 147.

30) *Hi-*

---

rum Decades. Francof. an. 1606. in 8. editas. Verum adfulſit ſpes non vana fore, vt quod vniuerſi pridem auide expetieramus, tandem voto noſtro propediem abunde potiamur: exercitatiſſimus enim Patriae Medicus, *Samuel Gloſius*, qui Peſtini in magno hominum, Procerum in primis Regni, concurſu feliciter medicinam facit hodie, librum omni laude dignum haud ita pridem ſcripto tenus nobis promiſit, vbi neceſſariis ſuffultus fuerit adminuculis, elucubrandum, et ſub titulo *Medici Pannonii* edendum, ſeu *Otia Medica Pannoniae*, ſequentibus capitum argumentis abſoluenda: 1) *De initiis medicinae in Hungaria.* 2) *De medicina Hungarorum indigena.* 3) *De morbis eorum tuto et iucunde curandis* 4) *De morborum Hungariae popularium remediis inquilinis.* 5) *De Medicorum Hungarorum dignitate.* 6) *De erroribus Hungarorum circa Medicos.* 7) *De erroribus eorum in Medicina et diaeta.* 8) *De victu Hungarorum domeſtico, et potu eorum conſueto.* 9) *De praeſtantia aquarum mineralium in Hungaria, de cauſſis diutini earum neglectus, et quae? quando? Spadanis aut Selteranis, eadem indicatione ſalutari conſilio ſubſtitui poſſint?* 10) *Remedia domeſtica probatae fidei.* 11) *De neceſſariis omni aetati generalibus ad conſeruationem ualetudinis Regulis.* 12) *De recto fumi, et pulueris Nicotianae vſu, et formidando abuſu.* Vt eruditiſſimus Auctor in elaborando hoc eximiae vtilitatis opere Medico ſummum Numen experiatur futurum ſibi propitium aequo precamur animo.

Digitized by Google

30) *Hiſtoria catarrhi ſuffocatiui, Menſ. Februar. an.* 1722. Ibidem pag. 150. et 247.

31) *Depoſitio medico-legalis ratione veneficii imputati.* Tentam. XX. pag. 623.

32) *De incurabili et chronica alui obſtructione.* Tentam. XXI. pag. 96.

33) *Hiſtoria vindemiarum ſuperioris Hungariae* an. 1722. Tent. XXII. pag. 403.

34) *De venti Borealis et Auſtralis, diuerſa in Mercurium Barometrorum efficacia, eiusque cauſſa genuina.* Ibidem pag. 543.

35) *De canibus rabie correpiis in Hungaria, eorumque cura ſpecifica.* Tentam. XXIII. pag. 42. et 110.

36) *Renunciatio de foetu obſtetricis culpa in vtero mortuo.* Ibidem pag. 218.

37) *De excreſcentia ranulae ſub lingua ſpongioſa, ſectione curata.* Tent. XXIV. pag. 453.

38) *Hiſtorica enarratio febris catarrhalis ſcarlatinae, Eperieſini in Hung. Menſ. Iul. et ſequentibus an.* 1723. *graſſatae.* Tentam. XXV. pag. 42. et Tentam. XXVI. pag. 615.

39) *Hiſtoriae phymatis purulenti hepatici continuatio.* Ibidem pag. 101.

40) *De prouentibus Terrae in ſuperiore Hungaria, et vini in primis Hungarici an.* 1723 Tentam. XXVI. pag. 387. ſeq.

41) *De*

41) *De Dyſenteriis Menſ. Ianuar. an.* 1724. *obſeruatis in Eperies.* Tentam. XXVII. pag. 41.

42) *De Iride lunari Menſ. Ianuar. an.* 1724. *obſeruata.* Tentam. XXVII. pag. 69.

43) *De euporiſto Colicae remedio.* Ibidem pag. 204.

44) *De doloribus rheumaticis ſeroſis, eorumque per veſicatoria curatione.* Tent. XXVIII. pag. 389.

45) *De procreatione vini an.* 1724. Tentam. XXX. pag. 396.

46) *De inſolite craſſa Populo nigra in Comitatu Zemplinienſi.* Ibid. pag. 410.

47) *De aphonia verminoſa ſpasmodica.* Ibid. pag. 423.

48) *De effectibus pulueris Hellebori albi per incuriam deglutiti.* Ibid. pag. 535.

49) *De iudicatione Cephaleae inueteratae per abſceſſus.* Ibid. pag. 638.

50) *De luxatione oſſis femoris ex longiori dolore iſchiadico.* Tentam. XXXI. pag. 85.

51) *De morbillis Eperieſini an.* 1725. *in hieme graſſantibus.* Ibid. pag. 259.

52) *De ſalutari vomitoriorum vſu in pleuritide.* Ibid. pag. 294.

53) *De morbis et in primis febribus catarrhalibus benignis, Menſ. Iul. et ſequentibus an.* 1725. *occurrentibus.* Tentam. XIII. pag. 41. et Tent. XXXV. pag. 171. et 320.

54) *De vtilitate uenae ſectionis in grauidis.* Ibid. pag. 103.

55) *Hi-*

55) *Hiſtoria procreationis vini in ſuperiore Hungaria an.* 1725. Tentam. XXXIV. pag. 412.

56) *De Sarcomphalo, ſeu excreſcentia vmbilici fungoſa.* Tentam. XXXVI. pag. 467. et Tentam. XXXVIII. pag. 578.

57) *De morbis hiemalibus, et in primis in tuſſi conuulſiua infantum an.* 1726. Tentam. XXXV. pag. 309. et 312.

58) *De intenſitate frigoris, orta e nimia niuium copia an.* 1726. *in ſuperiore Hungaria obſeruata.* Ibid. pag 336.

59) *De accenſo aëre, contento in ſalis fodina Soouarienſi in Hungaria.* Tentam. XXXVI. pag. 472. Repetita apud Brückmannum in Magnal. Dei in locis ſubterran. Part. I. pag. 1006.

60) *De conſtitutione aeſtatis epidemia in Eperies an.* 1726. Tent. XXXVII. pag. 312.

61) *De ſterilitate an.* 1726. *in ſuperiore Hungaria, et procreatione vini anni eiusdem.* Tentam. XXXVIII. pag. 422. et 423.

62) *Obſeruatio de flore ſalis in fodinis ſoouarienſibus repertae.* Tent. VII. pag. 179.

63) *Obſeruationes Barometricae, thermometricae, et tempeſtatum diariae ab an.* 1717. *ad an.* 1726. *ſingulis ſeperatim Tentaminibus leguntur inſertae.*

3) Obſeruationes nonnullae Miſcellaneis Medico-mathematicis Büchneri intertextae commodiori et loco et tempore alias occurrent recenſendae.

ARTICVLVS XL.

S'AMBVKY (*vel Sambéky*, *Sámboky*, *Latine Sambucus*, *Ioannes*) Antiquiſſima Comitatus Poſonienſis vrbe, Tyrnauiae, octauo Kalendas Quintilis anno 1531. felici omine in hanc mundi lucem editus eſt. Patrem *Petrum Sambuky*, qui nomen hoc ab antiqua arce, Regum ſeceſſibus olim frequentata, mutuatus, Tyrnauienſem incolam nactus eſt vetere nobilique familia ortum, quod ipſe inter reliqua *Emblemata*, an. 1576. edita aperte indigitat illo, quod pag. 173. ſub imagine elephantis, arbore, cui innixus quieuerat, ſuccifae ac ruentis, *Petro Sambuky* parenti ſuo ſub ἐπιγραφῇ: *Nusquam tuta fides*, ad hunc modum inſcripſerat:

Dum rigidos artus elephas, dum membra quiete
Subleuat, aſſuetis nititur arboribus:
Quas vbi venator didicit, ſuccidit ab imo,
Paulatim vt recubans, belua mole ruat.
Tam leuiter capitur duri qui in praelia Martis
Arma, viros, turrim, tergore vectat opes.
Nusquam tuta fides, nimium ne crede quieti,
Saepius et tutis decipiere locis.
Hippomenes pomis Schoëneïda vicit amatam,
Sic Peliam Natis Colchis acerba necat.
Sic nos decipiunt, dedimus quibus omnia noſtra;
Saltem conantur deficiente fide.

Pater dum puerum incredibili prorſus litterarum amore flagrare certis animaduerteret indiciis,

ciis, idoneis praeceptoribus erudiendum tradendo, nec curis nec impenſis quidquam pepercit vllis, tanto ille mox ſtudio tantaque cupiditate litteris diſcendis operam nauauit, vt abſoluto breuiſſimo temporis interuallo, ſumma cum laude et praeceptorum conſenſu ex diſciplina ſcholaſtica dimitteretur tranſiturus in exterarum nationum mores et inſtituta; hoc fine primum quoque Vittebergam an. 1545. adiit, et nomen Albo Vniuerſitatis Rectore magnif. Melchiore Egidio M. Doctore inſeruit, teſte P. Laſcouio Monedulato in praefat. de Homine, magno in natura miraculo. Batauos inde lapſu temporis, Gallos denique et Italos ſalutauit, vt quod in vnaquaque gente laudatiſſimum cognouerat, prorſus imbiberet, atque iis potiſſimum imbueretur artibus, quarum hic illicue magiſtros reperiebat probatiſſimos. Abſoluta viginti et amplius annorum peregrinatione litteraria, eam ob comparatam diffuſam amplamque eruditionem ſibi conflauit nominis celebritatem, vt praeter ceteros vnus cum litteris humanitatem, Graeca cum Latinis, antiquae philoſophiae ſcientiam cum elegantia doctrinae coniunxerit, Medicus elegans, Poëta ſcitus, antiquarius ſolers exſtiterit. Hac eruditionis laude et gloria id quoque merito conſecutus, vt a D. Maximiliano et eius filio Rudolpho vtroque II. Caeſſ. Augg. ad Conſiliarii, Hiſtorici, et Medici munus eueheretur addito honorifico Comitis Palatini axiomate. Maximam tamen in primis gloriam cum pro-

priis ſcriptis elucubrandis, tum Auctoribus veteribus ſumma induſtria recolligendis, et quaſi a mortuis excitandis in vniuerſo orbe litterato adeptus eſt adeoquidem, vt Monſtrum eruditionis merito ſuo adpellari potuerit. Quantam cum viris ſui temporis eruditis arctiſſimam coluerit familiaritatem, teſtes ſunt frequentes ad eos exaratae litterae et poëmata, aliquos ſaltim, cum omnes non liceat, recenſebimus hoc ordine Amicos: *Phil. Apianus, Hier. Wolſius, Hamelius, Sophianus, Andr. Sbardellatus, Ge. Draskouith, Fr. Forgách, Ant. Verancius, Lambinus, Fulv. Vrſinus, Lipſius, Barth. Marlianus, Boſchius, Razarius, Io. Auratus, Lazius, Comes a Salmis, Arlenius, Robortellus, Golczius, P. Manucius, Cruceius, Io. Ambius, Turnebus, Memmius, Ligorius, Iunius, Sigonius, Aicholtz, Cluſius, Fumanus, Maphaeus, Pignaeus, Statius, Iſtuánfi, P. Lotichius, Laurinus, Muretus, Ferrarius, Io. Liſtius, Natalis de Comitibus, Ramus, Victorius, Palearius, Mich. Brutus, Io. Grolierus, Poſtius, Sig. Torda, Nic. Olah* etc. etc. Fulmine tactus apoplectico viuere deſiit Viennae Auſtria Id. Iun. an. 1584. aetat. 53. funus ibidem ſolemni pompa elatum, et hoc honoratum epitaphio:

Sambucus linguas coluit qui doctus, et artes,
Cui natale fuit Pannonis ora ſolum:
Caeſaris Hiſtoricus praemiſſi temporis acta,
Et dignos ſcripſit cognitione libros.

Aonios

Aonios inter meruit quoque nomen Olores,
Carmine iucundum qui cecinere melos.
Ante diem quamuis Muſis plorantibus ipſum
E medio tulerit mortis auara manus:
Ipſe tamen supereſt meliori parte ſuperſtes,
In coelis anima, nomine clarus humo.
Nil in ſolertes Muſarum iuris alumnos
Mors habet: a Muſis doctus obire nequit.

Obiit. Id. Iun. MDLXXXIV. Aetat. LIII.

Quam diuerſa lucubrationibus ſuis promeruit Iudicia eruditorum, recenſet potiora Thomas Pope Blount in Cenſura celebrior. Authorum pag. 782. ſeq. Ioan. Bocatius iter faciens per Tirnauiam an. 1592. ita de Sambuco, eiusque Patria cecinit Hungaridum Libr. II. pag. 148. edit. Bartfae an. 1599. in 8.

Vrbs ea parua quidem, ſi recte cerno, nec arces
Praecipuas inter nomen habere meres:
Aſt vnum propter Sambucum gloria ſumma es,
Hoc tu Pannonibus, quod ſua Roma ſtatis.

Vitam ſcriptis plures conſignarunt, inter eos eminent Ant. Teiſſier dans les eloges des Savans; Hier. Ghilinius in Theatro Litteratorum, Io. Iac. Boiſſardus in Iconibus Ill. Virorum Francof. an. 1597. Tom. III. pag. 76. vbi ſub effigie Sambuci Num. XII. tale legitur:

Excitat et ſanos ſcriptis Sambucus et aegros
Reſtituit medica maximus arte manu.

Digitized by Google

Nicol. Reuſner in Iconibus Viror. Illuſtr. Argent. an. 1590. pag. 394. ſub effigie diſtichon hoc adſcriptum viſitur:

Caeſaris Hiſtoricus, Medicus bonus, atque poëta,
Viuo meis, ueterum viuus et ipſe libris.

Collegit idem ibidem Cratonis, Poſthii, Fabritii, Althani, Bezae, Brismanni, Lauterbachii, Calamini elogia Noſtri verſibus expreſſa. *David Czvittinger* in Specim. Hungar. Litter. vitam dedit, et ſcripta ex Geſnero, vt Boiſſardus, enumerauit in Artic. quem recentiſſime eruditiſſimus Vir *Alex. Horanyius in Memor. Hungar.* Tom. III. ita fideliter totum exſcripſit, vt ne verbulum quidem immutauerit. *Matthias Belius* in Notit. Hungar. Nov. Tom. II. pag. 89. ſeq. Lectu digna ſunt, quae *Collectores Ephemerid. litterar. Vindobonenſ.* Partic. XXII. XXIII. XXIV. et XXVI. de Sambuci fatis anno 1776. publicarunt. Bibliothecam, quam habuit ingenti Codicum MSctorum et impreſſorum, vt et numiſmatum, ac ſtatuarum, aliorumque huius generis monumentorum numero refertiſſimam, in Auguſtiſſimam Bibliothecam Caeſar. Vindobonenſem temporibus Hugonis Blotii Bibliothecarii a morte Sambuci illatam eſſe, immo Eo adhuc ſuperſtite, iuſſu Imp. Rudolphi II. vna vice quingentos triginta Libros cum vetuſta quadam ſtatua, quatuor mille et quingentis florenis, ſ. ter mille imperialibus emtos eſſe Bibliothecae inferendos teſtatur *Reimannus* Bibliothecae Acroamat. pag. 7. 8.

8. ex Commentar. Lambecii pag. 86. 87. vbi vxoris liberorum quoque mentio iniicitur. Qui quantiue fuerint pretioſiſſimi MScti illi Codices, a Sambuco poſſeſſi, ordine recenſet *Lambecius* in ſuis Commentariis, et huius epitomator *Reimannus* in laudata ſtatim Bibliotheca, ſ. Compendio Lambeciano. Commentariorum ſcilicet Lambecii Libr. I. Part. II. inter LVII. Codices Msct. Graec. Hiſt. profan. numerantur a Sambuco poſſeſſi XV. In Libr. II. Part. II. recenſentur Sambuciani LXXI. Lib. III. inter C. Mſc. Theol. Graec. reperiuntur Sambuco adſcripti XXV. Libro IV. inter C. codd. Mſc. Theol. Graec. SS. Patrum aliorumque E. S. a Sec. IV. ad VIII. ſunt XLIII. Libro V. inter CXXXVII. eiusd. argumenti a Sec. VIII. ad XVI. XLVI. Libro VI. Part. I. inter XVIII. Mſc. Iurid. Graecos exſtant Sambuciani V. Part. II. inter LII. Mſc. Med. Chemic. ſunt VI. Libro VII. inter CXLVI. Mſc. Philoſ. Graec. LX. Libr. VIII. Part. I. inter Mſc. Hiſtor. eccleſ. Graec. LXIX. ſunt XXIX. Partem II. a Neſſelio Bibliothecario, primum editam taedet iam euoluere. Libro hoc VIII. Lambeciano Icon Io. Sambuci aeri inciſa pag. 279. hoc decorata ſubtus epigrammate viſitur:

Te, qui praeclaros Medicos depingis, et ornas
Quid fugit? et pectus, bibliotheca, labor.
Facta Ducum texis, ſcriptores vndique clauſos
Exquiris ſtudio, Graecia, Roma patet.

 Vul-

Digitized by Google

Vulgo graſſantes morbos, Anazarbea purgas,
Dii tribuant vitae tempora longa tuae.
Dii ciues vrbes qui te genuere parentes,
Pannoniam et foueant, nil minuantque dies.

Hanc ipſam Effigiem repetiit Dan. Neſſelius I. V. D. Conſiliarius et Bibliothecarius in Breuiario et ſupplemento Commentar. Lambec. edit. Vindob. an. 1690. eadem ſubnexa anonymi Elegia pag. 1. vna cum Imp. Leopoldi, et Matthiae Coruini, Regis Hung. Imaginibus. Reliquas Imagines collegit Moehſenius in Catalogo Iconum clariſſimorum Medicorum pag. 117. edit. Berol. an. 1771. in 4. Manu coaeva pictam ex Collect. Icon. S. Princ. Eugenii depromptam exhibuit Ill. Kollar Comment. Lambec. Lib. I. pag. 87. Addamus nouiſſime: *Sambokyum* a Leunclauio in Latina Annalium Glycae editione, Auguſtae Bibliothecae Praefectum perperam ſalutatum fuiſſe monuit *Reimannus* Bibliothecae Acroamat. pag. 9. aſt id verius eſſe, celeberrimo *Prayo* Noſtro docente *Annal. Reg. Hung.* Part. IV. in praefatione, Eum Bononiae Litteras humaniores cum inſigni auditorum concurſu annis pluſculis publice profeſſum fuiſſe, inde a Ferdinando I. circa an. 1556. *Aulae Regiae familiarem* cum annuo 50. floren. Hung. ſtipendio renunciatum, et ſic mox a Maximiliano, tandem Rudolpho Impp. aucto in maius Salario, archiatri et Hiſtorici Regii axiomate cohoneſtatum fuiſſe, ita Ephemeridibus litterariis Vindob.

vetu-

Digitized by Google

vetuſtorum documentorum fide nexis, haec I. c. referentibus. Cur, quaeſo, Indici Expurgatorio, Madriti an. 1667. impreſſo, inſertum legatur: *Io. Sambuci opera non permitti, niſi corrigantur?* an quia *Proteſtantium* forte coetui adgregatum fuiſſe crederetur? Sed faceſſant interim acerbae apud exteros de popularium noſtrorum inſcitia criminationes! Pudere omnino debuit *Oldenburgerum*, inſignem Hungarici nominis calumniatorem, quod *Sambucum*, illuſtre Patriae decus, in *Theſauro Rerumpublicarum* Part. IV. pag. 432. nobis ſurripere, ſed fruſtra, adlaborauerit; ſpicula in Nos uibrata laborioſus *Rotarides in Lineament. Hiſtor. litter. Hung. pag.* 42 egregie retudit. In matrimonio Noſtrum vixiſſe, Lambecii conſtat teſtimonio, qui dum Catalogum Librorum a Sambuco poſſeſſorum 2618. per Hug. Blotium, Bibliothecarium, in Auguſtam cum reliqua ſupellectili litteraria an. 1587. illatorum exhiberet, Vxoris uiduae, mox Sinnichio cuipiam nuptae, et liberorum Eius commeminit Commentarior. Lib. I. edit. Kollarianae pag. 86. 114.

OPERA.

1) *Icones ueterum et aliquot recentiorum Medicorum ac Philoſophorum cum encomiis tetraſtichis.* Antverp. an. 1574. in fol. Lambecius Commentar. Lib. VIII. refert exſtare in Bibliotheca Vindobon. primam hanc editio-

Digitized by Google

nem Maximiliano II. Kal. Ian. an. 1575. ſtrenae loco oblatam, et verſibus his manu propria ſignatam:

Mille Kalendarum uires, vegetamque ſalutem,
Conſilia, euentus, ſceptra quieta precor.
Nulla tuos artus labes offendat, in hoſtem
Sed potius firmet robur, alatque Deus.
Vota mouent coelum, PVER annuit ecce REDEMPTOR,
Quo nunquam melior prodiit orbe PVER.
Viue, uale longum, minimi memor eſto clientis,
Sambuci, qui aura nauigat vſque tua.
Haec ſimul vt placeat ſupplex tibi ſtrenula, Caeſar,
Commendans orat ſeque ſuosque dicat.

V. M. infimus ſubditus et clientulus Ioannes Sambucus. Liber hic LX. et amplius Iconibus, Apollinis puta, Aeſculapii, Hygieae, Chironis etc. e quam plurimis numis, ſtatuis, et membranis antiquis, quibus tamen, quod dolendum, haud indicatis, depromtis illuſtratus repetitus eſt praemiſſo vitae ſingulorum et ſcriptorum indiculo, additis ſub finem diuerſorum de eisdem encomiis, adiecta auctoris quoque, opera anonymi, effigie. Lugd. Bat. 1603. fol. Amſt. an. 1612 et 1615. fol. Moehſenii cenſuram de his editionibus videſis l. c. pag. 2018.

2) *Emblemata et aliquot Numi antiqui operis.* c. figg. Antv. an. 1564. 8. Maximiliano II. Imp. Hung. Regi nuncupata. Iterata ibidem an. 1566. 1569. 1576. in 8. pag. 22. item 1578. 8. Miſſis exteris amicis praecipuos

e

e numero popularium, quos ſuis cohoneſtauit poëmatibus, recenſebo: *Nic. Olahus*, *Andr. Sbardellatus*, *G. Draskovith*, *Fr. Forgáz*, *Ant. Verantius*, *Paulus Bornemiſza*, *Lazius*, *Io. Panithy*, *Nic. Iſtvánfy*, *I. Liſthius*, *Sig. Torda*, *Io. Sermeghi*, *Andr. Bathori*, *Ge. Hozzuthothi* etc. Digna relatu ſunt, quae in Adloquio ad Grolierum, de ſuis ſcripſit Numiſmatibus: *Per hoc triennium multis modis auxi ornauique Bibliothecam meam, maxime raris cumulaui, vt vel ſummis Cardinalibus Romae admirabiles, et per Italiam Principibus fuerint: praeſertim Otho hic aereus cum circo Hadriani, et Peſcennio, vnicus quod ſciam in Europa, doque operam etc.* *) Liquet

*) Vtrosque, Peſcenii ſcilicet et Othonis numos aereos, a Sambuco Noſtro poſſeſſos, illum Graeca hunc Latia notatos inſcriptione in Auguſtiſſimam Bibliothecam Vindobonenſem repoſitos fuiſſe, vero ſimiliter colligitur ex Lambecii Commentar. Lib. I. edit. Kollarianae pag. 167. et ſeq. Diuus enim Imp. Leopoldus Bibliothecario ſuo in Cimeliarchio Caeſareo praeſenti Lambecio duos numos Othonis aereos ob celeberrimam motam de iis controuerſiam an. 1663. contemplandos exhibuiſſe legitur, quorum tamen typos Conditores Cimelii Auſtriaci Vindobonenſis an. 1755. in fol. ſplendide vulgati edere neglexerunt, contenti Part. I. pag. CLXXIII. in ſyilabo Numorum Augg. ſecundae Formae haec vnice adſcribere: OTHONIS *forſan* — — — I. Vnicusne ergo ſaltim hodie in Auguſto Cimeliarchio proſtat Numus Othonis aereus, duo enim ſacris D. Leopoldi Imp. mani-

Digitized by Google

quet ex edito hoc opuſculo aetatem Sambuci Noſtri in ea incidiſſe tempora, quibus ſtudium Numiſmaticum in orbe litterato enatum eſt, dum *Lazius* Hiſtoriam Romanorum ex Numis compilat, *Cuſpinianus* tantae rei obſte-

---

manibus contrectati Lambecio oblati ſunt examinandi? fureſne litterarii venerabile hoc antiquitatis ſacrarium auſu nefario irrumpentes violauerunt? quemadmodum de I. P. Ludewigio Prof. Hallenſi in Hiſtor. Diplomat. Iur. Patronat. Reg. Hungar. pag. 55. merito conqueſtus nuper eſt Illuſtriſſ. Kollarius. Sed cur eruditiſſimi Cimelii Caeſarei Exhibitores τὸ *forſan* Othonis numo ſubiecerunt? dubitarunt *forſan* eum Othonis Numum eſſe, eo *forſan* indicio, quod Graeca *forſan* notatus ſit inſcriptione? vel quod eſſet *forſan* adulterinus, genuinae antiquitatis characteres, non ſatis *forſan* in promtu habentes? aut etiam quod *forſan* legerint apud Io. Vaillantium in Numiſmat. Imp. aere's Pariſ. an. 1697. edit. Part. I. pag. 129. monetae Othonis vocabulum INCERTA praefigi? quo tamen ille non niſi locum cuſi numiſmatis incertum eſſe indigitare voluerit: gratiſſimam profecto orbi litterato praeſtituri erant operam, ſi, omiſſis licet commentariis et explicationibus quibusuis, vel ſolam numiſmatis oppido rariſſimi faciem aeri inciſam nobis exhibuiſſent contemplandam. Nec tamen interim Numus hic Othonis aereus, a Sambuco rudi Minerua delineatus, cuius typum argenteus ille a Seb. Erizzo in Diſcorſo ſopra le Medagli de gli Antichi, edit. Venet. 1559. IV. pag. 119. expreſſus integre ſupplet, ita rarus eſt, vt vix ille, quemadmodum Sambucus voluit, in vniuerſa Europa a quoquam haberi queat: poſſedit Eum Chriſtina quoque Suecorum Regina

obſtetricatur, *du Choul* eleganti ſculptura glaciem frangit, *Strada* et *Sambucus Noſter* eruditae hic ipſe antiquitatis inſtaurator egregias ad illuſtrandam ſcientiam Numiſmaticam ſuas conferunt ſymbolas. *Morhoffius* vero in Polyhiſtore Lib. VII. cap. III. §pho 5. nec *Bezae* nec *Sambuci* emblemata ad artis praecepta plane formata eſſe dicit, quorum cenſura videri poterit apud *Maſenium in Speculo Imaginum veritatis occultae.*

3) *Io. Sambuci Liber de Panauthentia*, ſiue *Maieſtate Imperatoris et quorumdam praeiudicio*, ſiue *Donatione Conſtantiniana*; in qua Epiſtola euer-

---

Regina litteratiſſima in Theſauro Numorum a Franc. Gottifredo collecto, et a Petro Santes Bartolo in Tabulas aeneas relato, quarum LXIII. Sigeb. Havercampius Hagae Comit. anno 1742. in fol. ſed, quod dolendum, inuidia temporis, ommiſſo Othonis nummo, nitide publicauerat: at Car. Patinus eundem, e memorato Chriſtinae Reginae Theſauro depromptum, ante Hunc inter Numiſmata Imperator. Roman. ex aere mediae et infimae formae, Argent. an. 1671. in fol. edit. pag. 130. cum tribus aliis graece et duobus latine loquentibus Othonis Numis euulgauerat. Alios praeterea duos Coloniarum Graecos, Egypto aduectos, idem Patinus in Suetonio ſuo Baſileae an. 1675. in 4. impreſſo, pag. 363. exhibuit contemplandos. Io. Vaillant in Numiſmat. Impp. Auguſtar. et Caeſar. e populis Rom. dition. graece loquentibus Amſtel. an. 1700. in fol. edit. pag. 19. Numos Othonis aeneos Graecos XIII. recenſet, quibus in Appendice Iconum ad calcem Libri reiecta

Digitized by Google

euertit, teſte Gentiloto, factitiam illam Donationem Conſtantini iisdem rationibus et argumentis, quae ab aliis adferuntur, et nota ſunt. Imp. Maximiliano II. an. 1571. d. 22. Iul. oblatus extat in Biblioth. Vindobon. De libro hoc erudite pro more ſuo disſerit Illuſtr. Kollarius in Supplem. ad Comment. ad Lambec. Lib. I. pag. 593. qui ibid. pag. 500. et 522. editum iri promiſit olim in Syntagmate Rer. Germanicarum, quod Lambecius inchoauit, Neſſelius continuare, et ſucceſſores abſoluere iam debebant.

4) *Io.*

iecta XIVtum quoque adiecit. Idem in Numiſmat. aereis Impp. Auguſtar. et Caeſar, in Colon. municip. et vrbibus iure Latio donatis Pariſ. an. 1697. in fol. edit. Part. I. pag. 129. ex Octauio Strada et Patino mutuatum vnum inſcriptione Latina ſignatum adducit, quem mediae formae Othonis numum editor Vaillantii anonymus in numiſmat. Impp. Roman. praeſtant. Rom. an. 1743. in 4. edit. Tom. I. pag. 26. repetiit. *Chriſt. Sig. Liebe* quoque in *Gotha* ſua *Numaria* Amſtel. an. 1730. in fol. edit. Cap. VIII. §. 2. pag. 273. et Cap. IX. §. 2. pag. 297. duos in Gaza Fridericiana 1. et 2. magnitudinis Numos Othonis aereos exſtare commeminit. Singularem inprimis Publici litterarii attentionem excitauit Numus Othonis latine loquens ille primae magnitudinis, qui in *Numotheca Becceleriana* a Rud. Capallo Hamburgi an. 1684. edita, et ibid. an. 1750. in fol. recuſa, in prima pagina affabre aeri inciſus repraeſentatusue eſt, et pag. 34. num. 26.

Digitized by Google

4) *Io. Sambuci Epiſtolae autographae ad Hugonem Grotium exaratae XI.* exſtant in Volumine Epiſt. ad Blotium miſſarum, cuius Lambecius meminit Commentar. Lib. I. pag. 117. illarum duas idem Lambecius Comment. Lib. III. additamento V. vulgauit, has loco motas Ill. Kollarius recudit Analect. Tom. I. pag. 1032.

5) *Io. Sambuci Tyrnauienſis Pannonii Poëmata quaedam, Patauii conſcripta,* edita ibidem an. 1555. in 4. teſte Mich. Maittaire in Annal. typogr. Tom. V. Part. II. pag. 225. edit.

---

26. explicatus, atque ſub haſta, indicto anno. menſe Sept. cum integra ſupellectili numaria venditus.

Sed quis omnes et ſingulos Othonis Numos aereos diverſae magnitudinis in Coloniis, Latio iure donatis, ſignatos, quod nullus eorum Romae cuſus eſſet, a praeſtantiſſimis Rei numariae cultoribus in apricum productos enarrauerit? Oſtentat noſtra quoque inſtructa Numotheca *Kazzaiana* duos Othonios Numos ex aëre fabrefactos, vnum cuſum, et non niſi fuſum, vt videtur, alterum. Suppoſititius hic ſecundi moduli offert caput Othonis cincinnatis capillis cum perigraphe IMP. OTHO. CAESAR. AVG. TRP. cuius auerſa facies litteris S. C. ſignata monſtrat mulierem in Sella ſedentem, palladium dextra tenentem, ſiniſtra ventri admota. En Numum, dolo artificis paratum, e manibus abiiciam, in dignum exiſtimauerim, de quo verbum amplius adiiciam. Alter vero noſter Othonis Numus primae magnitudinis Antiochiae, vt adparet, ſignatus, quantum quidem ex libro-rum

edit. Lond. an. 1741. in 4. Sed quae, et qualia illa ſunt carmina? Nonne Emblemata?

6) *Io. Huttichii vitae Impp. et Caeſarum cum Imaginibus ad vivam effigiem expreſſis.* Additi ſunt cum Icunculis et elencho verſus Auſonii Mycilli et Vellei. Lugd. an. 1550. in 8. Eaedem auctae et caſtigatae opera Io. Sambuci. Argent. an. 1552. 8. Exſtat in Bibliotheca Bunauiana.

7) *Lu-*

---

rum inſpectione ſcire nobis licet, a nemine quoquam in hunc vſque diem in lucem litterariam eductus eſt, cui Comes ab Engelhardt, arcis Caſſovienſis nuper Praefectus cum Tritſio et Tulianſzkyo peritiſſimis in Hungaria ſtudii Numiſmatici cultoribus, mille numorum aureorum noſtratium pretium conſtituerunt: in vno latere viſitur caput Imperatoris cincinnatis capillis quinque ordinibus in criſpis cum Inſcriptione: IMP. OTHO. CAESAR. AVG: TRI. POT. in auerſa parte ad Aram fumantem a dextro latere ſtat Otho Caeſar toga Conſulari indutus, cui Dux exercitus ab adverſa parte adſtans, et milites Praetoriani tres totidem ſignis militaribus partim aquilis partim manibus humanis in vertice ornatis inſtructi data fidei dextera, Senatus et Exercitus Romani nomine concordiam teſtantur, fidemque ſuam erga Othonem recens electum Imperatorem obſtringunt, adpoſito lemmate SECVRITAS P. R. inferne vero S. C. Maiorem in modum dolemus, quod formam Numi, integre per tot ſecula conſeruati, tamque pretioſiſſimi, et orbi litterato nondum forſan viſi, non niſi pictoris tironis manu delineatam, Publico dare liceat: Si itaque verum eſt Chriſtinam

7) *Luciani opera omnia graece et latine in Tom. IV. diuiſa*, vna cum *Gilberti Cognati* et *Io. Sambuci* Annotationibus. Baſil. an. 1563. 8. Vol. IV. Recuſa ibid. an. 1619. 8. Illae ipſae annotationes Sambuci interſertae ſunt *Io. Benedicti* quoque verſioni Amſterd. an. 1687. 8. Vol. II. editae. Luciani Dialogi coeleſtium, marinorum et inferorum: Menippus et Timon; graece et latine addita ſunt argumenta verſibus latinis tractata per Io. Sambucum etc. Argent. ap. Wolff. Cephal. an. 1550. 8. vid. Maittaire in Ann. Typogr. Tom. V. P. II. pag. 32. Reitzius Sambuci notas in Lucianum cur pueriles adpellat?

8) *Ex Hyppoliti Thebani*, qui circa finem Sec. X. poſt Chriſt. nat. claruit, *Syntagmate Chronolo-*

---

nam Alexandram, laudatam Suecorum Reginam, teſte Patino, olim dixiſſe: *Qui aereum Othonem repererit, antiquum Philoſophorum lapidem inueniet*, en ergo lapidem Philoſophorum diu deſideratum apud Apothecarium Debrecinenſem repertum, Ceimeliarchio Regio non indignum!



Digitized by Google

nologico, *Libellum de Genealogia B. M. V.* primus latine vertit, et latine tantum edidit Io. Sambucus an. 1556. in 8. quem poſtea gr. et lat. Tom. III. antiq. Lect. inſeruit Henr. Caniſius an. 1603. in 4. vid. Reiman. Biblioth. Acroamat. pag. 592.

9) *Io. Sambuci Epiſtola ad Io. Metellum*, Coloniam data Viennae in die Martini an. 1564. Inter Epiſt. Ill. ac Clar. Viror. ſelect. eſt Epiſt. 59. Cent. I. pag. 303. edidit Dan. Heinſius.

10) *Dioſcorides cum Caſtigationibus Io. Sambuci.* Exſtat ſcil. teſte Lambecio Comment. Lib. II. cap. VIII. pag. 599. tale in Bibliothec. Vindobon. Dioſcoridis ex verſione Ruellii cum Caſtigationibus Iac. Gonphyli, Pariſ. an. 1549. in 8. quod Io. Sambucus propria manu cum VI. Cod. Mſct. diligentiſſime contulit, et plurimis locis emendauit. Has ipſas Notas et Caſtigationes ſuas Sambucus Noſter ad Henric. Stephanum exmiſit, ſed nullo, vt quidem ſperabat, optato ſucceſſu, quae labente poſtea tempore dum in manus I. Ant. Saraceni deuoluerentur, eas ille editioni ſuae Gr. Lat. Dioſcoridis pag. 141. 142. 143. 144. in calce inſeruit Francof. an. 1598. in fol. promulgatae. Sed Sambuci has in Dioſcoridem Caſtigationes quo ſingulari fato in lucem prodire contigerit, pluribus verbis expoſuit idem Saracenus in Praefatione laudatae Translationi a ſè adornatae praemiſſa.

11. *Dio-*

11) *Diogenes Laërtius ex recognitione Io. Sambuci*, Antverp. an. 1566. in 8. latine prodiit ſub hoc titulo: *Laërtius Diogenes plusquam mille locis reſtitutus ex fide dignis vetuſtis exemplaribus, et latine quidem editus, ſed ita, vt inde etiam graecum exemplar poſſit reſtitui.* Etenim, inquit Sambucus, aliquot exemplaribus gr. vetuſtiſſimis illis cum interpretatione collatis, atque etiam eruditis obſeruationibus Fulu. Vrſini adiectis, ſpero me non parum Commendationis lectioni huius ſcriptoris induſtria iſta comparaſſe, vt et verſio noua, cui otium ſupereſt, inſtitui, et graeca recudi longe emendatius poſſint.

12) *P. Vegetii Artis Veterinariae, ſ. Mulomedicinae Lib. IV. e VV. CC. plurimis in locis emendati ac reſtituti* Baſil. an. 1574. 4. Dedicauit Rud. Khuen de Valeſii, Domino in Lichtenberg. Hanc Sambuci editionem *Geſnerus* in Praefat. Scriptor. Rei ruſtic. Lipſ. an. 1735. in 4. edit. *accuratiſſimo ſtudio a Sambuco compoſitum exemplum* adpellat pag. 16. Sambucus vero editionem Vegetii primam, quam Io. Faber Baſil. an. 1528. 4. procurauit, Ferdinando Hung. Regi opera Comitis a Nuenare inſcriptam, mutilam corruptamque editam merito iudicat.

13) *Io. Sambuci de imitatione Ciceronis Dialogi tres.* Pariſ. apud Aegid. Gorbium an. 1561. 8. iidem recogniti et aucti Antuerp. an. 1563. 8. excuſi per Lib. Malcotium.

14) *Io. Sambuci Notae in C. Iulii Caeſaris opera.* Exſtant in ea editione, quae cum Varior. Notis et animaduerſionibus opera et ſtudio Godofr. Iungermanni prodiit Francof. an. 1669. in 4. Imo iam an. 1574. in 8. Antuerp. Iulii Caeſaris opera prodierunt cum ſpicilegio Io. Sambuci. Franciſcum Oudendorpium quoque in explicandis Iul. Caeſaris Commentariis Lugd. Batau. an. 1737. in 4. editis Io. Sambuci obſeruationibus vſum fuiſſe praemiſſa docet operi Praefatio.

15) *Epitome Rerum Vngaricarum velut per indices deſcripta, Auctore Petro Ranzano. Nunc primum edita vna cum Appendice quadam, opera Io. Sambuci.* Viennae Auſtriae an. 1558. in fol. Duplex eſt adiecta Sambuci appendix: 1) *Narratio rerum ad Agriam an. 1552. geſtarum.* 2) *Deſcriptio obſidionis Zigethienſi an.* 1556. *ſuſceptae:* quarum neutra in Bongarſiana aut Schwandtneriana ſcriptor. Rer. Hung. collectione comparet, legitur tamen Bonfinii Decadibus Baſileae et Francofurti editis adiecta. Sciendum vero eſt, ea, quae Indicem 36. ſequuntur, non Ranzani eſſe, ſed Sambuci, inchoantis Hiſtoriam de occupata per Matthiam Auſtria, eamque vſque ad Imp. Ferdinandum I. deducentis. Sed Sambucianae huic Ranſani editioni quibus de cauſſis anteferenda ſit Tirnauienſis an. 1579. in 8. *per Lucam Peechium* adornata, et Budenſis an. 1746. in 4. recuſa, docet Vir clariſſimus, et in omni Re antiquaria verſa-

verſatiſſimus *Ionas Andreas Czirbeſz*, Iglouienſis V. D. Praeco, in Ephemer. Litter. Vindob. Partic. XXII. III. et IV. an. 1775. dum criticam *Godofr. Schwartii Noſtri* Epitomes Rer. Vngar. Ranſanae Recenſionem, Lemgou. an. 1774. in 4. publicatam doctis ſuis animaduerſionibus illuſtrat.

16) *Anton. Bonſinii Rerum Hungar. Decades III*, Baſil. an. 1543. in fol. opera *Martini Brenneri* primum editas, Io. Sambucus, repertis, qui deerant XV. Libris, *auctiores reddidit*; Hiſtoriam a morte Matthiae Coruini an. 1490. vſque ad an. 1572. pertexuit, ſuas Appendices, et nonnulla aliorum opuſcula adiecit. De vtraque *Bonſinii* editione Baſileenſi an. 1568. et Francof. an. 1581. per Sambucum procurata vna cum Eiusdem Appendicibus egregie diſſeruit *Cl. Ge. Ierem. Haner in Aduerſariis de Scriptor. Rer. Hung. et Tranſilu* Vien. an. 1774. in 8. editis Artic. XXXI. et XCVII. Etſi ſingularia prorſus ſint Sambuci in Hiſtoriam Patriae noſtrae merita, vt ex attenta recenſitorum ſtatim operum lectione cuique eſt euidentiſſimum; audiamus tamen inſignem Sambuciani nominis obtrectatorem *Io. Decium*, aeque Popularem noſtrum, in *Syntagmate Inſtitution. Iuris Imperial. ac Vngarici. IV. perſpicuis Quaeſt. ac Reſpons. Libris comprehenſo*, Claudiopoli an. 1593. in 4. edito: *Ioan. Sambucus homo, vt nihil aliud dicam, de Hiſtor. Hung. male meritus, etiam ea, quae ab illis*

peregrinis alioquin auctoribus vere ac ſimpliciter memoriae poſteritatis commendata fuerant, tam turpiter fauori partis alterius corruperit. Quo magis laudanda etc. Cur haec ita Decius, Barouius Noſter? et an merito? commodiori alias tempore indicabitur.

17) *Eunapius Sardianus de Vitis Philoſophorum et Sophiſtarum*, prodiit primum graece e Io. Sambuci Bibliotheca typis nitidis Antuerp. an. 1568. in 8. ſubiectis ad calcem caſtigationibus Hadriani Iunii, cuius deinde latina verſio edita Antuerp. an. 1572. in 8.

18) *Heſychii illuſtris Mileſii περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ Διαλαμψάντων σοφῶν. libellus cura Io. Sambuci* nitide prodiit Antuerp. an. 1572. in 8. ſubiuncta ad calcem verſione latina Iunii cum eius caſtigationibus, in quibus vt Heſychium e Laërtio ita Laërtium ex Heſychio ſubinde emendandum demonſtrat.

19) *T. Petronii Arbitri Satyrico Lut. et Pariſ. an.* 1520. *edito, Io. Sambucius ex vetuſto Codice integras paginas addidit, loca plusquam quinquaginta reſtituit*, et typis Plantinianis an. 1565. Ioan. Liſthio inſcriptum emiſit adiecta Petronii Arbitri Vita, quam *Petrus Burmannus* editioni ſuae Trai. ad Rhen. an. 1719. Tom. II. pag. 251. inſeruit, et Sambuci Noſtri meritis rempublicam litterariam plurimum debere fatetur.

20) *Vltra-et Trans-Siluania, quae Panno-Dacia, et Dacia Ripenſis dicitur, a Io. Sambuco delineata et edita* Vien. an. 1566. Dum ſcilicet

licet *Cuſpinianus* omnium primus Hungariae et Auſtriae Tabulas geographicas rudi penicillo adumbraret, *Lazius* vero mox eas, inſtituta prius in iis prouinciis peregrinatione, maiori inſtructus adparatu, manu ſua delinearet, quod nondum vllus ea aetate in Auſtria reperiretur calcographus, et Ferdinando I. videndas exhiberet, Imperatori huius iuſſu ligno inciſae ſunt, et Vien. 1556. vna cum deſcriptione chorographica, Carolo Auſtriaco inſcripta, opera Mich. Zimmermanni in 8. publicatae; tunc *Io. Sambucus* Noſter hanc ipſam Hung. et Tranſiluaniae deſcriptionem maiori cum accurratione delineatam Vien. an. 1566. in forma patente in lucem publicam emiſit, quae poſtea Tabula Transſiluaniae Sambuciana in Theatrum orbis terrarum *Abrahami Ortelii* fol. 43. edit. Antuerp. an. 1570. in fol. illata eſt, repetitaque eadem eſt in editione Antuerp. an. 1609. in fol. adiectaque Illyrici quoque deſcriptio auctore *Sambuco*, vt et loca Hungariae praecipua recens emendata, atque per eumdem Sambucum edita. Quae tamen omnia pluribus erroribus ſcatere queritur Reu. *Kerchelich* in Notit. praelim. Regn. Dalmat. Croat. pag. 390. Sed idem iam antea *Czvittinger* in Biblioth. Script. Rer. Hungar. pag. 13. obſeruauerat. Has tamen omnes aetate ſuperat Mappa Hungariae a Seb. Münſtero Coſmographiae Baſil.

 an.

an. 1550. editae Num. 10. et pag. 456. exhibita.

21) *Iani Pannonii Poëmata eleganti praefatione adornauit*, et Vindobonae an. 1569. in 4. publici iuris fecit. Omnes, quae exſtant, operum Iani editiones tempore antiſtat pauciſſimis adhuc viris eruditis viſa illa Viennenſis, quam *Paul. Crosnenſis* ex autographo depromptam, et *Gabr. Perenaeo* Magiſtro Regior. Cubiculariorum, Vgveſienſi et Maramaroſienſi Comiti, dedicatam vulgauit ſub tit. *Io. Pannonii Epiſcopi quinque-Eccleſiarum, Poëtae et Oratoris clariſſimi ſtudiorumque in Hungaria inſtauratoris, Panegyricum in laudem Baptiſtae Guarini Veron. praeceptoris ſui; verſibus Heroicis conditum.* Viennae Auſtriae in aedib. Hieron. Vietoris et Io. Singrenii an. 1512. in 4. Sed *Luſus* quoque Pannonii *iuueniles* a Sambuco editos fuiſſe ſubticendum non eſt. Viennenſis illa prima an. 1569. typis Caſp. Stainhoferi a Sambuco procurata editio ita inſcribitur: *Iani Pannonii Ep. quinque-Eccleſienſis illius antiquis Vatibus comparandi, recentioribus certe anteponendi, quae vſpiam adhuc reperiri potuerunt omnia.* Recuſ. a Dan. Pareo in Deliciis Poëtar. Hungar. Francof. an. 1619. 12. Rep. Budae an. 1754. collat. cum MScto Lambecii Coruiniano, in Aug. Bibliothecam Vindobonenſem repoſito.

22) *Sententiae et Regulae vitae capitibus XXIV. diſtinctae*, atque ex *Nazianzeni* ſcriptis olim

incerto

Digitized by Google

incerto auctore collectae, et graece a Io. Sambuco editae Antuerp. 1568. in 8. συναγογὴ χρήσεων etc. Exſtat in Bibliotheca Windhagiana pag. 126. edit. Vien. an. 1733. in 8. Eodem anno ibidem *De Virtute carmen iambicum Nazianzeni* graece edidit Sambucus Θεὸς τὸ πάντων αἴτιον. Carmen hoc verſibus 183. a capite auctus exſtat in edit. Pariſ. an. 1609. Tom. II. atque incipit πολλῶν ἀκὄω. *Comparatio vitarum* : Κρίναις ἂν ἡμῖν. Carmen iambicum XIX. graece edidit Sambucus Antv. an. 1568. 8. Inſertum Tom. II. ibid. pag. 220. 224. Vulgauit praeterea etiam nonnullas Nazianzeni Epiſtolas.

23) *Methodum conſcribendarum epiſtolarum*, ab his Libanio ab illis Theoni adſcriptam, τῶν ἐπιςολικῶν τύπων. Io. Sambucus latine edidit Baſil. an. 1558. 8. Exſtat graece in collectione Epiſtolarum graecarum Aldina. *Lambecius* Lib. III. pag. 190. adfirmat huius Epitomen eſſe illos characteres epiſtolicos Proclo adſcribi ſolitos, qui ſic incipiunt ὁ μὲν επιςαλτικός χαρακτὴρ apud Morellium graece an. 1577. 4. ſub *Libanii* nomine graece et latine apud Commelinum an. 1597. 8. Latine Baſil. an. 1554. in 12. editi. Expoſitionem quoque Methodi conſcribendarum epiſtolarum incerti auctoris Sambucum publicaſſe commemmoratur.

24) *Io. Sambuci de Hiſtoriarum proprietate, vſu, ratione, Praefatio* praemiſſa Bonfinii Hiſtor.

Hungar. Francof. an. 1581. fol. repet. ſaepius: Exſtat quoque in Penu art. Hiſtor. Tom. II. pag. 644. Iterata ſunt *minora quoque Sambuci opuſcula Hiſtorica* inter *Scriptores Rer. Germanic. Sim. Schardii*, Gieſſae an. 1673. in IV. Tom. edit. partim in *Syndromo Rerum Turcico-Pannonicarum Nic. Reuſneri*, vel ſi mauis, *Bongarſii*, ſaepius recuſo. Quae ſingula titulorum tenus referre chartarum noſtrarum anguſtia non permittit.

25) *Io. Sambuci Paraphraſis et Commentarii in artem Poëticam Q. Horatii Flacci* Antuerp. an. 1564. in 8.

26) Emendationes et Correctiones Io. Sambuci in Q. Serenum Sammonicum, Medicum, Poëtam Latinum, ad Conr. Geſnerum exmiſſas, et in Bibliotheca huius latentes vna cum Geſnerianis Caſp. Wolphius edidit Tigur. an. 1581. ita Wolphius de I. Sambuco in Praefatione ſua: *Vir cl. Io. Sambucus quas habebat ſibi in Q. Serenum collectas ex veteri quodam Mſcto exemplari, quod in Galliis alicubi ſeruari dicitur, emendationes et correctiones candide et liberali munificentia vltro Geſnero obtulerit, ac communicarit. Ac pro ea quidem, qua tunc erga Geſnerum olim, tum vero ipſam Medicam artem iuuandam etiamnum propendet voluntate et ſtudio, meritas tanto viro omnes gratias debemus.* De hac Caſp. Wolphii Sambuciana editione plura vide in

Prae-

Praefatione Petri Burmanni, Poëtis minoribus Lugd. Batau. an. 1731. in 4. mai. editis, praemiſſa.

27) *M. Accii Plauti Comoediae viginti*, olim a Ioanne Camerario emendatae: nunc vero poſtquam CC. verſibus, qui paſſim deſiderabantur, ex VV. CC. additis, *ſuo quodam modo nitori reſtitutae, opera et diligentia Ioannis Sambuci, Tirnauienſis Pannonii.* Aliquot eruditae C. Langii, Andr. Turnebi, Hadr. Iunii et aliorum doctorum Virorum partim margini adſcriptae, partim in calcem reiectae obſeruationes. Antuerp. ex officina Chriſtoph. Plantini an. 1566. in 12. Frid. Taubmannum in ſuis ad Plautum commentariis hac in primis Sambucina vſum fuiſſe editione, atque eam cum Codicibus manuſcriptis contuliſſe comperimus.

28) *Sympoſion Trimeron de Virginitate et pudicitia coniugali ad Beatricem Reginam*, editum a Io. Sambuco. Baſil. an. 1572. 8.

29) *Ariſtaeneti epiſtolarum Libri II.* Antverp. ex officina Plantiniana an. 1566. in 4. Elegantes et terſas has Ariſtaeneti, Nicea-Bythini, religione ethnici, Epiſtolas amatorias graece omnium primus cum epitaphiis Heroum ſeu peplo Ariſtotelis non Stagiritae Ioannes Sambucus edidit ex Mſcto codice in Auguſtam Bibliothecam Vindobonenſem illato, dedicatas a ſe Philippo Lib. Bar. in Winneberg et Beihelſtein, Praeſidi Senatus aulici caeſarei Viennae an. 1565. Quam

poſtea

poſtea editionem Sambucinam cum verſione Latina et Notis ſuis Ioſias Mercerus Bongarſio inſcriptam Pariſ. an. 1593. in 8. repetiit recuſam ibidem bis an. 1600. et 1610. in 8. nouiſſime vero Ioan. Cornel. Pauwius Vltrai. an. 1736. in 8. vna cum Dedicatione Io. Sambuci iterauit. Epiſtolae hae Ariſtaeneti eroticae cum Codice Ioan. Sambuci collatae et P. Lambecii atque Georg. Franc. a Frankenau annotationibus ineditis illuſtratae referuntur in Append. Ephemerid. Nat. CC. Centur. I. et II. pag. 363.

30) Quod *reliqua Sambuci opera* in manus noſtras incidere, aut alio quocumque modo nobis innoteſcere non potuerint, vt hunc in modum recenſeremus, illa titulorum duntaxat tenus facile cognoſci poterunt ex *Io. Iac. Boiſſardi Icon. illuſtr. viror. Tom. III.* pag. 77. 78. ſeqq. vnde (*Zvittingerum* quoque et *Hora'nyium*) ſua mutuatos fuiſſe conſtat.

ARTICVLVS XLI.

Schönlin (*Ioannes Philippus*) *Ioannem Theodorum Schönlinum* duplicem tractatum Philoſophicum et Medicum Andr. Laurentii Latio adſcripſiſſe refert in Lindenio renouato pag. 692. Merklinus; alterum *de Melancholia et Catarrho*, Auguſtae an. 1620. in 16. alterum vero *de viſus nobilitate et conſeruandi modo*, Monachii an. 1618. in 16. editum. Huius filius fuiſſe perhibetur *Ioannes Philippus Schönlin*, Phil. et Medi-

Medicinae Doctor, Medicus in Regia, liberaque ciuitate Eperieſienſi practicus: vti referunt Ephemerides Academiae Imper. Nat.Urioſ. Dec. I. an. IV. et V. Obſ. LXXX. pag. 68. tentauit is primum *vermes in ſtomacho viduae cuiuspiam nidulantes Mercurio dulci exhibito exturbare*, quos poſtea ex conſilio Ioannis Patersonii muneris collegae, *infuſione vitri antimonii* et *Mercurio vitae* eliminauerat. Dum Ioannes Weber, Regius Pharmacopoeus et Iudex laudatae Ciuitatis Eperieſienſis Ianum bifrontem ſeu Speculum phyſico-politicum Leutſchouiae an. 1662. in fol. in publicum foras emitteret, tali Eum proſecutum eſſe Noſtrum carmine ibidem adtexto legimus:

Membra microcoſmi concinna colligis arte,
Qua ſubſunt Medico, qua Polyarcha regit.
Scilicet illuſtris praeſentas tempora Iani,
Quam vigil et cautus Ianus vtrisque plagis.
Mutua membrorum dum monſtras cambia et actus,
Quam bene conueniant nutibus ipſa ſuis:
Haud ſecus inſinuas, qualem Respublica Ciuem
Nutriat, et placide qui poliarcha regat.
Excellens producis opus, Webere Ioannes,
Mentis vbi vitium corporis atque leuas.
Poſteritatis amor, tenerum tutela parentum;
Sedulus in ciues emicat inde labor.
Non aliud te te noſcendi quaere ſpecillum,
Lector, in hoc libro, quid tuearis, habes.
Iudicis ad manus tua te vigilantia duxit,
Et Phyſico medicum non minus illa facit.

Corporis

Digitized by Google

Corporis et morum fructus te praeſide creſcunt,
Ciuis et expoſi conciliatur amor.
Non fruſtra Iano decoras a fronte libellum,
Iuſtitiae ſpeculum Praeſes amoris erat.
Eſt decus annorum Ianus, vindexque malorum,
Solus de ſuperis, qui ſua terga videt.
Hactenus Argus eras, vno dum praeſes ab anno
Iam poly — contracto — lumine Ianus eris.

Chronoſticum:

sVb Webere tVo non InfIMVs InCoLa CoetV
Hos, hos VersICVLos aCCInVIſſe IVVet.

2) *Epigramma ad Lectorem*, quod ſcripſit, dum *M. Io. Bayerus Eperienſis*, antehac Facult. Philoſ. Academiae Vittenbergenſis Adſeſſor, t. t. vero Lycei patrii Rector primarius ſuum *Filum Labyrinthi* Caſſoviae typis Marci Seuerini an. 1663. ederet:

Vix, credas, Lector, quam ſit iucunda libelli
Lectio, quamque viris vtilis eſſe queat.
Nam docet exemplis, quot ſint primordia Rerum
Quotque modis ſenſim corpora noſtra tegant.
Atque monent caute permulta pericla caueri, etc.

Io. Philipp. Schönlin Phil. ac Med. D.
lib. ac Reg. Ciuit. Eperieſſ. Ordin.
Phyſ. et Practicus.

ARTI-

ARTICVLVS XLII.

Schwabivs (*Chriſtianus Ioachimus*) Communem hanc mundi lucem die 8. Dec. an. 1672. Leutſchouiae adſpexit, patrem Ioannem Schwabium, nobili ſtirpe prognatum, ciuem et mercatorem induſtrium, matrem vero Suſannam Weiſzianam, vtrosque integritatis pietatisque laude omnibus, inter quos vixerunt, commendatos nactus; poſt prima pietatis et litterarum fundamenta, ſub inſtitutione genitoris poſita curae commiſſus fuit Rectoris gymnaſii patrii bene meriti, qui eo maiore amoris adfectu puerum complexus, quo nobiliorem indolem ac docilitatem in eo perſpexit: percurſis rite ſingulis Lycei domeſtici curſibus, patronorum conſenſu, qui ſponte ſua recteque currentem amplius incitarunt, in Academias foederatorum Belgarum ſe contulit, facto ibi in Medicinae familiam traiectu, nomen arti huic ſalutari dedit, ac dum celeberrimos Lugduni Batauorum Profeſſores, ſingulas ſtudii illius partes accurate explicantes, diligenter audiuiſſet, ac laborum ſuorum in ea Vniuerſitate curſum feliciter confeciſſet, anno labentis ſeculi primo Licentiam petenti gradum Doctoris medici conſecutus, ſummum artis ex merito obtinuit titulum. Inde in patriam, contagionis peſtiferae lue tunc grauiter laborantem, reuerſus; Medicinam ibi facere incepit, eo quidem ſucceſſu, vt primum in lib. Regiaque Ciuitate Leutſchouienſi, mox vniuerſo quoque Comi-

Comitatu Scepuſienſi ordinaria Medici Ei decerneretur prouincia obeunda: ſed dum indies magis magisque creſceret exiſtimatio, et plurimos induſtriae, vigilantiae ac dexteritatis ſuae praecones ſibi conciliaret, in iſto florentis vitae ſtatu placuit Diuino Numini Noſtrum inſtabilis mundi rebus eximere, et ad meliorem vitam ex hac turba et colluuione transferre, die enim 21. Dec. an. 1721. aetatis XLIX. curis ac laboribus plurimum fatigatus exſpirauit. Quo autem bonorum quorumuis luctu funus optumi viri fuerit elatum, ex Leſſu funebri formis et typis Breuerianis publicato, non vano colligitur indicio, tali in fronte ſignato titulo: *Leſſus funebris, in inſperatum obitum, felicemque ex hac vita abitum, Excellentiſſimi quondam, Nobiliſſimi, ampliſſimi, et experientiſſimi Domini D. Chriſtiani Ioach. Schwab, Medicinae Doctoris practici paſſim feliciſſimi, inclyti Comitatus Scepuſienſis, vt et Lib. Regiaeque Ciuitatis Leutſchovienſi Phyſici peritiſſimi, anno quo, SoLe CoeLI oCCIDente phoebVs terrIs CarVs ſVbIto oCCIDIt, beateque die 21. Decembr. hora vndecima nocturna exſpirauit, a toto gymnaſii Leutſchouienſis Euangelici coetu gemitus cum lacrymis miſcente, dicatus.* Naenias lugubres aeque Theotiſco quoque ſermone ſcriptas et eodem ſtanno Leutſchouienſi expreſſas fuiſſe, ex Actis Relig. Commiſſionis Peſtienſis Mſct. Tom. II. pag. 158. ſeq. cognouimus: legitur quippe loco citato libellus memorialis Excelſae Commiſſioni Poſon. 27. Ian. 1722. exhibitus, in quo defuncti

functi Schwabii, Medici, Amici maiorem in medum quoruntur Venerandos Leſſus indicati funebris cenſores iniuriam piis Schwabii manibus non leuem intuliſſe, quod ex eo *Beati* titulum expunxerint, atque, dum Is beate obdormiuiſſe, iamque modo Eidem Angelorum coetum adeſſe ſcriberetur, particulam optantis animi *Vtinam* auſu nefario ſubſtituerint, iudicium etiam in ipſos mortuos exercituri. Non abs re interim fore exiſtimauerimus ea quoque hic in medium adducere, quae *Zablerus*, Poëta Pannonius, in memoria Medicorum Thorunenſium verſ. 689. et ſeq. de Schwabio noſtro cecinit:

Arte potens Medica, quorum veſtigia prenſat
Schwabius, ingenio magnus, felixque medendo.

O P E R A.

1) Diſſert. inaug. med. *De Contractura.* Lugdun. Batau. an. 1701. in 4.

2) *Remedia tam praeſeruatiua quam curatiua contra Luem peſtiferam, in Hungaria graſſantem*, iuſſu Magiſtratus ciuici ſcripta et edita typis Ioan. Breueri Leutſchou. an. 1706. in 8. Ex Nepote, Neoſolii vitam degente, qui inſtructam Bibliothecam Schwabianam per haereditatem acceperat, nihil eorum re-

ſciri potuit, quae ad vberiorem vitae et ſcriptorum notitiam pertinere poterant. *

ARTI-

*) *Hieronymus Mercurialis* refert lectionum de Peſtilentia cap. XXII. Auenzoaris et Auerrois commendatione inductum reuerend. ſummum Aulae Regiae Hungaricae Cancellarium, ſibi ſynchronum, in cubili ſuo graueolentem vaſti corporis aluiſſe Hircum, quo ſe contra peſtis exitialis, qua aeuo iſto Hungaria quaſſata eſt, acerbitatem tueretur: haud id quidem ſine ratione, quanta enim in diſiiciendo concreto ſpiritu et graſſato, humores natiui e hirco per corporis ſpiramina emiſſi polleant virtute medica, ſimilibus pluribus demonſtratum olim dederunt documentis *Thom. Iordanus* noſter de peſtis Phaenomen. cap. 9. Tr. III. *Paraeus* Oper. Libr. XXI. cap. 6. *Lindelius Scotus* de Febribus Libri III. cap. 5. *Palmarius* de febrib. peſtilent. Libr. I. cap. 15. *Camerarius* Sylloge memor. Medic. Centur. VII. partic. 47. pag. 457. alii. Amuleta quoque varii generis, magica in primis, tamquam efficacia peſtilentiarum remedia prophylactica contra periculoſos humores adhibita fuiſſe, omnium fere nationum Hiſtoriae clariſſime euincunt: vanam illam de Amuletorum eiuscemodi vſu opinionem noſtrorum quoque Patriae ciuium animos occupauiſſe, *Iacobi Pauer*, Lanionis et ciuis Semproneinſis exemplo iam ante annos XL. fueram edoctus, dum optimi viri hoſpitio adoleſcens aliquamdiu vterer: oſtentauerat ille mihi Nummiſma Amuleti loco tempore peſtis in exordio labentis ſeculi patriam acerbo morbi genere vexantis geſtatum, ſimile illi ex aſſe, cuius Iconem *Kundmannus* in rarior. nat. et art. nec non re Medica pag. 1110, Tab. XVII. Num. O. exhibuit. Nummiſma tale magicum Cracouiae in Polonia an. 1707. coepit ex ſeptem metallorum

miſtura

ARTICVLVS XLIII.

Slotze (*Samuël*) Collectores Ephemeridum Phyſico-Medicarum dum argumenta obſeruationum in Centuria I. et II. contentarum recenſerent, in Catalogo Academicorum Curioſorum haec de Slotzio noſtro referunt: *D. Samuel Slotzius, Phyſicus ordinarius Cibinii Tranſiluaniae.* Vulgus Tranſiluanorum Noſtrum pro

 ſuo

---

miſtura Presbyter quidam ſecularis conflare, et miſeram plebem, inſignis tamquam impoſtor, pecunia emuncturus, nummo aureo et amplius vendere: in aduerſa fronte effigies *S. Georgii Equitis* Draconem interimentis viſitur cum perigrammate: BEI GOTT IST RAHT UND THATT. auerſa vero facies Crucem monſtrat ſigno Mercurii et Veneris chemico, et quibusdam latinarum litterarum ductibus, vocibusque partim Hebraicis, partim Magico-cabaliſticis, e ſchola Satanae petitis, ornatam, hoc in peripheria circumfuſo lemmate: SIGNVM: S. ROCHI CONTRA PESTEM PATRONVS.



ſuo pronunciandi modulo *Kotze* adpellitauerat, ſic nomen illius legitur in *Effigie* quoque *Daciae*, *viuis depicta coloribus Mſcta*, anno 1728. rythmis Hungaricis *ἀνονυμῶς* publicata, in quo officinam pharmaceuticam Cibinii inſtruxiſſe, et ſplendidam ibidem Eum aluiſſe familiam, Filiam in primis Virginem admirandis corporis dotibus commendatiſſimam habuiſſe commemoratur: adiecto ad calcem laudato ſtatim opuſculo ſubnexus eſt *Septem-viratus Tranſiluaniae temporis illius Medicorum*, his inſignitus lemmatibus: Sam. Köleſeri: *Iam dimitte ſeruum tuum Domine, in pace.* Andreas Ajtai, *Deus nobis haec otia fecit*. Franc. P. Papai; *Sat cito, ſi ſat bene.* Mart. Simoni, *Vinum acuit ingenium.* Sam. Enyedi, *Inuidus alterius rebus marceſcit opimis*: *Semper auarus eget.* Sam. Pataki; *Dii omnia laboribus vendunt.* Ioſ. Félfaluſi, *Interſtrepit*

Latent alia duo talia ſcriniis *Kazzaianis* incluſa Amuleta, cacodaemoni dicata; promam hic ex archetypis vtriusque imaginem leui ſic adumbratam penicillo:



Prius

pit anſer olores. Licet Slotzius ad hanc excellentium Medicorum Daciae claſſem haud fuerit



ab auctore relatus, certum tamen eſt luculentioribus teſtimoniis Eum nuda praxi, vt aiunt, clinica minime fuiſſe contentum aegrotorum tantum lectulos obeundo, ac praeſcribendis vnice medicamentorum formulis Medici nomen tuitum; ſed exquiſita rerum multarum eruditione ac praeſertim rerum naturalium ſcientia plures ſui ordinis in Dacia Viros non modo aequaſſe, verum etiam ſuperauiſſe: in cognoſcendis et inueſtigandis morbis Hungarorum in primis propriis diligentem nauauiſſe operam ex ea Franc. P. Papaii, Senioris, Medici, reſponſoria ad Slotzium noſtrum anno 1711. data epiſtola licet vbertim colligere, quam nos ex auctoris ſchedis propriis deprompta Biograph. Medic. Centur. II. part. I. pag. 169. in lucem

---

Prius horum ad mentem, vt putem, Theoph. Paracelſi, ex Mercurio, et Saturno manu artificis effictum, pondere pharmaceutico drachmam vnam cum granis 46. aequat, alterum aeque bilanci impoſitum drachmas 6. et grana 49. ponderat, partim *Regulo antimonii*, partim *Ioue* ſeu *Stanno* conflatum, et vna, vt vides, quadrantis parte mutilatum. Plura talia amuleta cabaliſtica collegit *Athanaſ. Kircherus*, Oceanus ille eruditionis et in ſuo *Oedipo Aegyptiaco*, Romae 1653. in fol. edit. Tom. II. part. II. claſs. XI. cap. 7. publicauit; adducam loco ſpeciminis vnum *heptagonon* illud *amuletum*, circulo incluſum et ſeptem Chriſti nominibus velut totidem *Veneris Intelligentiis* in ſingulis cornibus ornatum, miſſis in praeſentiarum ceteris, quod Spho 4. pag. 480. hunc in modum delineauit:

Solis

cem nuper eduximus. Indefeſſa rerum naturalium contemplatione id quoque nouiſſime omnium fuiſſe conſecutum accepimus, vt in inclitam Academiae Imperialis Naturae Curioſorum Societatem merito ſuo cooptaretur, et non inutile prorſus ſe eiusdem commembrum geſſiſſe certo comperimus indicio.

OPERA.



OPERA.

1) Obſeruationes Academ. Caeſareo-Leopold. Natur. Curioſ. Ephem. Centur. I. et II. intertextae leguntur.

Obſer-

Solis his exemplis lucidiſſime ſpectatoribus pateat, quibus quantisque modis, vt eruditiſſimus hic e Societate Ieſu Pater l. d. loquitur: *incautis daemon illudit hominibus, vt dum Chriſtiani eſſe volunt, occulte Mahumedaniſmum profiteantur, in hoc enim vnico amuleto quatuor ſectarum Iudaicae, Chriſtianae, Mahometanae, Paganae, ab iis, qui illud portant, fit profeſſio, idque occulto pacto daemonis ad Chriſtianae Religionis contumeliam ea de cauſa inſtituto*, Temperare interim mihi vix poſſum, quin ea quoque hic verbotenus referam, quae eruditiſſimus Pater ille, Amuletorum hiſtoriam explicaturus ibidem Spho II. pag. 474. adducit: *Hebraei recentiores, mundo tam dudum vendiderunt quoddam Amuletorum genus, quo ſub praete tu ſacrorum verborum, nihil non idiotis et plebeis hominibus bonorum promittunt, tanto ſane periculoſius, quanto ſanctius prima fronte adparet etc. Paſſim multorum manibus teritur curioſorum quidam e ſchola ſatanica profectus liber ſub titulo* שמוש תהלים *Schimmuſch hattehillim id eſt, vſus practicus Pſalmorum, ex quo fonte omnium ſuperſtitioſarum artium riuuli dimanant: huic veluti baſi tota Amuletorum cabaliſticorum fabrica innititur.* Tale eſt nummiſma illud quoque cupreum, pentagona figura et ſacris Dei nominibus inſignitum, quo nihil pro tempore frequentius, ſi corticem inſpicias ſacrum, ſi medullam, cauda nigra eſt, qua ſcorpionum inſtar animos credulorum transfigunt. Numus hic magicus, ab im-

Digitized by Google

Obſeruatio CXXXII. *De vbere Herbae Kali prouentu in Tranſiluania.* Plures e popularium

Z 5 noſtro-

---

improbis Iudaeis d. l. pag. 475. effigiatus, frequens in Germania, Gallia, Italia etc. figurae et quantitatis eſt ſequentis:

1ª facies 2ª facies



in quo prima pentagoni circulo inſcripti facies varias continet inſcriptiones Hebraicas, exſecrandam ſub forma ſacrorum nominum Chriſto tributorum exhibentes blaſphemiam, addito in centro vultu *Saluatoris* noſtri *Ieſu Chriſti* cum hypographe לחם פנים *lechem panim* i. e. *panis facierum* Altera nummi cabaliſtici huius facies conſtat tetragono in 12. cellulas ſubdiuiſo, circulo ambienti inſcripto, quibus totidem, anagrammata ex nomine Dei tetragrammate יהוא formata inſerta leguntur, quadratum quatuor potentium Angelorum, *Vrielis*, *Gabrielis*, *Raphaëlis*, *Michaëlis* nominibus cingentibus. Hoc geſtato Periammate veluti Diaboli irritamento, aliisque phylacteriis cabaliſticis, atque ſchedis Magicis, quae *ſcuta Dauidis et Sigilla Salomonis* audiunt, omnem et fabrica-

Digitized by Google

noſtrorum numero plantas Tranſiluaniae collegerunt atque deſcripſerunt, ſed Maecena-
tum

---

bricatores et poſſeſſores in hoc non minus quam altero mundo felicitatem ſibi promittunt. Chartarum anguſtia prohibiti reliquorum amuletorum effigies a *Io. Vierio*, *Kirchero*, aliis, exhibitas lectorum oculis ſubiicere haud iam poſſumus, veram ſaltem praeclariſſimi Patris de Amuletis ſententiam ex pag. 481. hic repetere placebit: *Porro finis huiuſcemodi Amuletorum eſt, amorem et beneuolentiam omnium, conſequenter carnalium deſideriorum plenam fruitionem, victoriamque contra omnia aduerſa eius geſtatione obtinere, quod ex adiuratione, quam pronunciare ſolent, qua et Deum et angelos, verius cacodaemones, cum inuocatione ♀is aut ♂tis ſacrilego et impio ritu ſollicitare ſolent, patet, quam et ne Chriſtianae aures vulnerarentur, conſulto omitto. Quicunqne itaque huiuſcemodi poſſederit farinae amuletum, illud non naturale, non diuinum, aut angelicum, ſed immediatum diabolicae machinationis opus ſe poſſidere ſibi perſuadeat, non niſi cum aeterna animae ruina vſurpandum.* Dum ſic omnes *Periammatum* ſpecies Kircherum, multiplicis ſcientiae ſcriptis memorabilem virum, exſecrari intelligamus, non ſatis perſpicimus, qui tamen fiat, quod in Ritualibus quibusdam Eccleſiaſticis ſimilia Amuleta chartacea a presbyteris imperitae plebi diſtribuenda, et ab ea in morbis quibusdam, vt peſte, morbo caduco, calculo renum et veſicae, dolore dentium, febribus etc. curandis geſtanda commendentur, ſed in primis reu. P. *Bernh. Sanni* Ord. S. Franc. Ref. in Collectione ſeu Apparatu Abſolution. Benediction. Coniuration. etc. Venet. an. 1764. in 8. plag. 14. edita. Singularem inprimis meretur adtentionem Amuletum illud chartaceum

tum inopia ſingulorum opera coguntur in tenebris deliteſcere. *Ioſephus Balog*, Tranſiluanus,

ceum ſanctiſſimis Dei nominibus latinis, graecis, hebraeisque toties repetitis, et cruculis diſtinctis inſignitum, quod pag. 194. laudatiſſimus auctor in adiurationibus daemonum pro remedio liberatiuo ſeu curatiuo proponit cum adiecta maſſa quapiam benedicta ſollemni ritu contemperata, quam igni quoque in ſublimem liquorem reſoluere, eundemque iuſculo, vel alio cibo permiſcere, et patienti comedendum dare docuit; etiam, quod mirere, ad corporis languores, tumores, et reliquas infirmorum plagas ſanandas, vtilem. Sed talem hanc aeuo noſtro vſitatam medicandi rationem eccleſiaſticam iam antiquioribus quoque ſeculis pridem vſurpatam fuiſſe ex *MScto codice Vticenſis Monaſterii* egregie docuit reu. *Edmundus Martene* de antiquis Eccleſiae Ritibus Tom. II. Lib. III. cap. 9. pag. 994. ord. IV. Antuerp. an. 1736. in fol. edit. Fuit quippe tempore mortalitatis ſeu etiam furoris hominum, vel rabiei beſtiarum, liquor quidam ſacer talis a Presbyteris propinatus, vt quicunque ex eo guſtauerit, mentis et corporis receperit ſanitatem, vt pag. 1003. docet, ſi aqua iſthac a ſeptem presbyteris confecta atque conſecrata, male adfecti fuerint abluti, ſanitatem ex lotione huiusmodi receperint: immo ſeculis illis infelicibus, quibus eruditio ex hominum coetu diſparuit, ſuperſtitio vero firmos mouit lacertos, ſacri ordinis viri, immodico Religionis zelo exſtimulati, eo proceſſerunt deuotionis, vt in ſanandis quibuslibet aegritudinibus ſingulos familiares praefecerint Genios, provti de his *Alexander le Francois*, Medicus Gallus, et fidiſſimus Eccleſiae Romanae alumnus, *dans les reflexions critiques ſur la medicine*, Tom. II. cap. VIII. hunc in

uanus, e ſede Siculorum Maruſienſi oriundus, in eo nunc maximopere ſibi elaborandum

in modum ſermone queritur vernaculo: *La gueriſon des maladies par l'interceſſion des Saints, etoit diſtribuèe à differens Saints comme il eſt marqué dans un livre, qu'on à fait exprès pour apprendre, à quel Saint on devoit avóir recours dans chaque maladie. L'un avoit, à ce que le vulgaire croyoit, le pouvoir d'en guérir une certaine eſpece, un autre Saint en pouvoit guérir une autre. On a cru que ſaint Claire avoit un pouvoir ſpecial pour guerir les maux des yeux; à cauſe de ſon nom on s'eſt imaginé qu'il devoit faire voir clair. On à attribué a ſaint Saturnin le pouvoir de guerir les maux de tête, parce qu'en quelques endroits on lui donne le nom de Saints Atourni; et à cauſe de la reſſemblance des mots, on a cru qu'il pouvoit guerir du tournoyement ou vertige, qui eſt une des maladies de la tête, et l'on a enſuite étendu ſon pouvoir à toutes les maladies qui attaquent cette partie. On a invoqué ſaint Pancrace pour la goutte; et la raiſon qu'on à eue, c'a été que ce Saint étant appelle Crampace en quelques pays, on a penſé qu'il avoit le pouvoir de guerir les Crampes qui ſont une maladie des articles ou jointures, — — On a eu devotion à Saint Mandé pour les enfans en chartre, ſur ce qu'on a cru à cauſe de ſon nom qu'il lès faiſoit amander, Le nom de cette maladie les a fait porter auſſi à ſaint Denis de la Chartre, qui eſt une Egliſe bâtie au lieu où étoit la Chartre. — — La croyance qu'on a eue ſur le pourvoir des autres Saints pour guerir les autres eſpeces de maladie, n'a guéres eu de mellieurs fondemens.*

Ita dum luſtrales liquores, Semi-deorum, dearumque obſecrationes, eorumque leipſana, donorumque

dum ſuſcepit, vt plantas Daciae mediterraneae colligat, easque olim cum Publico com-

---

que ac munerum factae Palladiis oblationes, adiurationes, et coniurationes geniorum, ac diuinorum officiorum adminiſtrationes, et alia eiusdem generis remedia liberatiua a clericis commendarentur aegre decumbentibus, fieri non potuit, quin veri nominis Medici aequiora artis ſalutaris praecepta ſecuti, apud quos ſolos fere bonae ſcientiae ac artes hoſpitium ea aetate inuenerunt, talia remedia eccleſiaſtica in hominum coetu haudquaquam toleranda eſſe adſererent: quo itaque facto, eam vniuerſi ordinis, ſacri ſibi conflauerunt inuidiam, vt praeter alias inuſtas ignominiae notas, Atheorum quoque catalogo plerique conſilio iniquo inſcriberentur, quemadmodum haec *Elias Frid. Heiſter* in ſua *pro Medicis Apologia* Amſtel. an. 1736. in 8. edit. vbertim enarrauit. Nobis vero, quod ingens Dei eſt benignitas, ita aeuo noſtro iam licet eſſe felicibus, vt eam Principum prouidentia perpurgatam profiteamur Medicinam, quae, nullis amplius conſarcinata appendicibus, certiſſima non e ſanctiori Republica, ſed ſolo triplici Naturae regno petita, in debellandis morbis quibusuis monſtrat remedia liberatiua non minus, quam prophylactica, vniuerſo generi humano aeque vbiuis gentium adtemperata. Sed de Amuletis ſuperſtitioſis reiectis, egregie poſt alios diſſeruiſſe legimus *Ant. Loigkium* in ſua *Loimographia*, ſeu *Hiſtoria peſtis Hungar. et Auſtriacae*, pag. 275. ſeq. Styrae. an. 1716. in 8. edit. *Ammian.* vero *Marcellinus*, Lib. XIX. cap. 12. edit. Erneſt. pag. 177. refert: Omnes iſtos, *qui remedia quartanae, vel doloris alterius collo ſuſpenſa geſtarent, vt veneficos, pronunciatos reos capitis interiiſſe.* Reliquas ſummorum Principum conſtitu-

communicet; cuius egregium ſane videtur iam edidiſſe nuper ſpecimen in Diſſertatione, hoc

---

ſtitutiones, cordatiorum omnis aeui ICtorum Eccleſiae Patrum, ſcholaſticorum, Doctorum, ac Medicorum de Amuletis ſententias collegerunt ex Kirchero d. l. Camerario, Sponio, Reichelio, Herm. Hugo e Soc. I. et C. H. Trotzius, ſedulus illius commentator *De antiqua ſcribendi origine*, Vltrai. an. 1738. 8. edit. cap. 29. vbi clariſſime euincunt, nullam litteras, verba, numeros vel figuras vllas, phylacteriis et ſchediaſmatis quibusuis inſcriptas, eam poſſidere vim occultam, ne periaptis quidem euangelicis exceptis, vt morbos auerruncare, amores excitare, partum facilitare, aut a vulneribus et globis tormentorum etc. tutos nos praeſtare valeant. Illuſtris Inſtituti litterarii Florentini Bibliothecam ingreſſuro volupe certe fuerit inſignem illam variarum gentium omnis aeui Amuletorum contemplari collectionem, qua illam prae aliis iure ſuo gloriari nouimus. Vnum reliquorum, quae nos quoque poſſidemus, Amuletorum pretioſiſſimum, Praegetione ad Comaromium an. 1746. inuentum, nouiſſime adducimus:



collo hoc appendi et a Romanis geſtari ſolitum eſt, Carneolo, argento puro incluſo, Mars criſtata tectus caſſide, ſiniſtra haſtam, dextra ſcutum ad genua dimiſſum tenens, affabre inſculptus hic viſitur.

hoc in fronte ſignata titulo: *Specimen inaugurale Botanico-medicum ſiſtens praecipuas plantas in M. Tranſiluaniae Principatu ſponte et ſine cultura prouenientes ac ibidem vſu receptas. Lugd. Batau. an.* 1779. 4. plag. 5½. Opuſculum hoc laude dignum inſcriptum eſt *Reu. D. Ioſ. Benkö*, eruditiſſimo Tranſiluaniae nondum ſatis cognitae, Vindob. an. 1778. 8. Tom. II. editae auctori, eximio Botanices, et Hiſtor. nat. cultori, qui *Floram quoque Tranſiluaniae, oeconomice, phyſice, medice elaboratam* ſe propediem editurum in litteris amice ad nos datis ſignificauerat. Auctor Botanici ſpeciminis memor conſilii a *Nic. Ioſ. Iacquinio* Viennae ſibi ſuppeditati, in Regnum Americae meridionalis *Guiana*, eiusque prouinciam *Rio de Berbice* appellatam diſceſſit laudato a Batauis adiutus ſtipendio, vt in oris illis peregrinis trium Naturae regnorum theſauros colligat, atque iis mox onuſtus, ſi Deus vitae fauerit, ad nos commodó tempore reuertat, patriae ſuae olim profuturus.

Obſeruat. CXXXIII. *De ſuccino fluido in Valachia reperiundo.*

Obſeruat. CLXXVI. *De auri ſolis calore maturatione.* In montanis quibusdam Tranſiluaniae locis adferit auctor ex hypotheſi Carteſii ſubtiliſſimos eosque puriſſimos metallicos vapores, ope centralis terrae caloris ad ſuperficiem vſque corticis exterioris eleuatos, et ibi frigore hiemis detentos, ſolis

ardo-

ardore ſucceſſu temporis cooperante, in aurum mutari; atque illius puriſſima grana elota ab incolis, in ſubſidium vitae communicari.

ARTICVLVS XLIV.

Steinensis (*Chriſtophorus*) Patricius Hungarus Caſſouienſis, in patrio ſolo educatus, et humanioribus ſtudiis liberaliter domi excultus, comparatae huius eruditionis theſauros foris amplificaturus, diſceſſit in florentiſſimam ea aetate Muſarum ſedem Cracouienſem, ad quam velut ad bonarum artium mercaturam noſtri adoleſcentes certatim confluxerant: ibi poſteaquam ſingularia nauatae diligentiae edidiſſet ſpecimina, ſcholaſtico germanicae Nationis Contubernio praefectus eſt, et redditis ſibi familiaribus labente mox tempore artis medicae principiis, eruditorum ſua aetate virorum coetui adgregatus eſt, et in patria, vt videtur, praxi medicae deditus.

OPERA.

1) *Georgii Valla Placentini, de expedita argumentandi ratione Libellus* impreſſus in inclyta et regia Ciuitate Cracouienſi per Hieron. Vietorem, anno tredecimo regni ſereniſſimi et inuictiſſimi Domini Sigismundi Poloniae Regis, humanae vero ſalutis, 1520. in 4. Libellum hunc curis ſuis caſtigatum Epiſtola nuncu-

nuncupatoria ad Eximium artium et ſacrarum Litterarum Doctorem, Dominum Michaëlem Vratislauienſem, Cracouienſis Collegii maioris Collegiatum directa Chriſtophorus Steinenſis noſter adornauit.

2) *Marci Antonii Sabellici, de Rerum et Artium Inuentoribus Poëma.* Cracouiae in officina Hieron. Vietoris an. 1521. in 4. Epiſtolam ad magnificum ac eximium Iuris Pontificii Doctorem, D. Iacobum de Arciſzcwo, Eccleſiae cathedralis Cracouienſis Canonicum, maecenatem ſuum exaratam Steinenſis praemiſit.

3) *Oleum Iuniperi, qua ratione omnibus fere humani corporis aegritudinibus medeatur.* Cracouiae ex officina chalcographica Hieronimi Vietoris an. 1545. in 8. Paruulum libellum hunc ab erudito quopiam Medico anonymo lingua Teutonica conſcriptum Steinenſis noſter latina ciuitate donauit, et clariſſimo Viro, Domino Doctori Iacobo, Reuerendiſſimi in Chriſto Patris et Domini, D. Petri Gamrati, Archiepiſcopi Gneſnenſis, et Epiſcopi Cracouienſis, Phyſico ſollertiſſimo dedicauit, in prooemio iſto Magiſter Steinenſis ita Iacobum ſuum adfatus loquitur: *Cum nuper in aula Reu. patris et Domini, D. Petri Gamrati etc. Maecenatis et patroni, vt tui, ita ſtudioſorum omnium benigniſſimi, ſic a te tractarer, vt hoc decennali exilio, quo poſt interceptam Caſſouiam per diuerſas regiones ſum vagatus, me vix pari humani-*

tate tractatum putem, domum reuerſus, illico cogitare cepi, quanam ratione excellentiae tuae aliquam ſaltem animi gratitudinem oſtendere poſſem. Venit tum forte fortuna in manus meas Libellus, res medicas continens, nempe vires et virtutes Olei vel quintae eſſentiae Iuniperorum. Eum cum huius inclyti Regni hominibus prodeſſe poſſe putarem, et viderem germanice ſcriptum, operae pretium me facturum putaui, ſi hunc in latinum ſermonem verterem, et eum cenſurae tuae ſubiicerem, vt tu acri iudicio hunc vel aboleres, vel huic regno legendum exhiberes, nonque putarem te illo indigere, cum ſciam te ex Hippocrate, et huius interprete Galeno, Aëcio, Paulo tibi eam medendi etc. etc. verſati ſunt in eadem harena viri noſtra aetate in medicina principes, Menardus et Antonius Muſa, cum in ſimplicium medicamentorum, tum in pillularum et ſolutiuorum diui Meſues examine, horum exemplo — Nec auerſaberis, puto, libellum hunc, quod e germanico verſus eſt, nam ſi πολλάκι καὶ, κήπορος ἀνὴρ μαλα καίριον ἔιπεν poterit et hiç libellus nonnullis hoc oleo vtentibus aliquam vtilitatem afferre, Sed tuum expecto exactiſſimum iudicium etc. Ita tractatum ſuum auctor orditur: *OLEVM DE GRANIS IVNIPERI calidae eſt, et ſiccae naturae, in tertio gradu, et propria illius virtus eſt reſoluere et conſummere. Primo, reſoluit et conſumit hoc oleum, omne malum et venenoſum aërem, in corpore humano exiſtentem, et omnes malos humores ſanguinis, cholerae*

lerae, flegmatis, melancholiae, et illos non ſinit putreſcere, ac per hoc cor et ſpiritus uitales ab omni ſincopi et venenoſitate praemuniuntur, et praeſeruantur. Item olei huius gutta, diluculo, in calido iure, vel brodio bibita, vel a prandio et a coena in vino, ſecundum temporis ac complexionis et infirmitatis rationem in aqua deſtiilata, enulae, roſarum, melliſſae, boraginis, praeſeruat a multis aegritudinibus. Item ſi ſpongia, vel lana bombicis, intingatur in hoc oleum, et in pixide tornata, de ligno iuniperi, naribus applicetur, mirabiliter confortat cerebrum, et cor, ita vt venenatus aër non poſſit ipſum laedere.

Contra peſtilentiam cum calore.

Si horrenda febris peſtilentiae hominem magno calore, et eruptione apoſtematum ac bubonum inuaſerit, correptus celeriter ℈. aut ʒ. huius olei, in aqua enulae vel roſarum bibere debet, et poſtquam bibit, calidis puluinaribus ſe contegere, ac apoſtema peſtilenticum extrinſecus cum hoc oleo iniungere. Et ſic hoc oleum, quod ſuper apoſtema inunctum eſt, ad extra trahit, diſſipat, et conſumit venenum, et id quod in aquis inbibitum eſt, oleum a corde (quod ſedes et fons eſt vitae, et quod omnium primum tempore peſtilentiae per anhelitum a malo aëre inficitur, quod tandem febres peſtilentiales in toto corpore excitat) omne venenum depellit, vt illi nocere non poſſit. Id in multis peſtilen-

ſtilentia laborantibus, quos per Dei gratiam, hoc oleo ſanitati reſtitui expertus ſum.

Contra peſtilentiam cum horrore.

Si autem mortifera haec febris peſtilentiae, cum magno frigore, et horrore, et eruptione apoſtematum hominem inuaſerit, infirmus ſubito debet olei huius ℈. cum aqua melliſſáe vel boraginis in vino bibere, et extrinſecus ſuper apoſtema inungere, et puluinaribus molliter ſe contegere, id contra venenum peſtilentiae praeſentiſſimum eſt remedium. Item hoc oleum ſanat omnes morbos, qui hominem inuadunt, ſi tempeſtiuiter et cum bono regimine fuerit acceptum. Id quod multi veteres Medici tam Graeci, quam Arabes, tam Chriſtiani, quam Saraceni ſuis ſcriptis teſtantur.

Contra dolores cordis.

Supra modum prodeſt hoc oleo Regiones cordis extrinſecus, ſupra ſiniſtram, papillam inungere; quia penetrat penitus cutem, carnem et oſſa, ac venas, et dat vires cordi, et ab eo depellit omne venenum. Et ſic omnem ſincopim cordis, cerebri, ſtomachi, quae venit ab infecto aëre. et opilatione venarum depellit, et ſpiritus vitales refocillat.

Contra febres in genere.

Hoc oleum curat omnes febres, quocunque nomine nominentur, ſi 4. vel 5. guttae in vino, vel ſecundum exigentiam febris, et comple-

xionis,

xionis, in aqua diſtillata mane et veſperi bibantur, et extrinſecus ſtomacho ſuperliniantur.

Contra calculum renum et veſicae.

Hoc oleum purgat, et purificat renes, frangit, et conſumit mirabiliter omnem calculum, et facilem reddit vrinam et ſtranguriae oppilationes aperit, virtute ſua, calculum in homine mollificat, et paruum facit, et in arenam reſoluit, qui tandem per vias vrinales ſine dolore et laeſione exit. Id ego in multis et in corpore meo expertus ſum. Item huius olei 4. vel 5. guttae in aqua diſtillata, petroſilii, bibitae, et circa lumbos, et circa umbilicum iuxta prunas, vel in loco calido, inunctae, pariter calculum frangunt et curant.

Contra podagram, arteticam, ſciaticam et emortua membra.

Penetrat etiam, et pertranſit omnem carnem, et venas, et oſſa et omnia vulnera ſanat. Prodeſt areſcentibus et emortuis membris, quae per podagram, arteticam, ſciaticam, paraliſim, deſtructa ſunt, illa reſtaurat.

Contra ſtomachi indigeſtionem.

Prodeſt ſtomachi indigeſtionibus, propter ſordes flegmatis digerere non potentis cibum, a quo cibo indigeſto vapores aſcendunt in cerebrum. Hinc plurimi homines dicunt: Nihil morbi ſentio, ſolum caput mihi dolet etc. Hi mali tandem hu-

mores generant fluxus, et tales fluxus aliquibus hominibus a capite cadunt in pectus, aliquibus in brachia, aliquibus in pedes, hinc harum partium aegritudines, et manus et pedes et brachia contrahunt. Et quicunque homo talibus morbis grauatur, ille recipiat 4. vel 5. guttas in calido vino, vel in cibo mane et veſpere. Et cum hoc oleo ſtomachus bene extrinſecus vngatur, aliquot vicibus. Tunc reſoluit, emollit flegmata ad exitum, et proſtratum appetitum reſtaurat, et hominibus fames et ſitis nuturales redeunt, ſomnus delectabilis, inſomnietatem depellit, et ſtomachi operationes naturales in integrum reſtituuntur.

Contra paraliſim et contractionem.

Prodeſt membris contractis, et diſſolutis, ſi 4. vel 5. guttas in vino biberint, vel eo in cibo mane et veſpere vtantur. Etiam ſi contracta et paralitica membra vngantur ad calorem ignis, fortiter, hoc facit frigefactas, et exſiccatas medullas rurſum calefieri et creſcere, et dat eis calorem ſuum naturalem, et facit etiam membra et venas contractas flexibiles et ſanas.

Contra Icteritiam et Ydropſim.

Icteritiam ſanat, et ydropſim, et tremores membrorum, 4. vel 5. guttae bibitae, et poſt ebibitum oleum in balneum ſudorificum intrando, et vndequaque corpus vngendo, in calore balnei ſicci, et partes quibus neceſſe eſt, etiam in

cibo

cibo et potu ſumptum, ſanat praedictos morbos Icteritiam et tremores membrorum.

Turpem nimiae prolixitatis notam euitaturus, deſino reliqua ex paruulo codice, auro pretioſiore, exſcribere omnia: ſola dumtaxat curationum argumenta ſerie hac referam, quod oleum Iuniperi vtile eſt contra Podagram et chiragram: contra ſplenis, epatis, pulmonis apoſtemata: contra lepram, tympanitem, ſtranguriam: contra morbum herculeum, vel caducum; contra ficus et mariſcas, contra contracta et diſſiccata membra; contra colicam; contra Pleureſim; contra dolorem dentium; contra Diſſenteriam; contra ſudorem Anglicum; contra menſtrua nimium fluentia; contra Catarrum, contra Lumbricos; contra verrucas et lentiginem faciei; contra anhelitum foetentem; et nouiſſime in ſummaria omnium dictorum recapitulatione haec addit: *Et vt in ſumma dicatur, hoc oleum omnes aegritudiens corpori humano accidentes ſanat. Quapropter prae omnibus oleis totius mundi amandum eſt, et pro naturali balſamo totius Europae habendum, quod a multis veteribus medicis experientia probatum eſt, vt in ipſorum libris ſatis deſcriptum legitur. Et gratia ſit Chriſto ſingulis diebus, plurimi homines per hoc oleum a multis ineffabilibus aegritudinibus liberantur.* Poſteaquam Electuarium quoque de oleo Iuniperi paratum, iisdem cum oleo ipſo, pollere virtutibus medicis adſeruiſſet, his Tractatulum

concludit verbis: *Iuniperus, ἀρκευθίς, pencor. arbuſcula quae in arenoſis frequens naſcitur, coma virens perpetua: vnde et topiario operi idonea, et carioſam ſenectam non ſentit. Producit ex ſe vernicem, quo vtuntur ſcriptores pennarii ad papirum exaſperandam. Medici Sandaracam vocant. Vide Plin. Libr. 8. cap. 15. Cum adiutorio ſummi medici Chriſti Ieſu Amen.* Libellum hunc, albo coruo rariorem, in Bibliotheca Zaluſciana Regni Poloniae publica cuſtoditum, et recens nitide deſcriptum Illuſtr. ac Reu. D. Io. Dan. Andr. Ianoczki Proto bibliothecarius Regius, Fautor aeſtimatiſſimus, pro ea, qua in nos, ſtudiaque noſtra eſſe ſolet, propenſione, an. 1778. currentis menſe Octobre ad me perhumaniter exmiſit. Hanc oleo Iuniperino in omnibus promiſcue morbis vtendi rationem ne hodiedum in oris noſtris Hungaricis exoleuiſſe diſces ex paruulo illo libello pharmaceutico typis dato, quo peripatetici illi circumforanei Sclauicae nationis apothecarii Varallienſes diuerſa oleorum genera, eorumque virtutes medicas, patrio ſermone explicant, eaque miſerae plebi, vt pecunia emungant, in omnibus fere paſſim compitis verborum lenociis vſi, emenda obtrudant; ita de laudato oleo Iuniperino, tamquam morborum panacea haec ibidem pag. 6. referuntur: *A' Fenyö mag olaj ſok ſzelek és minden contagio ellen igen haſznos reggel 3. vagy 4. Cſeppet ſerben vagy borban be venni.*

ugy

ugy meg romlott tudö ellen is 6. Cſeppet be venni: Meg-a'llitja a' Colika't, a' roſz nedveſſéget a' gyomorbul ki-viſzi, es a' flatuſt ki-hajtja. A' Melahcholiát, a' ſzivnek nehézſégét és a' ſárgoſágot el-üzi, a' fen emlitett Doſiſt be-vévén, egy ſzóval az embernek minden tagjainak nyavalyája ellen igen haſznos. Vtinam in peripateticum hoc minutorum pharmacopolarum genus uagabundum ſeuerius animaduerteretur! De peruerſa hac in patria medicandi ratione, quae magno certe vniuerſae genti Hungarae cedit opprobrio, iam ipſum quoque *Paracelſum* fuiſſe aetate ſua conqueſtum, ex *Leonhardi Thurneiſſeri Alchymia magna* edit. Colon. an. 1587. in fol. clariſſime euincitur, ita ille Parte II. ſeu *Onomaſtico* מְלִיעָת *καὶ ἑρμηνέια* inſcripta pagg. 45. 46. differit, quae iam haud pudebit referre: ALMEGHALNI. *Iſt ungariſch geredt.* Paracels. in Carboant. Lib. IX. cap. 33. ſagt von den vermeinten *Orwoſi* oder Artzten, die im Land mit allerley Quackſalben, Marrentacken, und Holderlatwergen, die ſie für Teriac verhandeln, umher ziehen, wenn ſie nun die Menſchen lang geplagt hand, und nicht weitere Liſt können, ſchicken ſie die gen *Almeghalni*, ad *Halál*, und laſſen ſie in *Temetes baden*, *bis ſie Rothat werden.* Iſt ſo viel geredt: Als ſie ſchicken ſie gehn ſterben, zum Todt, und laſſen ſie in Grab baden, bis ſie faul werden, dan

Meg-Halni	heiſt	Mori	das iſt	Sterben
Halál		Mors		Todt.
Temetés		Sepulcrum		Grab.
Rothat		Putridum		faul.

„ Dieſe vier Vngeriſchen Wort haben eine
„ feine Cabaliſtiſche Auslegung in rechter
„ uhralter Chaldäiſcher oder Thebaiſcher
„ Sprach, dan ſo ſie hinter ſich werden
„ geleſen, ſtehen ſie alſo:

יבלאת גאם das iſt Arzney, oder alle Medicament.

שאטמאם ohn der Götter Hülff.

לאלאת iſt ohn Frucht.

טאתטאר Und tödtet, oder bringt um.

Welcher nun die vier erſten Buchſtaben zu einem Wort machet als nemlich ישלט und des mit den vier letzten Bubhſtaben an dieſem fordern vergleicht und das er recht leſchet gegen כטחר ſathacor ſetzt, der wird richtiglich die Regel verſtehen, woraus alle Artzney ihren Uhrſprung nimbt. Er wird auch verſtehen den ſehr herrlichen und weit reichenden Inhalt der drey Cabaliſtiſchen Wörter, als:

Pſalm. 11. תבלים

Geneſ. 2. מותתמות

Pſalm. 11. אעיל

Welche Auslegung, weil die hieher zu lang, aber doch ein jeden Medico hochnöthig,

thig, an einem ander Ort ſol erklert werden. Ita Thurneiſter et Paracelſus vagabundos hos in Hungaria minutos Sclavicae nationis pharmacopolas, immo totam gentem noſtram Hungaricam albis hunc in modum orbi vniuerſo propinant turpiter diridendos!

ARTICVLVS XLV.

Stockinger (*Michael Gottfried*) In patria ciuitate Semproniensi manſuetioribus litteris imbutus adoleſcente aetate ad artem pharmaceuticam animum adplicauit, verum intercedente aliquo temporis interuallo, priori conſilio mutato, ſe ſe totum litteris conſecrare decreuit, et Medicinae amore captus, arti illi ſalutari ſemet mancipare apud animum conſtituit. Hunc in finem Lipſienſem adiit Academiam, vbi inter alios a Rüdigeri potiſſimum ore totus pependit. Lipſia demum relicta Erfordiam conceſſit, in qua per antiqua Hierana ad Doctoris Medici gradum adſpirans, diſſertationem ſuam inauguralem die 3. Dec. anno 1728. more ſollemni ventilauit. Reuerſus in patriam anno poſtero, dum exercendae praxi medicae intentus eſt, Phyſici ordinarii munus an. 1740. conſequitur, anno vero 1747. naturae debitum ſoluere cogitur. Praeſtantiſſimum Medicum huncce anno quadrageſimo ſecundo medio feliciter admodum me quoque morbo quopiam, grauiſſimis ſtipato ſymptomatibus, exemiſſe, dum apud Sempronienſes beneficiarius Keneſeianus

nus litteris nauarem operam, memori hodiedum pectore ſignatum habemus.

OPERA.

1) Diſſert. inaug. med. praeſide D. Io. Andr. Fiſchero. *De medicamentorum purgantium natura et vſu.* Erford. an. 1728. 4. plag. 3. Conſuli, Iudici, ceteriſque ordinis ſenatorii in Republica Semproníenſi proceribus inſcripta.

2) *Das traurige Zion, welches den betaubten Todesfall ihres getraueſten Seelſorgers, des hochgelehrten Iohann Siegm. Pilgrams hoch verdienten Paſtoris Senioris etc. wehmüthigſt beklaget.* Vid. Epiced. ad ſermon. funebr. Sigiſm. Pilgrami. Vlmae an. 1739. in fol. edit.

ARTICVLVS XLVI.

Strobelberger (*Ioannes*) Superioris Hungariae ciuitate, Poſonii, primam lucem adſpexit, ibidem humanioribus litteris excultus arti pharmaceuticae excolendae animum addixit, quam dum Graecii primum et mox Ratisbonae extra patriae limites publice profiteretur, vtrobique labentibus annis ampliſſimo ſenatorii ordinis munere defunctus eſt: artis Apollineae ſtudioſiſſimum toto vitae decurſu exſtitiſſe alumnum certo eſt indicio, quod dum duorum erectae indolis filiornm factus eſſet parens, vtrumque Machaoniis initiandum ſacris decreuit; Ioan-

Ioannes enim Sigismundus apud Ratisbonenſes dexterrimus artis pharmaceuticae magiſter, Ioannes vero Stephanus celebris in choro medentium inuaſit Medicinae Doctor. Ioannem noſtrum Strobelbergerum patrem, eximium in Mſcto *Manuale pharmaceuticum* reliquiſſe, filius medicus memoriae poſteritatis commendauit in opere, inferius Num. XII. ſtatim indicando, quod tali in fronte ſignatum eſt titulo: *Manuale Pharmaceuticum, in quo multarum compoſitionum vſualium in publicis Diſpenſatoriis non occurrentium continentur deſcriptiones a ceteris pharmacopolis hactenus in ſecretis habitae.* Laudati Patris non degener filius.

Ioannes Stephanus STROBELBERGER, Graecii in lucem editus eſt, latinis graecisque litteris mature perceptis ſtudio Medico addiſcendo totum ſe conſecrauit, hoc fine celebres in Germania Muſarum ſedes viſitauit, Vittebergae Dan. Sennertum, Tob. Tandlerum, et Iac, Hettenbachium; Altdorffi Caſp. Hoffmannum; Ern. Sonnerum, et Wolfg. Waldungium, Baſileae Felic. Platerum, et Caſp. Bauhinum; Argentorati denique Io. Rud. Saltzmannum et Melch. Sebizium, fideliſſimos duces ſequutus eſt. Ex oris his Teutonicis in Galliam commigrauit, celeberrimum ea aetate in vniuerſa Europa omnium ſtudiorum emporium, montem Peſſulanum, recto conſcendit itinere, ibi in Aeſculapii templo Rachinum, Varandeum, Pradillaeum, Richerium, et Delortium, ſacris operantes, aliquot annorum interuallo adtentius

tentius auſcultauit, et mox ad d. 15. Maii an. 1614. Baccalaurei, et in Facultate loci medica Conſiliarii, ad diem vero 14. Mart. an. 1615. Licentiati, et nouiſſime omnium Doctoris Medici honoribus ac praemiis adfectus eſt. Laudatiſſimae ſcholae huius, velut matris ſuae ſinu egreſſus, reliquos quoque Galliae, nec non Hiſpaniae et Italiae fines peragrauit, comparatis vbique gentium eruditionis theſauris rediit onuſtus in Germaniam, et mox Vitengoiam in Bohemia ingreſſus, in ſplendidiſſima familiae Schwanenbergenſis aula archiatri munere dum aliquamdiu fungeretur, et exorto horribili in dicta vrbe incendio, omnem bibliothecam vna cum reliqua ſupellectili rerum naturae rariorum et domeſticarum iactura in cineres redactam amitteret, Ratisbonam poſtea fixam fortunarum ſuarum ſedem delegit, inde ſtatis, vertente quouis anno, temporibus, in celebres thermas Carolinas in Bohemia ſitas excurrit, et Caeſarei Hydriatri practici axiomate cohoneſtatus, accurrentis ad thermas populi ſanitati ad dies vitae non ſine proſpero ſucceſſu inuigilauit. Opera Mercklinus in Lindenio renouato collegit, ſed maiori cum accuratione ea recenſuit et vitae curriculum concinnauit Fr. Conſt. Flor. Khautzius in Verſuch einer Geſchichte der öſterreichiſchen Gelehrten. Francof. et Lipſ. an. 1775. in 8. pag. 259. ſeq.

OPERA.

OPERA.

1) *Galliae politicae medicae deſcriptio, de qualitatibus Regni gallici, academiis, vrbibus, fluuiis, aquis medicatis, plantisque diſſerens.* Ienae an. 1620. et 1621. in 12.

2) *I. St. Strob. e monte peſſulano Medici Tractatus nouus, vbi de Cocco Baphica, et quae inde paratur, confectionis Alkermes recto vſu diſſeritur.* Cui inſertus eſt Laur. Catelani genuinus eiusdem Confectionis parandae modus. Ibidem an. 1620. 4.

3) *Thermologia noua, in qua de thermarum generatim, ſpeciatim vero de balneo Diui Caroli IV. in finibus Bohemiae ſito theoretice et practice agitur.* Ratisb. an. 1623. in 8. repet. an. 1629. 1630. 1642. 1647. 1696. 1715. 1733. etc.

4) *Politiae Thermo-Carolinae Prodromus,* das iſt, *Politiſches Carlsbades Vortrab, oder zehen Enarrationes und Erzählungen das hoch und weit berühmte Carlsbadt betreffend etc.* Ratisb. an. 1622. 4.

5) *Maſtichologia, ſ. de vniuerſa Maſtichis natura Diſſertatio medica.* Lipſ. an. 1628. 8.

6) *Breuiſſima manuductio ad curandos pueriles affectus.* Lipſ. an. 1629. 8.

7) *Hiſtoria Monſpolienſis, in qua tum vrbis Monſpeliacae, tum ſcholae eiusdem celeberrimae deſcriptio, ac vitae illuſtrium eius Profeſſorum, quin et accipiendae ibidem docturae ritus,*

ritus, et priuilegia recenſentur. Norimb. an. 1625. in 12.

8) *Diſſertationes ſuccinctae de Peſte,* Norimb. ap. Abrah. Wagenman. an. 1625. in 12.

9) *Praelectionum Monſpelienſium in Monte Pelio habitarum breuis recapitulatio, continens breuem ac ſummariam Libri I. Galeni de affectorum locorum notitia explanationem.* Ibid. an. 1625. 12.

10) *Epiſtolaris concertatio ſuper variis tam theoreticis quam practicis qnaeſtionibus, febrim malignam concernentibus, agitata inter Eum; et Ioach. Burſerum, Annaeberg. Medicum.* Lipſ. 1626. 8.

11) *Remediorum ſingularium pro curandis febribus introductio, cum deſpectu opprobrii medici de febre quartana perilluſtre quoddam exemplum.* Norimb. an. 1626. 8.

12) *Publica intimatio de ſuis tam propriis quam alienis nouis cum Oberndorfferianis, tam Ianichianis operibus medicis edendis publicandisque.* Norimb. an. 1626. 4. plag. 6.

13) *De dentium podagra, ſ. potius de ὀδον τάγρα doloreue dentium, Tractatus abſolutiſſimus.* Lipſ. an. 1630. 8. repet. ibidem an. 1657. in 8.

14) *Syſtematica vniuerſae medicinae adumbratio.* Lipſ. an. 1628. in 8.

15) *Laureationum medicarum apud exteros promeritarum aduerſus obtrectatores breues Vindiciae, in honorem ſcholae medicae Monſpelienſis*

ſis propoſitae. 2. Timoth. II. 5. Norimb. an. 1628. 8.

ARTICVLVS XLVII.

Strvthivs (*Ioſephus*) Praeſtantiſſimus Vir hic, de arte Medica egregie meritus, decimo Seculi XVI. anno natus eſt Poſnaniae, prouida parentum cura domi Latino ſermone, humanitatisque ſtudiis prius imbutus in Cracouienſem litterarum Vniuerſitatem miſſus eſt, ibi poſteaquam Graecas litteras, Philoſophiae ac Matheſeos praecepta G. Libano et Val. Morawſcio magiſtris percepiſſet, Medicinam quoque duce Cypriano Louicenſi primis labiis deguſtaſſet, liberali Patronorum adiutus munificentia, augendae eruditionis cauſſa, Patauium, florentiſſimum illo aeuo omnium artium et ſcientiarum emporium, ſe contulit; ibi Lazaro Bonamico magiſtro duce Graecarum litterarum ſtudium renouauit, maiori accuratione excoluit: ad Medicinam propius excolendam reuerſus, eas praeeunte Franciſco Phrigomelico, exercitatiſſimo Hypocratis ſectatore fecit progreſſiones, vt breui medicam ab ordine Medicorum ſuſciperet lauream tanto quidem praeſtantiae cmine, vt ampliſſimi ſenatus Veneti auctoritate Medicinae practicae explicatio ei demandaretur: quam cum diligenter et induſtrie maximo cum famae argumento exercuiſſet, a Sigismundo Auguſto Rege in patriam tellurem reuocatus, et in archiatrorum numerum

 rela-

relatus eſt. Sed dum Iſabella, Ioannis I. Hungariae Regis vxor, ad inuiſendos patrios lares in Poloniam digrederetur, et moras ibidem necteret, Rex curam ſanitatis Sororis ſuae tuendae Struthio archiatro ſuo commiſit, qui mox Reginam in Hungariam ad ſuos redeuntem comitatus eſt; tanta ſollertia et prudentia demandatam hanc ſibi prouinciam annis pluſculis adminiſtrauit, vt et Reginae, et adoleſcenti Regulo electo, Ioanni II. mirum in modum ob morum quoque ſuauitatem gratus exiſteret: medendi vero dexteritate et peritia in tantum excelluit, vt *Solimannus* quoque celebris Turcarum dominator in ancipiti vitae periculo conſtitutus ad ſe euocauerit, opem medicam ab eo expetiturus, facili promptoque remedio Orientis hunc Principem Noſter graui morbo exemit, et ſic praeclarum in medendo felicitatis monumentum inter barbaram quoque gentem reliquit. Variarum illarum viciſſitudinum, quibus Iſabellae Reginae, Regiique Principis aula pro temporum illorum iniquitate expoſita fuit, Struthius maiorem in modum pertaeſus, reuertit ad ſuos, ab Rege Sigismundo honore debito et liberali proemio, reliquo vitae tempore, adfectus eſt, quoad anno 1568. aetatis octauo ſupra quinquageſimum mortalitatem domi ſuae expleuiſſet. Starauolſcius in Centuria ſcriptorum Poloniae, et Ianocius in memoriis Miſcellis vitam deſcripſerunt. Mercklinus in Lindenio renon. pag. 712. vnius ſaltim atque alterius

terius ſcripti meminit, hic reliqua ex ordine omnia iam enumerabuntur,

OPERA.

1) *De Medicae artis excellentia carmen Elegiacum ad D. Cyprianum de Lowitz, Medicum celeberrimum.* Cracov. excudit Matth. Scharfenberg an. 1529. in 8.

2) *Elegia ad Reu. D. Io. Latalſcium, Epiſcopum Poſnan. et carmen elegiacum Paraeneticum*, id eſt, *exhortatiuum ad ſtudium Eloquentiae*, ſcriptum *ad bonae mentis adoleſcentes*: prior praemiſſa, hoc vero ſubtextum *Declamationi gratulatoriae Chriſtoph. Hegendorffini, in coronationem iunioris Poloniae Regis.* Cracou. Hieron. Vietor. an. 1530. in 8.

3) *Epicedium elegiacis verſibus confectum.* Archiepiſcopo et Primati Regni Poloniae Ioanni a Laſco. Cracou. Matth. Scharffenberg. an. 1531. 4.

4) *Luciani Samoſatenſis περὶ ἀςρολογίας, Aſtrologiam* Eraſmo Rotterodamo interprete; et *Eiusdem Δικη φωνηέντων, Iudicium Vocalium*, a ſe Latina Ciuitate donatum edidit Cracou. opera Matth. Scharff. an. 1531. 8. Et *Commentariorum libros II* in *Luciani Aſtrologiam*, et ingenuoſae fictionis, *Iudicii vocalium*, interpretationem Praepoſiti Gneſnenſis, atque Lancicienſis, *Ioannis a Laſco*, de-

ſignati Epiſcopi Veſzprimienſis in Pannonia *) Maecenatis ſui nomini inſcripſit editam c. figg. ligneis.

5) *Ga-*

---

*) Solimannum in tuenda ſua ſanitate Medicorum non contempſiſſe operam, illuſtri alio docet exemplo Nic. Iſtvànſius Hiſtoriar. Libr. XXIII. pag. 298. eum in certamine mortis conſtitutum a Medico Iudaeo opem expetiiſſe commemorat: aſt non ſuae tantummodo, ſed amicorum quoque valitudinis praecipuam ſuaſit ſemper habendam eſſe rationem; dum enim Ioannes II. electus Partium Regni Hungariae et Tranſiluaniae Regulus, in caſtris Turcorum, ad rudera antiquae arcis Semlinenſis, pone Albam Graecam metatis an. 1566. die 29. Iun. pro officii ſui ratione Solimannum inuiſeret, noluit filium hunc ſuum adoptiuum Orientis Monarcha, vt primum apud animum conſtituerat, lauto amice excipere conuiuio, veritus, ne Ioanni Noſtro, quod eſſet gracili et imbecili corpore, inſueta barbarae ſuae gentis fercula aliquod ſanitati adferrent detrimentum, vt haec *Dauid Roſnyai*, Turcicus Principis Tranſiluaniae Interpres, *in Viciſſitudinibus rer. formidabil. MSctis*, apud Ill. Comitem Kàrolyi adſeruatis, ampliſſimis verbis enarrauit, qui in exacta Itineris huius deſcriptione inter reliquum ſplendidiſſimum adparatum, *Crucem* de collo eius pendentem, pretioſiſſimis adamantibus et carbunculis affabre exornatam, centum mille et amplius nummis aureis aeſtimatam plurimum emicuiſſe commemorat: absque iuſta itaque ratione praeſens Regis Galliarum Legatus: *Guiliel. de Anba*, videtur omnino laudaſſe ob id Ioannem Noſtrum, quod miſſis Romanae Eccleſiae ritibus, ad tutandas Euangelicorum partes ſalubri tranſiuerit conſilio,

5) *Galeni Aſtrologia ad Aphrodiſium.* Spuria quidem iudicata. Exhibens Mathematicae ſcientiae *Prognoſtica de decubitu infirmorum.* Nunc primum a Ioſepho Struthio e Graeco translata. Venet. an. 1535. 8. per Io. Patavinum. Baſil. an. 1536. per Cratandrum. Illata eſt haec interpretatio in editionem operum Galeni Baſileenſem an. 1549. Tom. VIII. col. 43. ſeqq. et Baſil. an. 1562. in Tomo libror. ſpuriorum pag. 12. ſeq. Hunc Galeni librum Conr. Geſner anilium fabularum, et ſuperſtitionis plenum adpellat.

6) *Galeni de Vrinis liber.* περὶ ȣ̂ρων. *Genuinus aliis, aliis vero ſuppoſititius viſus.* Nunc primum a Ioſepho Struthio e graeco traductus. Venet. per Ioan. Patauinum an. 1535. 8. repetiit Cratander Baſil. an. 1536. Comparet

---

lio, quum antea iam pridem deteſtanda Arianorum labe, *Blandrata* Archiatro ſuo conſultore, ſemet coinquinauerat, nam hic quoque religioſae illius factionis in Tranſiluania primipilus humi proſtratus Solimannum praeſens in Tentorio de genu veneratus eſt vna cum reliquo nationis Hungaricae comitatu regio, quorum nomina laudatus ſtatim interpres hoc ordine loco citato exhibuit: *Nicolaus Cſáky*, *Caſpar Bekes*, *Greg. Apaffi*, *Gregor. Bánffi*, *Wolfg. Bornemiſza*, *Mich. Telegdi*, *Nic. Telegdi*, *Georg. Kapitán*, *NN. Conſul Cibinienſis*, *Paul Bég*, *Georg. Blandrata Med. Doctor*, *Nicol. Orbán*, ſinguli deuotiſſimi de *Arii* et *Socini* familia alumni, niſi enim tali opinione imbutum, miniſtrare ſibi ad vltimum vſque vitae halitum Regulus iſte paſſus eſt neminem.

Digitized by Google

ret haec Struthii interpretatio in editione oper. Galeni latina Geſneri Baſil. an. 1562. claſſe IV. pag. 249. et nona Iuntarum Venet. an. 1625. Claſſ. IV. pag. 123.

7) *Cl. Galeni Pergameni de Antidotis libri duo, per tot ſecula ab omnibus deſiderati, in gratiam magni Antiſtitis, Io. Choienii, Epiſcop. Plocenſis*, e graeco in latinum traducti, et Commentariis breuibus illuſtrati a Ioſepho Struthio, publico artis medicae Patauii tunc Profeſſore. Venet. per Io. Ant. de Nicolinis, an. 1537. 8. mai. Subiuncti ſunt huic Galeni Antidotario, Aſtrologiae ad Aphrodiſium Lib. I. et de Vrinis liber ex translatione Struthii.

8) *Cl. Galeni Pergameni in Librum Hippocratis περὶ ἀγμῶν. de fracturis Commentariorum Lib. III.* E graeco in latinum conuerſi a Ioſ. Struthio, publico artis medicae Patauii Profeſſore. Venet. Barthol. Zanetti, an. 1538. in 8. mai.

9) *Cl. Galeni Pergameni in Librum Hippocratis. περὶ ἄρθρων. de articulis Commentariorum Libri IV.* Latine redditi a Ioſ. Struthio, Med. Profeſſ. Venetiis apud eund. an. 1540. in 8. mai. Scholae Philoſophorum et Medicorum Patauinae dedicati.

10) *Artis Sphygmicae iam M. CC. annos perditae et deſideratae Libri V.* a Ioſ. Struthio, Medico conſcripti. Baſil. apud Oporinum an. 1540. in 8. repetit. ibid. an. 1555. it. Venet. an. 1573. 8. it. Baſil. apud Ludov.

König,

König, an. 1602. 8. Huic acceſſit *Hieron. Capivaccii de Pulſibus elegans tractatus*, et *Caſp. Bauhini introductio*, *Pulſuum ſynopſin continens.* Non piget haec commemorare, quae de his Auctor ipſe ab initio Libri primi ſcribit: *Habuit olim ars ſphygmica celeberrimos auctores*, *Aſclepiadem*, *Athenaeum*, *Eraſiſtratum Magnum*, *Archigenem etc. ultimum omnium Galenum*, *Archigenis et Herophili commentorem. Sed hi omnes partim iniuria temporum, partim incendio templi Pacis Romae nobis ſunt adempti. Reſtant libri de Pulſibus Galeni non adeo exigui, ſed inextricabiles, quos nemo vnquam latinos intelliget, etiam ſi quis ad inſaniam vſque ſe in eis exerceat, et graecos non facile: ſunt enim pluribus in locis mutili et deprauati, ac ea ſpe a Galeno conſcripti, quod vix vnus e mille, vt ipſemet teſtatur Galenus, eos ſit intellecturus etc. Ego quae iam a XX. annis moliri coepi et exſtruere, libens ſtudioſis profero, vt ſaltem delicatioribus ingeniis anſam praebeam, aggrediendi et proſequendi ſublimiora huius artis opera. Quod vero haec ars ſit vtilis et honorifica, vel inde coniicias, quod Galenus nulla alia Philoſophiae parte inclaruerit aqud Senatores Romanos et Imperatores, quam ſphygmica. De me ipſo citra notam arrogantiae dicere poſſum, quicquid ego auctoritatis apud populares atque exteras nationes, quicquid inuidiae apud aemulos, quicquid opum et diuitiarum ſum adeptus, id totum diuinae benignitati, et arti ſphygmicae acceptum fero.* Tanto cum

Digitized by Google

diſcentium docentiumue adplauſu eoque admirabili prorſus liber hic Struthii de arte ſphygmica publicatus, primum exceptus eſt, vt 800. illius exempla vno die diſtracta fuiſſe Mercklinus in Linden. renov. pag. 712. referat. Licebit forte mihi quoque hic ea verba repetere, quae in calce obſeruatiouum Medicarum mearum Vltrai. an. 1756. in 4. edit. et Lauſannae an. 1758. ab Ill. Hallero repetit. olim in hanc rem erotematice propoſueram: *Cur iucundiſſima et vtiliſſima illa ſimul de Criſibus* (ex Pulſu) *doctrina ab ipſis Hippocratis et Galeni temporibus iacuerit fere neglecta, ſi Proſp. Alpinum cum Dureto excipias, et nuperum Solanum cum ſuis corriualibus, Nihello potiſſimum? An quia Doctrina hoec nullo nitatur fundamento? aut improbo adquiratur labore? vel forte fatendum, plusquam ſupinam hic arguendam eſſe Medicorum omnis aeui negligentiam?*

11) *Operum diuerſi generis veterum Poëtarum et Aſtronomorum ex idiomate graeco in latinum translatorum* ipſe meminit in erudita dedicatione Luciani declamationi Δίκη φωνηέντων praemiſſa, quae tamen omnia temporum iniuria intercidiſſe exiſtimat Illuſtr. Ianocius in relatione rariorum librorum Biblioth. Zaluſcianae Germ. P. IV. n. XLIV. qui vitam Struthii noſtri in miſcellis ſuis deſcriptam vberius loco hoc repetit ex Starovolſcii Hecatontade ſcriptorum Polonicorum edit. Venet. an. 1627. pag. 180—81—82. ſeq.

at

et laudatione almae Academiae Cracouienſis, an. 1639. pag. 14. quam Padadopoli in Hiſt. Gymnaſ. Patauini Tom. II. pag. 218. ſeq. et Mangetus in Bibliotheca Scriptor. Medic. Tom. II. part. 2. pag. 330. ſeq. ſola Francofurtana editione contenti ieiune admodum exhibuerunt. Hoc quoque de Struthio nouiſſime iam adiiciemus, Eum non modo laudatam Luciani Declamationem lepidiſſimam ſed et Comentarios in Luciani aſtrologiam cum fig. ligno affabre inciſis exornatos, Ioanni de Laſco Epiſcopo Weſzpremienſi, notiſſimo in Hiſtoria eccleſiaſtica Viro dedicauiſſe, atque in his illud prae primis ſingulare eſſe, quod in adnexa praefatione candide profiteatur eam aetate ſua prauam immo ſtultam plerorumque, ſuae in primis gentis, hominum mentibus inſediſſe opinionem, antiquioris aeui ſcriptorum lectionem, graecae potiſſimum atque hebraicae linguae cognitionem ad amplectendas et fouendas haereſes viam eſſe quam expeditiſſimam. Meruit interim tanti viri epitaphium ex primario loci natalis templo erutum hic iam adponere integrum:

Ioſephus Struthius,
Philoſophiae ac Medicinae Doctor
Librorum Graecorum Latinus interpres,
Publicus olim ſtipendio Senatus Veneti,
Artis Medicae Patauii Profeſſor,
Artis ſphygmicae per tot ſecula abolitae Reſtaurator,

 Poſtea

Poſtea Sereniſs. Principis Sigis. Auguſti
Regis Poloniae
Medicus.
Obiit An. Dom. MDLXVIII. Aetat. ſuae LVIII.

ARTICVLVS XLVIII.

Tectander (*Ioſephus*) Cracouiae, primaria Poloniae vrbe, patre Ioanne cognomine, Conſule ciuium grauiſſimo genitus, fideliſſimos in patria Academia Rudolphum Agricolam, Georg. Libanium, Matthaeum Samotulinum in principio iuuentutis nactus praeceptores, latinis et graecis litteris, liberalibusque diſciplinis diligentem impendit operam, in litterarum vniuerſitatem, quae Patauii hodiedum egregie floret, arti medicae addiſcendae operam nauaturus commigrauit, fideli in hac muſarum ſede Lazari Bonamici et Matthaei Curtii potiſſimum inſtitutione vſus vniuerſum artis aſclepiadeae ambitum pro virili emenſus eſt. Relictis poſt longiorem moram exactam Italiae finibus, Heluetiam ingreſſus, Baſileae aliquamdiu reſtitit exquiſita Eraſmi Rotterodami inprimis doctrina et humanitate delinitus. Facto mox per mediam Germaniam itinere, Vindobonae Caſparis Vrſini Velii amicitia, et Vratislauiae Georgii Logi familiaritate et ſingulari eruditione plurimum oblectatus, et nouiſſime patriae vrbi redditus, illico eum Cracouienſium Palatinus et Praefectus, regnique Mareſchallus, Petrus Kmita in numerum familiarium ſuorum

rum cooptauit, et mox bonae nomine Reginae de meliori nota commendauit effecitque, vt dum Ioannes Zapolya, antiquae Daciae Ripenſis et Mediterraneae Regulus Iſabellam, Sigismundi ſenioris Poloniarum Regis filiam, in matrimonium ſumeret, eam in Hungariam ad maritum ſuum ituram Tectander noſter ea lege ſecutus eſt, vt ſcribendarum ſecretiorum Epiſtolarum Magiſtri et Archiatri munere apud Reginam fungeretur, quam quoque honorificam ad dies vitae rite exornauit prouinciam, Reginae namque ſuae variis fortunae procellis in vniuerſa Hungaria et Tranſiluania exagitatae intemeratam in obeundo vtroque munere bis gemino fidelitatem praeſtitit, quoad annum MDXLIII. in optimo iuuentutis flore in noſtris his exſtingueretur oris, deſponſata prius pro vitae torique ſocia Georgii Wernéri filia, Sabina, lectiſſima virgine; ita rem hanc Ioannes Langus, amicus integerrimus, in *Luctu Pannoniae*, Cracouiae an. 1544. typis Vietoris in 8. excuſo, lugubri expreſſit carmine.

Deſignata mihi Werneri filia coniux,
Sed prope iam vita, deficiente fuit.
Vita minus quam virgo dolet deſerta Sabina,
Ah propetata mihi tardaque fata nimis.
Fructus erat ſanctam ſaltem tetigiſſe puellam,
Clauſa forent digitis lumina noſtra ſuis.

Idem Io. Langus tale cariſſimo ſuo Tectandro perenne ibidem poſuit monumentum:

Tectan-

Tectandrum tumulo breuis haec tegit vrna Io-
ſephum,
Ingenium iuueni non iuuenile fuit,
Phylliride clarus ſtudiis ſciuiſſe decebat,
Ingenuum quidquid Chriſticolamque ſciit.
Cui toties vltro vel Turca pepercerat hoſtis,
Ante diem perimit de tribus vna ſoror.
Ah ſuſpiratum toties patriae atque propinquis,
Tam procul a patria te cecidiſſe tua.

Eruditionem medicam, linguarum peritiam, et fatorum acerbitatem quodam modo delineaturus, luctuoſo hocce adſiduum ſuum fidiſſimumque vitae et ſtudiorum ſocium *Valentinus Eckius* cohoneſtauit Epigrammate, *luctui Pannoniae* interſerto:

Arte potens medica, et linguarum munere clarus,
Tectander gentis gloria magna ſuae.
Iactatus grauibus curis, magnisque periclis,
Principibus ſtudium dum probat ipſe ſuum.
Nunc omni aerumna vacuus, vacuusque labore,
Securusque ſui mole ſub hac recubat.

Georgius vero *Wernerus*, Biographiae noſtrae Centur. I. Articulo XCIX. laudatus, tale genero ſuo non leui animi moerore perfuſus adiecit Satyricon:

Tectander Medicus iacet hic, Medicina valeto:
Quid ſperent alii, ſi perit author opis?

Digitized by Google

OPERA.

1) *Elegias III. de peregrinationibus ſuis*, Illuſtri Viſnicenſi Comiti, D. Petro Cmitae, Palatino Cracouienſi, ac regni Polonici ſupremo Mareſchallo dedicatas edidit Cracouiae ex officina typographica Vngleriana An. 1542. in 8. mai.

2) *Cl. Galeni de venae ſectione aduerſus Eraſiſtratum Liber, ad Graecorum exemplarium fidem recognitus. Ioſepho Tectandro interprete. Alterque de Venae ſectione aduerſus Eraſiſtrateos, qui Romae degebant. Interprete eodem Tectandro.* Cum reliquis Galeni operibus latine redditis, Iani Cornarii Zvicauienſis Medici cura, Baſil. apud Hieron. Frobenium, et Nicol. Epiſcopium an. MDXLIX. in fol. Tomi V. claſs. VI. col. 1058. 1059. ſeqq. Vtraque Tectandri interpretatio latina in Galeni operibus locum occupat etiam in editione nona et vltima Iuntarum veneta, an. 1609. an. 1625. in fol. claſſe VI. pag. 7. et 9. et Pariſina Graecolatina an. 1639. Tom. X. pag. 392—406. Item in editione Baſil. an. 1562. claſs. VI. pag. 9. — 17. ſeqq. Sed hos Galeni libros a Tectandro verſos Cratander primum ſeorſim excudit Baſil. anno 1536. Recuſi Lugduni apud Rouillium an. 1549. in 16. cum annotamentis ad margines. Quas inconſtantis fortunae viciſſitudines experiri debuerit Tectander noſter medicus, quoad in

Aula

Aula Regia, Ioannis I. Iſabellae, et Filii Regii Principis, curam tuendae ſanitatis fideliſſime geſſerat, facile coniici poterit, ſi ex *Mauſolaeo Principum Tranſiluaniae* inedito MScto, luce publica digniſſimo, quod in hac vrbe noſtra recentiſſime ab aLIqVo rIpensI DaCo eXſtrVCtVM eſt, iniqua Regis Reginaeque huius fata in has Tabellas relata commemorauero:

IOANNES ZAPOLYA I. PRIMVS TRANSILVAN. PRINCEPS
Patre ortus Stephano,
Comite de Zapolya;
Regni Hungariae Palatino,
An. MCCCCXCIX. fato functo:
Matre Hedwiga,
Ducis Teſchinenſis in Sileſia Filia,
ex qua
Frater illi conſanguineus erat *Georgius de Zapolya*.
in Amphitheatro, Ludoque Martiali Mohacſienſi;
Exercitus
Ludovici II. Regis
alter Belli Dux:
cui
et noſter Ioannes
Tranſiluaniae tunc Woywoda,
vt filius Martis,
cum ſuis Tranſiluanis laudabiliter interfuit.
Ita Hungaria
funeſta clade adflicta,
Rege ſuo,
omnibusque ferme Regni Proceribus,
vno die orbata;
in duas abierat partes,
vt
Pannonia Ferdinandum I.
Dacia vero Ripenſis, et Media Ioannem,
in Reges
eligerent.
Hoc modo, adepto poſt fata Ludouici Zapolya Tranſilu. Principatu,
Petrum Perényi in Gubernatorem Prouinciae praeficit,
ipſe ſolus
in Partibus Regni Hung. variis bellicis diſtractus occupationibus,
Aſt

Aſt breui,
Perenyio infidelitate apud Principem accuſato,
Stephanus Bathori illi a Ioanne ſubſtituitur.
Interim
Pax inter vtrumque Regem Waczini inſtituitur;
ſed et procellae internae in nouo principatu oriuntur,
ad quas ſedandas
Zapolya,
conquiſitis celerrime copiis,
relicta Budae vxore,
Tranſiluaniam intrat;
vbi
ſopitis ſtatim Prouincialium diſſidiis,
in Caſtris
male habere ſemet incipiens,
Anno MDXL,
XX. Iulii
nocte animam efflat
An. aetat. LIII.
Cadauer eius Albam Regalem deductum.
ad antiquos Reges inhumandum.
Vxorem habuit Iſabellam,
Sigismundi Poloniarum Regis Filiam,
quae
Antequam Ioannes in Tranſiluania fata naturae ſubiret,
Budae
Maſculum elegantem enixa eſt.
Vxori Pupilloque
Tutores teſtamento fieri iuſſit Rex
Georgium Martinuſium,
Epiſcopum tunc Varadienſem,
et
Petrum Petrowitzium,
Tömöſvarii Praefectum, ſanguine ſibi iunctum.

IOANNES II. ZAPOLYA, SECVNDVS TRANSILV. PRINC.
Audita Mariti ſui morte Iſabella,
Pupillum
ſtatim baptizari,
eoque actu peracto,
in ſuo amplexu
Corona Hungarica inaugurari curauit.
Solemannus
Reginam Buda excitam
in Tranſiluaniam mittit,
vbi
ſub Gubernatura
Georgii Martinuſii, aliorumque poſt illum,
Varia

Digitized by Google

Varia fata Iſabellæ experiri coacta eſt,
donec
An. MDLIX. die XX. Septembr.
debitum naturae perſoluens,
Albae, in Templo S. Michaëlis ſepeliretur,
relicto in Prouincia Principe,
Filio Ioanne II. iam maiorenne,
Quod Principis huius animi qualitates adtinet,
fuit is, vt traditur.
ambitioſus, imbecillis iudicii,
vt qui in Gynaeceo
inter viliſſimorum hominum et muliercularum coetus
fuerat educatus,
adeoque
non ad gubernandum natus.
Hic etiam poſt varia fata,
quae
demortua Matre,
per decennium expeririri coactus eſt,
deteſtanda Ariana labe infectus,
Anno MDLXXI.
morbo diuturno detentus,
viuere caelebs deſiit,
An. aetat. XXXII.

Haec ex Mauſolaeo Principum Tranſiluaniae Mſcto, loco ſpeciminis hac vice adduxiſſe ſufficiat. Sed habet ciuis hic non contemnendae eruditionis huias I*. Cs*. alia quoque huiuscemodi opera Mſcta in clariorum politiorumque hominum manus emittenda: 1) *Methodus vel Tabula, qua ſcientiam Numiſmaticam bono ordine tractandam rei Numariae Patronis, eiusdemque cultoribus grata mente offert.* 2) *Scientia Numiſmatica, avagy Pénzekröl való Tudomány, mellyet külömb-külömb féle jó Irókbol nagy munkával öſzve ſzedegetett, és a' más nyelveket nem értök kedvekért Magyarul el-intezett és keſzitett.* 3) *Succincta Commentatio Heraldico-critica de inſigni-*

inſignibus regni Hungariae, vt et Principatus Tranſiluaniae Heraldicis. 4) *Ars Heraldica, avagy Czimerekröl valö Tudomány, mellyben azoknak eredetek, külömb féle voltok, és minémüségek illendö rendel elöl-adattatnak.* 5) *Chorographia M. Principatus Tranſiluaniae cum antiquis Romanorum inſcriptionibus ibidem repertis, e probatiſſimis Scriptoribus concinnata a Debrecino-Ripenſi-Daco.* Dum inter Saxones ſtudio Iuris penitius addiſcendo operam impenderet, emiſit in lucem Librum Halae Magdeburg. an. 1749. in 8. plag. 18. hoc ſignato titulo impreſſum: *Magyar Orſzág Hiſtóriájának rövid ſummája*, Martino Domokos Iudici Ciuitatis primario, et Senatui Debreczinenſi oblatum; cuius Pars I. Geographicam; altera Hiſtoricam, tertia Politicam, continet Regni Hungariae deſcriptionem. Qui praeterea vniuerſam Hungariae Hiſtoriam patrio ſermone ſcriptam in gente noſtra ediderint, lubebit nominum et titulorum tenus recenſere: a) *Székely Iſtván'* Mundi Chronicaja. Cracou. 1558. 4. b) *Heltai Gáſpár* Kronikája a' Magyaroknak dolgairol, auagy Magyar Bonfiniuſſa. Claudiop. 1575. in fol. c) *Groff Zrini Miklos'* a' Magyar kronikának veleje és ſummája. Vien. an. 1660. edit. ſub ficto Gregorii Pethö nomine. d) *Samuel Kálnoki*, Comes, omiſſo Greg. Pethö nomine, inſigniter auctam repetiit Vien. 1702. 4. alph. 1. pl. 5. definit in an. 1629. e) Praefixo iterum

rum Greg. Pethö nomine et hoc adiecto titulo: Rövid Magyar Kronika recuſa Caſſou. an. 1729. 4. alph. 1. pl. 3. explicit in an. 1626. f) *Andreas Spangar* eamdem Hungariae hiſtoriam pluribus appendicibus locupletatam iterauit Caſſou. an. 1734. in 4. plag. 22. et adiecta ſcriptorum Hungariae litteratorum Bibliotheca, ibidem an. 1738. 4. alph. 1. plag. 16. g) *Ioannes Kováts* quoque Zrinio-Pethöianum Hungariae Chronicon pro lubitu a ſe interpolatum vulgauit Poſon. an. 1742. in 4. Sed vti Spangarus ita nec Kovátſius ab aculeatis ſemet abſtinuerunt dicteriis, quod in Hiſtoriarum ſcriptoribus cordatiores viri minime ferendum eſſe merito cenſent. h) *Liſznyai Pál Chronikája* a' Magyarok dolgairol. Debreczen. 1692. 12. i) *Franciſci Nadasdi*, Comitis, Mauſolaeum Regum et Ducum Hungariae Norim. an. 1664, in fol. Latine editum *Alexius Horányi* Hungaricae conſuetudini nuper tradidit ſub titulo: A' Magyar Orſzág Kiralyainak ës Kapitányainak emlékeztetö koporſo 'epülete. Budae absque indicio anni in 4. alph. 1. plag. 12. k) *Ladislaus Liſtius* in *Magyar Márs*, ſeu deſcriptione cladis Mohatſianae Hungarica, Vien. an. 1653. in fol. edita, Regum Hungariae laudes ab an. Chriſti CDI. ad an. MDCLI. ibidem in adſuto Tractatu plag. 11. Rhythmis Hungaricis decantauit,

ARTI-

ARTICVLVS XLIX.

Ziegler (*Andreas*) Zieglerianum nomen ne hodiedum oblitteratum eſt in Tranſiluania, Chriſtianus enim *Ziegler* in Eccleſia Cibinienſi curio ſacer, eiusdemque Capituli Decanus eſt, ante eum in exordio labentis ſeculi *Martinus Ziegler*, primum gymnaſii Coronenſis Rector, tandem Praſmarinus et mox Brenndorffenſis parochus memorabilia Barcenſia collegit, et in Mſcto reliquit ſub tali titulo: *Virorum coronae illuſtrium vita, honores, mors, ab an.* 1549. *ad an.* 1687. *et amplius. Congeſſit Martinus Ziegler Coronenſis.* *) *A Martino Zieglero* profecta fuiſſe nouimus 1) *Antiquitates Tranſiluaniae ex lapidum inſcriptionibus et numis antiquis variis obſervationibus Hiſtorico-Criticis explicatas.* 2) *Inſcriptiones ad moenia Coronae vrbis*

 ad-

*) In hoc Mſcto Mart. Ziegleri codice, vitas, honores et mortes virorum Coronae illuſtrium complexo talia legi obſeruauimus ad *an.* 1661. *d.* 14. *Septembr. obiit excellentiſſimus atque doctiſſimus Dominus Hegenetius Troſtfried, Phyſicus Coronenſis ordinarius, natione Germanus Görlizenſis.* Medici huius Coronenſis Troſtfriedii memoriam praeterea nobis conſeruauit Io. Dau. Rulandus, Med. Doct. Poſonienſis, qui dum Pharmacopaeam ſuam nouam Leutſchouiae an. 1644. in 8. recuſam Eidem dono mitteret, quae hungarice quoque iam verſa legitur, talia manu propria inſcripſit: *Praeſtantiſſimo viro Domino Troſtfriedio Hegenetio, p. t. Medico Coronenſi, ſuoque fido conuictori, Coronam mittit author.*

Digitized by Google

adſcriptas, in 4. Noſtrum *vero Andream Ziegler*, Medicum, patria Coronenſem, dum apud exteros ſtudiis nauaret operam, et artem excoleret ſalutarem, talia comperimus publicaſſe.

OPERA.

1) *De corpore humano exercitatio decima, quae agit de ſenſuum externorum et vocis atque ſermonis inſtrumentis propriis.* Praeſide Gregorio Horſtio, Philoſ. et Med. Doctor. Cal. Nov. Viteb. an. 1606. in 4. plag. 2. Dedicata eſt Danieli Reipchio, Paſtori Weidenbachenſi; Petro Fronio, paſtori Praſmarienſi, et Bartholomaeo Sigero, paſtori Zeidnenſi.

2) *Diſputationum medicarum XV. de ſignis prognoſticis*, eodem Praeſide, d. XV. Mart. ibidem an. 1607. in 4. plag. 5. Oblata eſt Andreae Hermelio, Archidiacono Coronenſi, nec non Io. Scharkangero, gymnaſii patrii Rectori.

3) *Theſes medicae, de cordis ventriculi mordente dolore, et colica paſſione*; de quibus - - praeſide Erneſto Hettenbachio, Phil. et Med. Doct. ac Pr. P. diſputabunt teſtimonium profectus ſui in arte Hippocratica accepturi *M. Ambroſius Rhodius* Mathemat. Pr. P. *Ioannes Palemonius*, Magdeburgicus; *Andreas Zieglerus*, Corona-Tranſiluanus, d. X. Aug. Vitteb. an. 1610. in 4. plag. 2½. NB. *Rhodius* diſputat de Cardialgia, ſeu ſtomachi

machi mordente dolore, eiusque curatione. *Palemonius de Colica Paſſione*, *Zieglerus* denique *de Curatione*.

ARTICVLVS L.

V'ARADI (*Matthias*) Poſteaquam non humanioribus ſolum diſciplinis, ſed ſublimioribus etiam ſcientiis in Patriae ſcholis tradi ſolitis animum excoluiſſet, amicorum ac praeſertim *Paulli Beldi*, illuſtriſſimi viri, communis tum litterarum in Tranſiluania Maecenatis opibus ſubleuatus, in oras Batauas tamquam in apertum campum an. 1665. excurrit, ibi liberaliore et concitatiore curſu ad laudem contendens. Multi tum Traiecti ad Rhenum, quo ſe primum muſis ſeuerioribus litaturus receperat, morabantur nationis Hungaricae viri iuuenes, elegantiorum diſciplinarum fama conſpicui; optato ibi rerum ſucceſſu beatus, atque in muſarum ſinu placide conquieſcens, ſingulare ingenii ſui monumentum, de Votis inſcriptum, elucubrauit; anno poſtero, qui fuit ſexageſimus ſextus, in vicinam ſtudiorum vniuerſitatem Lugduno-Batauam, quum ſublimiora ſemper adpeteret, pedem promouit, in hac muſarum ſede dum aliquamdiu, ita libello Academiae memoriali, quem protocollum vocamus, adteſtante, cum reliquis popularibus, *Andrea Katona*, *Andrea Sellyei*, *Ioanne Köpeczi*, *Mart. Déſi*, *Mich. Sárpataki*, *Mich. Szent Györgyi*, *St. Eſzéki*, et *Stephano Pataki*, prae-

claram illam indolem, quam a natura nactus eſt, variis exercitationibus ſcholaſticis egregie firmaſſet ornaſſetque, anno ſequente 1667. nomen ſuum albo academiae Friſiorum Franequeranae inſeruit, ibi triennii fere ſpatio, quos in ſublimiori ſtudiorum curriculo emetiendo nactus fuerit e popularium ſuorum numero commilitones, eos nominum dumtaxat tenus commemorare, e re noſtra quodammodo eſſe duximus: *Martinus Szilágyi*, *Paullus Csekei*, *St. Teremi*, *St. Báthori*, *Gerhardus Kabai*, *Andr. P. Liſzkai*, *St. K. Szönyi*, *Mich. Szoboſzlai*, *Thomas Gyarmati*, *Paul. Sallai*; *Georg. Szigeti*, *Andr. Sz. Mihályi*, *Paul. Szepſi*, *Io. Manyoki*, *Sam. Szoboſzlai*, *Nic. Kölgyeſi.* Dum loci huius celeberrimorum id aetatis medicorum quoque conſuetudine et doctrina fuiſſet vſus, tantum operae laboris atque induſtriae in arte ſalutari vir ſolertiſſimus inſumpſit, vt ſolemniter lauro atque Doctoris Medicinae Inſignibus, edito prius non vulgari eruditionis ſpecimine, donaretur, et mox in patria peruagatam eruditi non minus quam felicis Medici famam conſecutus, vtiliſſimi patriae ciuis nomen plurimis annis egregie tueretur, et ſimul verbi diuini Praeconis in Eccleſia Siculorum Kezdi-Váſárhelyienſi partes in ſe ſuſceptas ſingulari feruore ac integritate ad finem vſque vitae expleret.

OPERA

Digitized by Google

O P E R A.

1) Diſput. Theolog. Praeſide Eſſenio. *De Votis.* Traiecti ad Rhen. an. 1666. in 4.

2) Diſput. inaug. medica pro Gradu Doct. in Medic. *De Phthiſi.* Franequerae an. 1669. in 4.

3) *Egö ſzövetnek, avagy ragyogó Fáklya, melynek tündöklö világoſſága a N. Bál Iſtennek oltára alá rejtetett lelki fertelmeſſé'get, és á he't Hegyeken fekvö Antikriſtus Seregének Iſten nyája közzül való ki ſzakadáſát ki mutattya.* Franeq. an. 1668. in 8. Liber hic pro genio ſeculi ſuperioris conſcriptus, nuncupatus eſt Magnifici olim *Paulli Béldi* de Uzon, Conſiliarii, Exercitus Tranſiluanici Ducis, Comitatus Szolnok interioris Comitis, trium ſedium Siculicalium ſupremi Iudicis Regii honoribus, qui ex Suſanna Vitéz, vxore, Clementem et Dauidem, nec non Suſannam, Paullo Veſſelényi èlocatam, ſuſcepit liberos.

Supplementa ad Biographiam Medicor. Hungar. et Tranſilu. Centur. I.

In Artic. 55. MANARDVS. Ad vitam Io. Iac. Manardi, Wladislai II. et Ludouici II. Regum Phyſici illuſtrandam iuuabit ſpicilegii loco adieciſſe, eum omnium fere optume, vt equidem opinor, atrocis morbi gallici originem, naturam, et curandi methodum, Epiſtolarum medicinalium Baſil. anno 1549. in

 fol.

fol. edit. Lib. VII. Epiſt. 2. Lib. XIV. Ep. 4. Lib. XVII. Epiſt. 3. 5. Lib. XIX. Epiſt. 4. Lib. XX. Epiſt. 1. aetate ſua explicuiſſe: dum enim in exitu ſeculi XV. *luem hanc veluti multicipitem hydram ad coërcenda humani generis delicta in nos graſſari permiſiſſet*, atque hydrargyrum in ea debellanda ſpem curamque Medicorum ſubinde eluſiſſet, *Ebeni indici decocto*, ſingulari lege a ſe parari ſolito, euentu proſperrimo curari poſſe omnium primus Medicis Academiae Cracouienſis auctor fuit, atque inter ceteros Epiſcopi Cracouienſis, Poſonii et Viennae ſibi noti, et ope argenti viui male curati exemplo confirmauit. Ergone infamem iſthunc morbum, luem gallicam vocatum, in noſtris quoque his Pannoniarum oris, atque vicinis, aeuo Manardi, archiatri noſtri, graſſatam fuiſſe dixerimus? luculentiſſime ſane id ex laudatis eius epiſtolarum medicinalium Libris intelligitur, et tantopere populares noſtros teterrimum morbum hunc extimuiſſe, vt in librum diuinorum officiorum Eccleſiae Strigonienſis formulam *Miſſae de B. Iob contra morbum gallicum* legamus an. 1512. inſertam fuiſſe, quo nimirum Manardus noſter Ferraria in Aulam Wladislai Regis Budam aduocatus eſt, ita titulum vetuſtus codex in fronte gerit: *Miſſale ſecundum chorum almae Eccleſiae Strigonienſis*, in fol. ſic vero exſplicit: *Venetiis accuratiſſime impreſſum in aedibus Petri Lichtenſtein Colonienſis germani. Impenſis Vrbani Kaym librarii Budenſis anno virginei partus* 1512. *die* 3. *Auguſti*. *Haec*

in

In *Secretis* leguntur: *Hoſtias tibi Domine dicatas placatus aſſume; vt intercedente paciente Iob cum omnibus ſanctis tuis: ulcus peſſimum a ſupplicibus tuis remoue: vt reſtituti priſtinae ſanitati te digne poſſint laudare. Per Dominum etc.* Repetitum ibidem eſt idem *Miſſale Strigonienſe* in 4. cum *Miſſa beati Iob contra morbum gallicum*, et adiunctum in ordine officium de S. Rocho contra peſtilentiam, eodem *Petro Lichtenſtein editore. Impenſis* vero Stephani Hekel de Riuulo Dominarum (Nagy-Bánya hungarice) *Librarii Budenſis an.* 1513 *die* 4. *Ianuar.* Iteratum ibidem cum adnexa Miſſae Iobi formula, eodem et formato, et editore, anno et die, *impenſis* vero *Vrbani Kaym librarii Budenſis.* Hoc definito potiſſimum tempore infamem hunc morbum Hungaros maximopere metuiſſe eo in primis colligas indicio, quod Miſſalium, prioribus annis editorum, exemplaria nullam antea illius faciant mentionem; primum eorum, quae nobis ſollicite indagantibus innotuerunt, in 8. formatum ſic explicit: *Venetiis accuratiſſime impreſſum arte Lucae Antonii de giunta florentini, impenſis vero Ioannis Pacp librarii Budenſis anno Domini* 1507. 16. *Kal. Octobr.* Alterum verbis his concluditur: — — *ſecundum almae Eccleſiae Strigonienſis chorum bene reuiſum et fideli ſtudio emendatum. Impreſſum Venetiis per Ioannem Emericum de Spira anno ſalutiferae incarnationis domini noſtri Ieſu Chriſti* 1495. *prid. Kal. Novembris.* Tertium, regnante Matthia Coruino Rege, *ad vſum Eccleſiae Strigonienſis Norimbergae*

gae anno 1484. *per Antonium Koburger.* Quartum *ad vſum chori almae Eccleſiae Quinque - eccleſienſis. Venetiis impenſis Ioannis Pacp Librarii Budenſis, anno* 1499. *VIII. Kal. Maii.* Denique omnibus his antiquius et litteris Gothicis anno Domini MCCCLXXX. in fol. corio pergameno inaratum, in Eccleſia principe Caſſouienſi, D. Eliſabethae, Andreae II. filiae dicata hodiedum adſeruatum, quod ſic incipit in folio lacero: *Sabbathis diebus de dominica Gloria in Excelſis etc.* Sequitur *Miſſa de S. Nicolao. Statuit.* Tandem *orationes ſacerdotis ante Miſſam: ſumme Sacerdos etc.* mox rubrica talis ſubnexa: *Sub anno domini MCCCLXXIX. currebat c. pro lr̄a renovāonis, et computantur hore renouaōis ab aurora. Item nō: quod ſingulis an̄is variatur lr̄a renouāonis in alfabeto ab a. computando ad r.* adtextum eſt codici Mſcto *Kalendarium* tali praefixo carmine: *Principium Iani ſanxit tropicus cap'corni etc.* Sed nulla in recenſitis his quinque codicibus vetuſtioribus Hungariae ſacris facta morbi gallici mentione: non abſimiliter tacet de eo *Miſſale* quoque, in ſcriniis noſtris deliteſcens ſplendidiſſimum, *de tempore et ſanctis ſecundum Rubricam metropolitane eccleſie Salczeburgēſis cum omnibus ſuis requiſitis, in officina Georgii Stuchs ex Sultzbach ciuis Nurnbergen. expenſa Io. Ryman impreſſum. Idib. maji anni ab incarnatione Meſſie* 1505. *finitum*, conſtans fol. 252. *Canone Miſſae, corio pergameno vncialibus litteris Gotthicis impreſſo*, in fol. prae primis vero ſequioris aeui codices huiuscemo-

cemodi eccleſiarum ſacri, vt ipſum quoque e. gr. *Romanum*, quod tenemus, *ex Decreto Concil. Trident. reſtit. et Pontif. Pii V. iuſſu Antverp.* 1598. *in* 4. *edit.* Aſt proſtat interim tamen apud nos *Miſſale ſecundum chorum Patauienſem* (Paſſau) *tam de tempore quam de ſanctis ordinatiſſime diſpoſitum et emendatum*, quod *Ioannes Vinterburger ciuis viennenſis impreſſit et feliciter finiuit anno Chriſti* 1509. *menſe Ianuar. die* 29. *in Vienna Pannonie.* Ex codice hoc Paſſauienſi in 4. formato exiſtimamus e fol. 260. depromptam fuiſſe *Miſſam beati Iob contra morbum gallicum*, quam libris diuinorum officiorum Strigonienſibus an. 1512. et 1513. inſertam fuiſſe ſuperius ſtatim retulimus; quandoquidem Miſſam Iobi Paſſauienſem cum Hungaricis ex aſſe, ne littera quidem demta, conuenire deprehenderimus. Inter cetera *Miſſalia* nobis obvia, duo praeterea *ordinis Praedicatorum* (Dominicanorum) in 4. formata, *arte et impenſis Luce antonii de giunta florentini in clariſſima et ampliſſima Venetiarum vrbe impreſſa*, obſeruare licuit; alterum *anno ſalutis* 1506. *per venerabilem Patrem Frēm Albertum Caſtelanum Venetum Ord. Praedicatorum reuiſum correctum et emendatum;* alterum *anno* 1512. 16. *Kal. April. ibidem* editum: in vtroque quidem horum codicum exemplari recitatur *Miſſa de S. Iob Propheta*, ſed diuerſis prorſus verbis concepta eſt ab ea, quam vel in Paſſauienſi, aut Strigonienſibus noſtris legi monuimus exemplaribus; id vel ſolo *ſecretorum* exemplo hic iam a nobis

exſcri-

exſcribendo fiet manifeſtiſſimum: *Suſcipe Domine propitius hoſtias, quibus beati Iob meritis te placari voluiſti; et nobis ſalutem corporis et animae potenti pietate reſtitue. Per Dominum etc.* Iam vero haec et alia plura a notiſſimo Rev. Bernh. Sannigio in Collectione ſeu apparatu ſuo Venet. an. 1764. in 8. plag. 14. edito, ad leniendas corporis aegritudines paſſim commendata remedia, modone votiuo aut curatiuo vel etiam praeſeruatiuo vſurpanda ſint propoſita, ediſſerere nobis haudquaquam licet, quum in breui labore modum tenendum eſſe probe ſciamus. Verbo nouiſſime ſufficiat monuiſſe varias *Manardi* noſtri epiſtolarum medicinalium editiones, non ſine mendo olim a nobis indicatas, ex *Chriſt. Wilh. Keſtneri Biblioth. Medic.* Tom. II. pag. 291. cognoſci; effigies vero ligno cuproque inciſas ex *Moehſenii catalogo Icon. clariſs. Medicor.* Berol. an. 1771. in 4. edit. pag. 83. addiſci poſſe omnium quam commodiſſime. Interim id quoque haud quaquam diffitendum fore exiſtimauerim, hac *Manardi* noſtri aetate *Budenſes* coepiſſe paullo moroſiores eſſe, *Georgium* enim quemdam loci bibliopolam vna cum libris quibusdam, qui haud publici eſſent ſaporis, igne exuſſerint, teſtibus *Abrah. Sculteti* Annal. euang. et *Schoelhornii Amoenit. Litter. Tom. VII.* pag. 97. atque ita referente *Sam. Timone* e Soc. Ieſ. Epitom. Rer. Hungar. ad an. 1523. *Sim. Grynaeum*, Bibliothecae Coruinianae Praefectum, et ſcholae Budenſis Profeſſorem, in vincula coniecerint,

aegre

Digitized by Google

aegre mox inde eliberandum. de quo Thomas Pope-Blount in cenſura Author. celebr. pag. 570. tales *Io. Sapidi* refert Iambos:

Quaeris, Simon Grynaeus ille quis fuit?
Adtende, dicam — — — — —
Talis Geometra, qualis Architas fuit,
Cognitionem habuit vt Atlas ſiderum, etc. —
Non Plinio Phyſice priores detulit,
Non ceſſit Hippocrati medendi indagine etc. etc.

Ob eiuscemodi facinora Manardus noſter, vt fuit defaecatiſſimi ingenii Medicus regius, epiſtolar. medicinal. Libr. II. Epiſtola 3. Budae in aula Regis Wladislai anno 1516. ſignata, Budenſes, *Scythas veterno quaſi obſitos*, merito compellauerat.

In Artic. 58. Miskolczi. Manualis Chirurgici Norriani ex ſermone Theotiſco in vernaculum factam translationem non Miſcolczio, vt libri titulus monſtrat, ſed Clar. Ioſepho Torkos, ſcholae Aug. Confess. addictorum Iaurinenſis Rectori, nunc vero primario apud Sopronienſes Eccleſiaſtae, debemus, egregius hic patriae noſtri temporis polyhiſtor quibus praeterea ſcriptis luci publicae commiſſis rempublicam, patriae in primis, literariam nobilitauerit, e re noſtra eſſe iudicauimus ſequentem eorum hic adnectere catalogum:

1) *Ten-*

Digitized by Google

1) *Tentamen Theoriae ortus, vitae et interitus plantarum. Pars I. experimentalis.* Iaurini an. 1748. in 8.

2) *Diſſertatio Hiſtorico-politica de Coronatione Sereniſs. Mariae Thereſiae cum ſupplemento Documentorum ad eam pertinentium.* Iaurin. an. 1742. et 1743. in 8. Recuſa per Io. Georg. Schwandtnerum Tom. II. Scriptor. Rer. Hungar. in fol. aug. ſed paſſim erronee, vt eruditiſſimus Auctor in Litteris ad nos Sempronio an. 1775. d. 13. Iul. exaratis aperte queſtus eſt.

3) *Diſſertatio Politico-antiquaria de ferri candentis ordalio.* Iaur. an. 1744. 8. plag. 4.


4) *Sciagraphia hiſtorico-chronologica ſucceſſionis et genealogiae Sereniſſimorum Principum et Regum Hungariae.* Iaur. an. 1745. 8. plag. 5. c. tab. 5.

5) *Schediaſma geographico-hiſtoricum de Hungaris intra et extra Hungariam degentibus.* Iaurini, an. 1747. 8. plag. 6½.

6) *Aeorpata, ſiue excerpta iuuenilia ex Petri Petiti Diſſertatione de Amazonibus, prout ea ad illuſtrandam veterum Hungarorum hiſtoriam conducere videbantur.* Iaur. an. 1749. 8. plag. 3.

7) *Commentatio Hiſtorico-antiquaria, ſiue Meletema antiquarium phylologico-hiſtoricum de veteri monumento ſepulcrali Romano, Iaurinum inter et Comaromium invento.* Iaur. an. 1746. in 8. plag. 5. c. fig. aen. 1. En eam Inſcriptionem veteri huic Romanorum monumeto inſculptam, a Tollio Epiſtol. Itiner. VI. pag. 244.

244. primum publici iuris factam, quam praeclariſſimus auctor noſter integro iſthoc Commentario uberius illuſtrandam ſuſcepit!



Scribit Tollius l. c. lapidem, qui hanc ſubminiſtrauit inſcriptionem, an. 1654. inuentum eſſe inter Comaromium et Iaurinum Ill. Comit. Puchaimii, arcis Comaromienſis Praefecti induſtria, dum is ad reſarciendos oppidi muros aliquot foſſores eruendis dirutae quondam Vrbis ruderibus immitteret. Quo tamen poſtea lapis hic ſepulcralis deuenerit, in hunc vſque diem ignoratur; at tegumentum eiusdem in loco quopiam qui meridiem ſpectat ſeparato depoſitum, nec muro inſertum, in veteri arce Corviniana Comaromienſi, eadem hac ipſa Graeca, quam vides, epigraphe ſignatum, integrum et illaeſum hodiedum cuſtoditur, alteri

tantae

tantae aeque molis operculo ſepulcrali lapideo, effigie viri barbati et palliati ad umbilicum vſque eminentis, manu ſiniſtra ſphaeram tenentis, dextra pallium aptantis opere exſculpto, ſignato, et duabus eius extremitatibus litteris D. M. notato ſubpoſitum ab omnibus conſpiciendum. Ab vtroque duorum horum ſepulcralium tegumentorum ſibi inuicem impoſitorum latere in dicto arcis Coruinianae loco viſuntur grandes duae tumbae lapideae, quarum quia Inſcriptiones *Reu. Gabr. Szerdahelyius* in *Celebrium Hungariae Vrbium celebrioribus*, Tirnau. an. 1701. in 4. editis, candide pag. 16. profitetur, licet quauis ope connifus, ſe legere non potuiſſe, forte quod vir eruditiſſimus talia haudquaquam didicerit; et *auctor anonymus* quidam in libro *Beſchreibung des Donau Stroms* mendoſe exhibuerit, nos hic vtramque integram proferimus. Poſita a dextro latere Tumba haec habet.

MEMORIAE IVLI-
AE EMERITAE QVAE VI-
XITAN ✗ VALERIA MASC
I, ENIA FILIAE PIISSIME

A ſiniſtro vero quae haeret latere, eius epigraphen vt laudatus auctor anonymus, ita etiam

etiam Tollius l. c. pag. 245. perperam de-ſcripſerunt, ita quam rectiſſime illa legitur:

D. M.

M. VAL. VALERIANI ▴ LEG
IIII FL ▴ VIXIT AN ▴ X ▴ LII ▴
ET M ▴ VAL ▴ VLPIO EQ ▴ PV
BL ▴ FIL ▴ VIXIT ▴ AN ▴ VIII. ▴ SIMV
L ▴ CONDITIS ▴ VL ▴ PIA ▴ PARA
TIANE MARITO ET ▴ FI ▴ LIO
ET ULPIA VALERIA FILIA

HEREDES F C ▴

Sed de Graeca operculi ſepulcralis inſcriptione nobis ſermo omnis iam inſtituendus, quam primum *Tollius* in Auſonio ſuo pag. 789. et mox Epiſt. Itiner. VI. pag. 244. publicauerat, *Henninius* obſeruationibus, *Torkoſius* vero integro Commentario illuſtrauerant: at omnes, tot virorum eruditorum pace dixerim, non ſine mendo eam exhibuerunt, quia nemo eorum lapidem propriis luſtrauerat oculis, Tollius enim ab amico ſubminiſtratam accepit, quam Henninius et Torkoſius errantem preſſis ſecuti ſunt pedibus. Duo a Tollio eiusque ſequacibus commiſſi ſunt errores, prior eſt, quod

loco genuinae lectionis ΠΑΛΜΤΡΙ pro M legerint K ſic ΠΑΛΚΥΡΙ; alter vero, quod terminationem primi vocabuli ΡΑΛΜΤΡΙΕΤ ad initium vocis ſequentis transtulerint, et legerint ΕΥΨΤΧΕΙ, quum vero lapis iſte in modum hunc notatus eſt characteribus ΠΑΛΜΤΡΙЄΤ ΨΤΧЄΙ ΜЄΤΑ ΠΑΤΡΟϹ. Vitioſam illam virorum eruditorum lectionem, nil mirum eſt, miras ſubſecutas fuiſſe, immo inſulſas forte etiam interpretationes, hic ſubticendas: miſſo itaque Tollii, Henninii, Torkoſiique coelo critico, ipſo lapide nobis praeeunte, tamquam duce fidiſſimo, genuina inſcriptionis lectio et interpretatio haec eſt παλμυρίυ ψυχή μετὰ πατρός. Latine verſa vero ſic: *Palmyrii anima cum Patre*, nam dialecto Aeolica et Dorica παλμυρίευ legitur παλμυρίȣ et boeotice ψυχει denotat ψυχή. Nec quisquam dixerit diuerſam eſſe forte Tollianam illam a Noſtra inſcriptionem, quod ea ſuperiori tumbae limbo, noſtra vero operculi lateri inſculpta exhibeatur: at vero ſimillimum cuique videri poteſt, dum Tumba haec e ruderibus protraheretur, et tegumentum firmo adhaereret illi vinculo non facile ſolubili, non multum fuiſſe amicum Tollii ſollicitum, tumbaene limbus an contiguum operculi latus ſit Graeca noſtra inſcriptione notatum, quam Tollius ſibi oblatam, vertente mox tempore, ſupremo tumbae margini inſcripſit pro ſuo arbitrio, certiſſimo ſane indicio, quod operimentum tumbae in arce Comaromienſi Coruiniana deliteſcens

ſcens in vtraque parte ſua extrema, dextra quidem idem viri, ſiniſtra vero idem feminae caput, in medio eamdem litteram I. et eamdem thecam cylindricam inſculptam ſpectatoribus omnibus conſpiciendam exhibeat, qualia Tollianae tumbae ſupremus margo l. c. manu artificis depictus monſtrat. En iam ipſum memoratum toties tumbae Tollianae et Torkoſianae operimentum, provt ex ipſo lapide Romano in dicta arce Corviniana Comaromienſi hodiedum quieſcente, ſumma, qua potuit, accuratione delineauimus!



Sed quis iam Oedipus interpres nobis indicauerit, quis hic fuerit *Palmyrius*, quem gens Aurelia aeterno ſuo hoc cohoneſtauit monumento? quantum coniectura adſequi licet, notum eſt Tacito praeprimis et Vopiſco teſtibus, *M. Aurelium Aurelianum* eum fuiſſe Romanorum Imperatorem, illum orbis Reſtauratorem, qui innumeras de ſingulis imperii ſui hoſtibus reportauit victorias, ob quas pro more gentis a deuictis et miſſis ſub iugum populis

Gallicus, *Thracicus*, *Dardanius*, *Armenius*, *Albanius*, *Bactrianus*, et aliis inſignitus eſt cognominibus: ita dum Orientem quoque femineo preſſum iugo, in iura Romanorum reſtituere vellet, Zenobiam aliquot praeliis vicit, Palmyram dominatricis feminae ſedem, vrbem in finibus Syriae ſitam, et teſtibus Hallifaxio, Halleyio, Smithio, Baddano, Sellero, aliis, orbis vniuerſi olim ampliſſimam et ſplendidiſſimam magnificentiſſimamque deditione cepit, totam expilauit, Zenobiam in vincula coniectam in triumphum duxit, Palmyraenos iugum Romanorum detrectare volentes, altera quoque vice adgreſſus, ad internecionem deleuit, eorum rempublicam euertit, Palmyrae templum ingentibus donariis auctum, vt et Romae *Deo ſoli* fundauit, ſocios Palmyraenorum, Perſas, domauit, illis medicos Graecos, qui artem Hippocraticam profiterentur, ſubmiſit: ob illuſtrem itaque hanc de Zenobia, tumente faſtu femina, Palmyraeque populis reportatam victoriam, *Palmyrium* fuiſſe cognominatum, quis iuerit inficias? merito Iunius Trebonianus apud Fl. Vopiſcum cap. I. queritur, clariſſimum hunc Principem, neminem graecorum latinorumque pro amplitudine rerum geſtarum ita, vt eſt, in litteras miſiſſe. Iam quum diuinos M. Aurelio Imperatori a ſenatu decretos fuiſſe honores, aurea argenteaque paſſim erecta monumenta probe omnibus conſtaret, inclita haec Aureliorum familia in oris Pannonicis quoque degens ſuum labenti tempore erga immortalem

hunc

hunc Principem, in Pannoniis natum, de cuius ſtemmate ſe prognatos eſſe gloriarentur, aeterno monumento huic ſuo nomen *Palmyrii* victorioſum graecis characteribus inſcribunt: dum ſcilicet *Marco Aurelio quinto Valenti V. Legionis tabulario Marcus Aurelius Alexander primipilaris Fratri*, *et Iulia Theodora coniugi ſuo*, *Marca Aurelia Soſicratia et Valentina Patri pientiſſimo* hoc *faciendum curant* monumentum, tunc *Marco Aurelio Aureliano Palmyrio*, eiusque *animae*, ſiue manibus *cum Patre* ſeu Patribus requieſcentibus felicitatem et tranquillitatem ſempiternam precantur. Aſt interim tamen nemini noſtram hanc inuito obtrudimus ſententiam, candide nos erudire volentibus lubenter parebimus. In gratiam ſtudioſorum antiquitatis lubet alias quoque Romanae gentis reliquias Comaromii haerentes in lucem protrahere:

A) In horto aedibus Hainalianis vicino iacet humi exigua quaedam tumba lapidea, tres lata, et ſex ſpithamas longa, vna cum tegumento eiusdem, cui inſculpti ſunt duo infantes gemelli ſtrophiolum manibus tenentes, et brachiorum ſuorum tenus mutuo ſeſe amplexantes, absque omni inſcriptione ſignata. Viſuntur ibidem aliae quoque tumbae lapideae vna cum operimentis integre conſeruatae, nullis interim notatae characteribus. Proſtant in eodem Dom. Adami Hainal horto duae quoque tabulae lapideae trium fere pedum longae et vnius cum dimidio latae,

prima earum opere exſculpto adoleſcentem togatum, braccatum, nudipedem et caſſide tectum exhibet, qui pedi dextro, ſiniſtrum decuſſate transuerſim collocando erectus inſiſtit, et inuerſae faci ardenti ambabus innititur manibus, ſubtus hac adiecta notula:

N O N
B A S S I N V S ꟿ O

altera priori paene ſimilis, ſed adoleſcens hic ſiniſtro pedi inſiſtit, et cereum ardentem vtrisque prenſat manibus, tali infra ſubiecta epigraphe:

N O N
B A S S I N I V S S Ꝋ.

Depoſita haerent in eodem horto Hainaliano diuerſi generis atque molis aedificii Romani fragmenta quoque ſatis grandia, quorum aliqua litteras quoque nonnullas, ceteris abraſis, exhibent reſiduas, vnum inter reliqua eſt, quod in vna linea -- NIS -- A --- in altera vero non niſi - -- HAH -- oſtentat.

B) Columna rotunde alta vnius orgyae in media Arce in loco ciſternae aedium arcis Praefecti hac deoorata proſtat Inſcriptione:

IMP.

Digitized by Google

IMP CAES
I SEPT SEVERVS PIVS PER T
A Λ APABADI AB PAET MAX
PONT MAXTRI —.— POT VIIII
IMPXI COS II PROCOS PPE E
IMP CAES M A R ANTONIN
PIVS A GTEL II NR POT IIIII R—
COS —.—.—.—.—.—. S.
ET PO M T VETVS — COP — RVP T
REST C V PAΛ — FA — PCILCN K
LEG A A VGI — ↄ ı I Γ Λ — BIΓ ISTI —
—.—.—.—.—.—.—.—.—
M I V I I
—.—.—.—.—.—.—.—.—
X X.

C) Haerent in plateis quoque Ciuitatis tales Romanorum reliquiae plures paſſim, viſitur lapis ſepulcralis detruncatus quatuor fere pedum longus in media plateola, qua ex aedibus Hainalianis ad templum S. Andreae itur, ita ſignatus:

Digitized by Google

IO —.—.—.—.
L S —.—.—.—.
D O N —.—.—.
S E S Q—.—.—.
V S S I—.—.—.
—.—.—.—.—.—.

Aeque luxatus lapis iacet ſub dio in Platea Vármegye-Uttza, dimidiata hac notata hypographe:

C A VA—.—.
GVSTA—.—.
ETAVI—.—.
TAE. ET—.—.
HERE—.—.—.

Haec et talia plura diuerſi generis antiquitatum Romanarum in Pannonia Hungarica repertarum monumenta videri poſſunt in ditiſſimo promtuario litterario boni amici, viri apud nos rei antiquariae notitia clariſſimi, qui lapidum quoque heic loci commemora-

torum

Digitized by Google

torum genuinam faciem atque inſcriptiones ſingulari accuratione, ac fide, chartis commiſit, easque candide nobiscum vltro communicauit. Verum enumeratas has omnes Romanae vetuſtatis reliquias, Comaromii ſuperſtites, ſuperat praeſtantia ſua pretioſiſſimus ille, auro gemmisque decoratus, diuinorum oraculorum codex membranaceus, ex translatione LXX. interpretum graeca, manu deſcriptus; quam vetuſtiſſimus licet, falſo tamen teſtibus Tollio, Epiſtol. Itinerar. V. pag. 148. et Ioſ. Blanchino, Euangeliarii quadruplicis, Part. II. pag. DXCIII. ad Apoſtolorum tempora referendus, qui in *Templo Raſcianorum* ſtatis ſolemnioribus diebus feſtis deuotae plebis venerationi publice quotannis exponitur. Non vltima ea eſt ciuitatis noſtrae quoque gloriatio, quod in vetere officina Pharmaceutica huiate tale proſtet codicis veteris Teſtamenti ex verſione Hieronimiana, Vulgata dicta, manu transſcripti exemplum integrum, ad primaeuam inuentionis chartarum aetatem referendum, in quo, quod maxime ſingulare eſt, vniuerſum veteris Teſtamenti canonem *Eſaias* claudit propheta, tamquam *Inſtrumenti Veteris Euangeliſta;* Libris noui foederis mox et loco et ordine ſtatim proximo adſociandus.

In Artic. 76. SCVLTETVS. Liber memorialis Sculteti in folio minori pulcris iconibus ab optumis pictoribus ornatus monſtrat Scultetum

 fuiſſe

fuiſſe Gabrielis Bethlen, qui ſe tum Regem geſſerat, archiatrum, virum doctum, Principibusque honoratum, a Io. Bocatio vero poëta filium per adoptionem vocatum. Placet ex Albo hoc, vt ſic ſcribere liceat Sculteti, nonnulla, quae ad illuſtrandam temporum illorum hiſtoriam facere videbuntur, excerpere, vbi primum quoque occurrit ſubſcriptio *Ludouici Iulianae Electricis Palatinae natae Principis Arauſonienſis* an. 1625. *Io. Georg. ſenioris Marchionis Brandenburgici* cum eleganti eius imagine et lemmate: *Nil deſperandum Ich wags, Gott walts.* an. 1621. in Ungriſch-Brodt, Hunnebrodae facta; *Io. Chriſtiani*, Ducis Lignitz an. 1626. cum lemmate: *deuorauit fidem ſinceratio*, anno eodem; Ducum Lignitzii et Brigae, *Georgii*, *Ludouici*, *Rudolphi*, qui ſcripſit: *A Deo victoria; Chriſtiani*, qui adiecit: *Durabo. Henricus Matth. Comes a Thurn*, in cuius icone legitur, quod fuerit confoederatorum Generalis. *Georg. Andr. Dn. ab Hofkirchen* Lib. Baro, eques auratus cum imagine. *Dn. Smeskal*, quem pictor in ſella ſedentem affabre depinxit, ſubſcriptio manu propria ad verbum haec eſt: *Ego Hieroslaus Zmeskal de Domaniovicz ſeptem regiarum liberarum montanarum in Hungaria Ciuitatum Camergraffius, ſacrae electae R. Mattis Conſiliarius, nec non in partibus ſuperioribus Regni Hungar. Generalis Capitaneus pro tempore adminiſtrator*, ſcripſi Caſſouiae 26. Iun. an. 1621. Item *Petrus de Reua. Valentinus* vero *Iunke*, Centurio ita: Dieſes ſchreib ich

zum

zum ewige Gedächtniſs meinen vielgelieebten Hr. Bruder, Hr. Winh. Sculteti der Artzney Doctor der zu Hunger. Kö. M. th. Leib-Medico Thirnau den 27. Februar. 1621. Paria ſcripſerunt *Paul a Braun*; *Sig. Wenc. ab Oſorowſzky*, die et an. eodem Tirnauiae. *Gerhardus Romilianus a Calckum* cognomento Luchtman ſcripſit: *In teſſeram nunquam intermoriturae amicitiae Excellentiſſimo Viro, Dn. Weighardo Schulteto, Regiae Maieſtatis in Hungaria Medico peritiſſimo ſcribebam haec Tirnauiae an.* 1621. 28. *Ianuar.* Inſcriptiones complures hic leguntur an. 1621. d. 5. Iun. Caſſouiae ſignatae, quae Scultetum Med. et Philoſ. Doct. et Archiatrum Regiae Mattis Hungar. vocant Godofred. Weitner D. et Publ. ſcribebat Franc. in Ianuar. an. 1626. *Multos aula beauit, plures perdidit, ſed et hos, quos beauit, perdidit.* Hinc ſiniſtra quaedam fata expertum fuiſſe Scultetum licet ſuſpicari, vt et ex *Wolffgangi Crellii* Doct. Theol. et Prof. in Academia Viadrina P. Caſſou. an. 1626. menſ. Febr. exaratis verſibus:

Laeſus es a quoquam, vindictam trade Iehouae,
Ille tui, quam tu, iuſtior vltor erit.
Tu damna officiis vlciſcere. Rectius hoſtis
Vincitur, inuitum ſi tuus vrat amor.

Exſtat et *Martini Opitii* de an. 1622. Kal. Sept Inſcriptio, qui Scultetum fautorem ſuum ſingularem et amicum veterem nominat, et *Matthaei Hainz*, ad Portam Othoman. Legati

an.

Digitized by Google

an. 1622. vlt. Febr. In primis tamen memorandum hoc: *Excellentiſſimo Viro Iuueni D. Weighardo Sculteti, Phil. ac Med. Doctori, ac Ser. Electae Hung. Regiae Mattis Aulae Medico, filio ſuo cariſſimo hancce paternae beneuolentiae teſſeram L. M. Q. in ſignum perpetuae recordationis.* (eſt adpictum Inſigne gentilitium) *appoſuit amica ſua manu — — — Tirnauiae 6. Martii an.* 1621. *Io. Kraus de Lublio, Eiusdem ſuae Mattis Secretarius.* Item *Excell. ac Clariſſo Viro, D. Doctori, V. S. in mei commemorationem ſcribebam Samuel Spilenberg, Doctor Medicus, pro tempore Regius*, m. pr. Caſſou. 23. Iun. an. 1621. Deprehenditur epigraphe *Ioan. Rákotzii* quoque. Caſpar vero *Cunradus*, Phil. et Med. Doct. ſubſcriptione Vratislauiae 1626. in Febr. facta nominat noſtrum *Weighardum Schulitz a Sckulitzan*, Ser. Tranſilu. Princ. Conſiliarium, Archiatrum, et amicum ſummum. Cetera in aduerſaria haec transſcribere non vacat.

In Articulo 86. Io. Stock. Sigismundi et Alberti Regum, ac Eliſabethae Reginae diplomatibus docuimus Ioannem Stockium Scepuſienſis Eccleſiae Praepoſitum et Doctorem Medicinae fuiſſe Phyſicum Regium et Conſiliarium fidelem. Car. Wagnerus Analect. Scepuſ. Part. II. pag. 330. aliis Sigismundi tabulis demonſtrat nominatum ſtatim Praepoſitum Stockium Phyſicum ſuum an. 1433. Baſileae confectis, auctoritate iuris ſui patronatus regii ex Prae-

poſi-

Digitized by Google

poſitura Vetero-Budenſi ad Scepuſienſem fuiſſe translocatum et mox in ea dignitate Eugenii IV. Papae Bulla quoque an. 1445. Romae ſignata confirmatum. Stockium hunc Medicum altare Corporis Chriſti in Eccleſia S. Petri veteris Budae liberaliter dotaſſe, atque an. 1464 Budae mortuum, et in eadem Eccleſia principe S. Petro dicata, tumulatum fuiſſe laudatus Wagnerus l. c. pag. 280. veteri nixus inſtrumento docuit. Eumdem in Synodo Dioeceſana a ſe an. 1460. Leutſchouiam conuocata Concilii Baſileenſis an. 1435. celebrati placitis Seſſione XX. relatis adſtipulando, Eccleſiarum ſuae Dioeceſeos reformationem egregie vrſiſſe, atque ſacerdotum concubinatum praeprimis vetuiſſe Canone XXXII. ſeq. Peterſius Sacror. Concil. R. Hungar. Part. I. pag. 207. ſeqq. recenſuit. Ergone Hungariae Clerum, Praepoſiti Medici noſtri aetate quoque demum concubinas aluiſſe adfirmaueris? Vix de eo nos amplius dubitare ſinunt alia quoque rerum patriarum monumenta, immo matrimonia ipſa Clero non modo inferiori, ſed et presbyteris *propter vinculum pacis et vnitatem Spiritus* ſeculo XI. permiſſa, ſeculis vero XII. XIII. et XIV. tolerata ſaltim fuiſſe plures Regum noſtrorum publice teſtantur conſtitutiones: fidem dictis faciunt *Decreta S. Stephani* Libr. II. cap. 3. et *S. Ladislai* Libr. I. cap. 1. 2. 3. ab *Ill. Kollario, Conſiliario*, in Origin. et vſu perpet. Poteſt. legislat. circa ſacra pagg. 48. et 72. pro eruditione ſua ſolide et perſpicue pro ve-

ritate

ritate amoris ingenue et candide illuſtrata; vt et *Colomani Regis Decret.* Libr. II. cap. IV. IX. et X. Verum *Car. Péterſius* pro ſingulari animi ſui candore alias quoque multo his euidentiores adducit Regum noſtrorum Conſtitutiones Sacror. Concil. R. Hung. Part. I. et quidem *Colomani Decretor.* cap. XI. XIII. XXXI. XXXII. XXXIII. LIV. LV. LVI. pag. 56. 57. 58. 61. atque *Belae IV.* conſtitut. I. II. XI. XII. XVI. XVIII. XX. pag. 89. & 90. vt et *Ladislai IV.* ibidem pag. 108. et 112. cap. X. XXVI. quorum pleraque iam in prioribus quoque Decretorum Regni editionibus, Sambucina in primis an. 1581. Francofurtana locum inueniſſe, ſed mox ſubſecuturo tempore, vix ſcitur quo fato infelici inde extruſa eſſe obſeruauimus. Ex adlatis itaque teſtimoniis his prono profluere videtur alueo non modo inferioris, ſed etiam altioris ordinis ſacri viros plerosque laudatorum Regum temporibus ritu Eccleſiarum Graecarum fuiſſe matrimonio illigatos, atque legitimos procreauiſſe liberos, ita id ipſum teſtante *Ioanne* quoque *Turoczio*, in *Chronica Hungar. Part. II.* cap. XLIX. hiſtoriam *B. Ducis Ladislai*, filiam Epiſcopi Varadienſis e manibus Cumanorum paganorum liberantis referente. Lucem his non minimam, vt opinamur, foenerabuntur litterae quoque Ven. Capituli Agrienſis an. 1333. Agriae exaratae a *Sam. Székelyio de Doba, Centurione*, poſſeſſae, quorum apographum ad nos delatum tali notatum eſt hypographe: *Super Depoſitio-*

ne

ne Iuramenti pro Comite Petro , filio Ioannis de Ponisla, contra Dominam vxorem Georgii Clerici de Harſány expeditoria. Plura in hanc rem, ad recentiora vſque tempora enarrata, non ſine voluptate legi poterunt in laudatiſſimi Czirbeſii noſtri libello Mſcto, luce publica digniſſimo, ſic inſcripto: *Tractatus hiſtoricus de Coniugio ſacerdotum, et de liberis eorum ex legitimo matrimonio procreatis.* Placuit hoc a via digrediendo facere diuerticulum, quia taedebat minutias quasque, Vitam Ioannis Stockil noſtri, Praepoſiti, Med. Doctoris, et Phyſici Regii illuſtrantes, a Wagnero paſſim in Analect. Scepuſiacis recenſitas ſingillatim perſequi: inſigne interim illud Inſtrumentum Poſonii an. 1435. ſignatum, Analect. Part. III. pag. 96. productum, haud quaquam ſilentio praetereundum cenſuerim, quo Rex Sigismundus *Stochium* noſtrum in *numerum Phyſicorum, Conſiliariorum ac Familiarium, continuorumque Commenſalium ſuorum adlegit*; ex quo id nobis iam addiſcere licebit, quam magno in honore Medici a Regibus noſtris olim habiti fuerint.

In Artic. 97. Io. Wallaszkai. Reuerendiſs. *Alexius Horányius* in *Memoria Hungarorum*, Part. III. pag. 484. duos Wallaaſzkaio noſtro perperam adtribuit Tractatus medicos, numquam ab eo conſcriptos, alterum de *Flore Siliginis*, alterum de *Febrium conſtitutione*; nos celeberrimi Medici huius operibus in Articulo indicatis ſingulares quasdam obſeruationes medicas

dicas

diças adiungimus, a *Io. Georg. Henr. Kramero*, Phyſico Temesuarienſi, et exercitus Caeſareani in Hungaria Medico praetoriano, in *Tentamine Botanico*, ſ. *Methodo Riuino-Tournefortiana*, Viennae Auſtriae an. 1745. in fol. edita, vulgatas hac ſerie:

1) Ex floribus Sambuci, mane rore madentibus collectis, Balneo Mariae deſtillatum volatiſſimum ſpiritum et aquam primo prodeuntem vno cochleari pro doſi *Apoplectico* vel *Epileptico* propinatum medicamina hucvsque nota omnia ſuperare, aegrum certiſſime e ſuo paroxyſmo excitare. In Praefat. pag. 18.

2) Abiectiſſima Vitis folia exſiccata et in puluerem trita pondere ℈j. bis, terve in die exhibita, ſpecifice et infallibiliter curare *haemorrhagiam*, in primis vero *haemoptöen*, et *haemorrhagiam vteri*, vt vix quartam, ſextam vel octauam doſin futuram eſſe neceſſariam. Ibidem pag. eadem.

3) Infuſum ex toſtis Iuniperi baccis bibitum, et per menſes aliquot continuatum, ſtupende curauiſſe in femina inueteratam ſordidiſſimam *ſcabiem*, ſuppreſſis menſibus ſtipatam. Ibidem pag. 20.

Supple-

Digitized by Google

Supplementa ad Biographiam Medicorum Hungar. et Tranſilu. Centur. II. addenda.

In Artic. 31. in Nota aſteriſco ſignata pag. 143. recordamur nos produxiſſe Inſcriptionem quamdam Romanorum medicam in agro Weſzpremienſi repertam, cui nunc alteram eiusdem argumenti ex eodem Comitatu, vico ſcilicet Tapeltza-fö vocato, vbi limpidiſſimi fontes ſcaturiunt, anno ſuperiore 1778. ad nos vna cum ipſa Tabula aenea, cui inciſa eſt, transmiſſam iam hic adiungimus:

SIBILLA
VNGVENTARIA
LIBERTA
SEPT· SEVERI IMPE.
VENDIT
CROCOMAGMA
IN\ V\P
RHISPIA

In Tabula hac aerea, cuius magnitudinem figura delineata exprimere placuit, intelligendum putem Crocomagma Damocratis in Antidotario ſpeciali a Io. Iac. Vieckero Baſil. an. MDXXCIIX. in fol. edit. Lib. II. Sect. XL. de trochiſcis pag. 419. ſic deſcriptum: ℞. *Croci* ʒc. *Amyli*, *Gummi Arab aa* ʒXXX. *Myrrhae Roſ. rubr.* ʒI. *Vini q.* ſ. *fiant trohiſci. Galenus.* Vendebatur vero tale vnguentum in Via Publica, vel ſi mauis, in Vrbe Pannonia aut Pannoniae, vel in Valeria Pannonia, aut etiam in Vico Pannoniae Rhiſpia. Sed vbi quaeſo Romanorum hanc vrbem Rhi-


Digitized by Google

ſpiam hodie iam inuenias? quam in Theodoſio-Peutingeriana Pannoniarum Tab. V. et VI. a Fr. Chr. Scheybio edit. neglectam Ioſ. Moletius in Commentario in Ptolomaeum pag. 52. edit. Venet. an. 1562. in 4. Weſzpremium eſſe expreſſe nominat, cui adſtipulatur Orbis antiqui Tabularum Geographicar. ſecundum Ptolomaeum editor Amſtelod. an. 1730. in fol. mai. in adnexo indice philologico Rhiſpiam Tabul. Europ. IV. G. e. et V. Be. adnotatam ex plurium eruditorum conſenſione aeque Veſprinum eſſe adſerit. Vtique ſi Cl. Ptolomaei Coſmographiam opera Nic. Germani quoque Vlmae an. 1482. in fol. per Leonh. Hol. editam ſub cuſt. c. 4. in alia facie c. 14. tab. V. Europ. atque eiusdem Ptolomaei Tabulas opera Mercatoris reſtitutas, et in fol. Colon. an. 1578. vulgatas, tab. V. Europ. aut etiam Vltrai. an. 1695. recuſas inſpexeris, ita reuera Rhiſphiam vbiqne collocatam reperias, vt Weſzpremio, oppido noſtro, veroſimiliter reſpondere ex longitudinis et latitudinis numeris non vano colligere liceat indicio: Ad augendam in hac re opinionem noſtram non nihil facere videtur omnino ea quoque Septimii Seueri Imperatoris Inſcriptio, cuius Sibilla haec vnguentaria ſe libertam fuiſſe gloriabatur, quam hodiedum Weſzpremii Turris praealta ſphaerica manca muro arcis ad portam inſerta non longe a ſupremo vertice in latere monſtrat hoc SKPT. SEVERI IMP. nomine ornata; reſidua Inſcriptionis huius verba ſaxo inciſa iis legenda offerimus, qui accuratiori inſtrumento optico ſuos armare voluerint oculos. Turrim hanc praecelſam nonne Praetorum Romanorum vſui olim inſeruiſſe hariolabimur? nonne Conradus quoque Celtes, vt alibi monuimus, Weſzpremium ob id recte coniectauerat fuiſſe vrbem Romanorum dictam Praetorium? ex qua Turri velut ex ſpecula hodiedum loca longe lateque diſſita, etiam vicinis Comitatibus adſcripta, plurima facile coelo ſereno conſpiciuntur.

Lapis vero rubei coloris, hoc ipſo oppido ante pauculos annos effoſſus, et in villa allodiali Epiſcopi repoſitus, hanc cum exſculpta ſubtus rota molari, et ſaccis duobus, farina tumentibus, exhibet Inſcriptionem:

CLAV-

CLAVDIVS IL EX
MOLITOR LEGI. P A.
IIII. PIA. F. ANNO. L.
M. V. SOROR. GERM.




In vico Vámos, altero a dicto celebri oppido, lapide, diſſito, tale anno 1748. amicus eruditus ſuis e terra eruit manibus ſarcophagi operculum, ex marmore nigro polito fabrefactum, quod litteris inauratis inciſam, provt repetitis legeram vicibus, hanc ſubminiſtrauit epigraphen:

TIT. BOETIVS
MIL. LEG. P A.
VIX A XXXVIII.

Vicinus huic alter pagus, ſi pedem ſolem occidentem verſus proferas; Tooth-Váſony eſt nomine, Oroſziorum potiſſimum et Kazzayorum praediolum, in cuius agro Agyag verem, nuncupato, an. 1757. inuenta

eſt Tabula aenea, hac, vt cernis, et magnitudine et forma repraeſentata, et tali ornata hypographe:



Nummus Macrini argenteus, quem manibus tenemus, in adiacenti ſiluula ante annos XV. ab amico repertus, ſiſtit in antica ſui parte caput Imperatoris laureatum: IMP. C. M. OPEL. SEV. MACRINVS. AVG. in auerſa vero Annonam forma muliebri ſedentem, dextra ſpicas, laeva cornocopiae tenentem, ſic omiſſo conſulatus anno: PONTIF. MAX. TR. P. II. COS. PP. neglectus hic eſt a Io. Vaillantio in nummiſmatibus ſuis Imp. Rom. Tom. II. pag. 264. ſeqq. edit. Rom. an. 1743. in 4. En alium quoque aeque primi moduli, eumque Tiberii Imp. Nummum, anno currentis ſeculi quadrageſimo octauo in indicato ſtatim Comitatus Weſzpremienſis pago effoſſum, nunc e penu noſtra exemtum! in cuius latere hoc cernuntur quadrigae triumphales abſque omni epigraphe, illinc vero Inſcriptio Ti. CAESAR. DIVI AVGVST. P. M. TR. POT.

POT. XXXVI. et in Area S. C. Nummum hunc cum XXXVI. Tribunitiae Poteſtatis anno, nec Mediobarbo nec Pedruſio vel Io. Vaillantii editori notum, ex aſſe ſimillimum eſſe illi iudicamus, cuius typum Chriſt. Sigism. *Liebe* e gaza Fridericiana depromptum *in Gotha* ſua *nummaria* edit. Amſtel. an. 1730. in fol. cap. VIII. pag. 276. exhibuit, docuitque ſimul ex Velleio et Suetonio tunc conflatum fuiſſe, dum de Pannoniis et Dalmatis triumpharet: nonne dum *Batonem*, *excelſiſſimum Ducem Pannonium*, *ad flumen nomine Bathinum* (forte noſtrum hodie Balaton) *deuictum* duceret Romam ex oris noſtris in triumphum? qualem in Tiberiana, ſed Auguſtaea in primis; Gemma effictum Alb. Rubenius ſingularibus Diſſertationibus Antuerp. an. 1665. in 4. editis illuſtrauerat. Non commemoro in Numophylacio noſtro latentes duos aeneos, aeque maioris moduli nummos, in coemeterio, Valli Abbatiae B. V. M. Weſzpremienſi adpoſito, a Veſpillonibus ante decennium, amplius erutos, vix talium theſaurorum collectoribus viſos, vtrumque in antica parte Lucii Aelii Veri Imp. capite laureato, et quidem *illum* hac: IMP. CAESAR. AELIVS. VERVS. IVLIAN. AVG. PP. *hunc* vero tali: L. VERVS. AVG, ARM. PART. MAX. TR. P. VIII. IMP. IIII. COS. III. inſcriptionibus ſignatos; in poſtica parte *illius* ad Victoriam de Pannoniis reportatam, indicandam Imperator in quadrigis triumphalibus capite nudus, laeua manu equos agit, dextra coronam lauream ab advolante victoria accipit, his ſubnexis litteris COS. II. S. C. *huius* vero in poſtica Iupiter nudus ſtans cum pallio Diuinitatis, dextra fulmen vibrat, ſub quo hinc M. Aurelius, inde Verus conſiſtunt: quoad reliqua Nummiſma hoc vitio vetuſtatis exeſum eſt, illud integerrimum. Proſtat apud nos in pretioſa rerum Romanarum Collectione Kazzaiana Tabula aenea, in laudato ſtatim vico Tooth - váſonienſi; eiusque praediolo *Csátarmegye* ad foueam *Agyagverem* nuncupato, an. 1760. inuenta, vaſi ligneo duobus circulis ferreis ex catena ferrea pendentibus communito, incluſa, quae licet vitio temporum mutilata ſit, eius tamen inſcriptionem amice nobiscum communicatam ſerie hac iam exhibebimus:

RITIS DII
NOMIN. SVA
TERISQEO RVCIVIT-TEM DE

VXORIB. QVAS NVNC HABENT C.
VITAS DAVR AVT SIQ CAELIB SVI
IS QVAS POSTEA DVXER DVMTAX
LI SINGVLAS. AD XVI. K. IVL.
MVINDIO VERO PACVM EIOCLEMINII COS.
COH I THRACVM CVI PRAESI
L NVMISIVS PRISCVS BOVIAN.
EXEQVITI
SEX IVLIO I RMIE PRIMO TRIVIR
ET SECVNDO. F. EIVS.
DESCRIPT ET RECOGN. EX TABVLA AEREA QVAE
FIXA. EST. ROMAE IN MVRO POST TEMPL
DIVI AVG. AD MINERVA.

Pars Tabulae auerſa.

I TRAIANI PARTHICI F DIVI
TRAIANVS HADRIANVS AVG.
R. POT. XXII. IMP. II. COS III PP.
IV ◎ ΛINIT COH. V. QA pp.
RV cTiTi CANNITI HIS
RITI IHRCRITI VLPPAN.
RIT AVILI VOICRISVNI
VI N ΛIIRIONI PIST
IM Itr oNMIS QVOR
II BcIVL DIDII
AD CVIS CIVDAIAVX
IDVX DVM

Si inſcriptionem hanc cum Gruteriana te conferre non pigueri:, quae in corpore Inſcript. Tom. I. P. II. p. DLXXXIII. legitur, illam a noſtra plurimum differre certiſſimis animadvertes indiciis.

In Vàſon-kö, aliter Nagy-Vàſon, agri Weſzpremienſis oppido, vico priori contermino, Comitum Zichi haeredio, et Herculis Hungarici Nicolai Zrini Patriae, vicino, viſuntur duo Tabularum lapidearum fragmenta humi publice iacere, alterum ad rudera Templi Paullinorum, alterum ad Diuerſorium depoſita; in illo nonniſi duo haec PERPETVAE VISCORVM, in hoc vero plura conſeruata leguntur vocabula, eaque ſic, quod dolendum, truncata:




Loco hoc antiquam Romanorum exſtitiſſe ſedem, eamque, vt non inconſultis antiquis Geographis auguramur, Vacontium aut Vaſcontium dictam, non modo pronunciandi ſuadet adfinitas, vt Vaſcontium facile in Váſon-kö hodierna appellatione degenerauerit, et adiacens longus ſiluarum tractus Vacontiae vel Bakontiae ſiluae, nomen hodiedum vſitatum acceperit, ſed etiam pretioſiſſimus Romani operis aquae ductus in viſceribus terrae occultatus, qui ad portam arcis in aditu aquam ſaluberrimam ex fiſtula figulina Cylindrica in ſubſtructam ciſternam quadrangularem, vnam orgyam latam,

aeque

Digitized by Google

aeque profundam, duas fere longam, ex coctis lateribus coagmentatam, vſui ciuium vbertim effundit, et ibidem mox per meatus ſubterraneos ita miro modo abſorbendam, vt vnde perennis tanta aquarum copia, integris interim permanentibus earum canalibus, aut in arcem adfluat, aut quo diſpareat, nemo in hunc vſque diem indagare potuerit. Hinc ſi orientem ſolem verſus vnum deflectas lapidem, offert ſe nobis Arx vetuſtiſſima Bándi - Vár, aliter Eſſeg - Vàr dicta conſpiciendam, quam Rev. Steph. Szilius, ſollertiſſimus nuper rei antiquariae in ea vicinia indagator, Eſſeciam aut Albam Minorem eſſe coniectauerat: caſtrum reuera Romanorum eam fuiſſe viua adhuc rudera murorum puta, portarum, carcerum, triclinorum ſtructura aperte euincit; variae certe Romanorum reliquiae ab accolis radicem collis inhabitantibus hodiedum ibidem reperiuntur, vidimus ipſi non vice ſimplice ab erudito poſſeſſore oſtenſas; haud ita pridem eruta calcaria Romanorum Militum diuerſi generis, frena equorum, ſtapedes, murices ferreos hamatos, cultros, ſeceſpitas, eorumque manubria aerea, claues annulares, ianuarum et portarum vertabula ferrea, clauam aeneam, tintinnabulum collo iumentorum adpenſum, ſagittas maiores e catapultis eiaculari ſolitas, ſed acinaçes in primis Romano opere fabricatus, et hoc ipſo agro ante annos XX. effoſſus, noſtram excitauit attentionem, qui tres pedes viennenſes longus cum capulo quinque pollicum reticulato et pollicem integrum latus, duas pondere ciuili libras cum ſemiſſe pendens, his notatus eſt in vtroque latere hypographis:



id eſt: Me fecit CS. Hadrianus Perperna In Caſtrenſi Marci Antonini Caeſaris tertia officina. Miſſis Inſcriptionum Fragmentis, quae in Templo Graecorum Peſtienſi viſuntur, memini me legere Xiſtum quoque Schier in Buda ſua Sacra Anno 1774. in 4. edit. pro-

 duxiſſe

duxiſſe quasdam · · lem vrbe Budenſi paſſim haeren-tes; caeteris anteferenda eſt, quam pag. 49. Medici Romani cenotaphium exhibet: omnibus illis vnam nos hic adnectimus e quodam lapide inſignis molis in aquaticam vi accenſi pulueris pyrii, dum an. 1723. vrbs integra igne conflagraret, ex arce praecipitato, an. 1746. in adverſaria noſtra relatam:

A † V E T T I V S.
A L † C R E S C E N S
A I N = L † H I C † S † . E
V E T T I A † A † N O M E
—: PAT † RONOET CONIVG
SVO † PIENTISSIM † VNA
T M P.
VIPSTANVS † L † L † SENECIO
AMICVS † FACIVNDV † CVRANT.

Praenobilis D. Kazzay, apothecarius noſter, duas adferuat Tabulas aeneas in vetere Buda repertas, haud vili pretio ante annos quindecim coëmptas, vtrasque bona poſſeſſoris venia Virorum eruditorum oculis hic iam ſubiiciendas:

Tabula

IMP CAVG.
ARMENNT.
MAX. TT.
IMP. CARMENIACVS.
MEDICVII. IMP. V.
COS. ONINI. F.
DIVI. HI. PAR.
THICI. OTES
EQVITIS. III. QVAE.
AP PEI. CRETI. AVG.
MVR. EN. PEDETI.
NORICC. CAII APC.
ALAED...

OXENC— —
DESCRAEREA.
QVAE ST.
TEMPL

DE
QV
TE

Averſa

facies.

NVS. AVG. ARMENIA
MAX TRIB.
S III ET
ARMENIACVS MEDICVS
COS III PATRES PATRIAE
NEPOTES DIVI TRAIANI
VAE — AS — NEPOTES

I. THR. VETER. II. BRITAN.
ERM.CRET. I. ALPEN.PED.
TCALLAECETVII.EREVCOR
N.ETIAVG.THR.ETSVNTIN
IANO.LEGXXVIIVESTIPEN
VOR NON. HABER. LIBER
IABVIS.CVMEST CW I]
ST DVXISS DVM

Tabula

Altera Tabula.

TI IVLI	FELICIS
C BELLI	VRBANI
L PVLLI	PRIMI
L SENTI	CHRYSOGONI
C POMPONI	STATIANI
L PVLLI	ZOSIMI
P OCILI	PRISCI

Auerſa facies.

AD III NON MA

DE NTILIANO ET FALIANTE COS

ALAEI THRAC VETER CVI PRAEST

FLAVIVS MACER

EXGREGALE

OXETIO NAEVIONIS F ERAV

DESCRIPT ET RECOGNIT EX TABVLA ERRA

QVAE FIXA EST ROMAE IN MVRO POST

TEMPL DIVI AVG AD MINERVAM

Haeret in patentiſſimo Campo Szönylenſi, arci Comaromienſi obiecto, ad Puteum Hordos-kúttya adpellato, tumba ſepulcralis lapidea, aquandis pecoribus ab incolis deſtinata, tali, quantum lectionem admittit, inſcriptione ſignata:

D M.

CVSI GALLISTIONIS.Q.AVG.M.B.MARITI.

ET.AVRELI. CLAVDIANI. Θ FILII. NEP.

GIGISSIMORVM. Q VIXIT. ANN — XXIII.

AVRELIA. CLAVDILLA. CONIVG — L

CARISSIMO. ET FILIO.

FACIENDVM CVRAVIT.

Ipſum vicum Szönyienſem, vbi aliqui iuxta Antonini Tabulas Itinerarias Bregetium, vrbem Romanorum maximam, ſtetiſſe volunt, ingreſſuris nobis ad Turrim Templi Helu. Confeſs. addictorum tale Tumbae lapideae Fragmentum ſe offert conſpiciendum:

C I V L I I

F C L A V

G E R M A N

I C O N K

i. e.

i. e. Caius Iulius Flau. Claudii Germanici Coniux.

Sed quod et quanta Romanae antiquitatis Monumenta viliſſimus hodie Pagus iſte curioſis vetuſtatis ſcrutatoribus iam ſuppeditauerit, non facile enumeraueris: mittamus nummos omnis moduli aeneos, argenteos, aureos inibi repertos, quorum infinitus propemodum per uniuerſum orbem circumducitur numerus, nos aliquas dumtaxat gentis huius dominatricis reliquias in ea vicinia repertas, et in Muſeum Kazzayanum huias illatas, hoc, vt ſequetur, recenſebimus ordine. Viſuntur ibi lateres excocti diuerſi generis his potiſſimum ſignati characteribus: | LEGIADII FAI | vel | LEGIÀD | Vrna fictilis cineribus plena, nullo notata lemmate, integram libram pharmaceuticam de infuſo liquore recipiens. Lichnus fictilis anno 1748. effoſſus FADR ſignatus, id eſt, *Figulus*, *Aulius*, *Druſus*, *Romanus*. Poculum Figulinum an. eodem ibidem erutum, encauſto cinericii coloris incruſtatum, cum litteris AVE interiectis vbique trifoliis encauſto albo ſic adpictis A V E . Simile fere illi eſt, quod L. Begerus in Theſauro Brandeburg. Vol. III. pag. 461. cum incruſtatione ferruginea delineatum exhibuit; Poculum noſtrum vncias quinque recipit pharmaceuticas. Lapis haematites quadrangularis dimidium pollicem craſſus, duos vero longus, in vno latere A. altero T. notatus. Hercules tres ex aere conflati, Bergerianis et magnitudine et forma diſſimiles, l. c. pagg. 278. et 280. exhibiti, horum primus eſt *Hercules triumphans* criſpis capillis et barba rotunda, ſpolium leoninum ſub ala manus dextrae circumductum manu poſt tergum retorta prenſans, et laeua clauam nodoſam terrae innixam tenens; alter eſt *Hercules quieſcens*, facie priori ſimilis, clauae nodoſae axillae dextrae ſubiectae innixus, dextra ſpolio leonino ſe protegit, laeua vero ad tergum reclinata caudam ſpolii eiusdem firmiter adprehendens, dextro interim pede decuſſatim ſiniſtro impoſito; tertius *Hercules* aeneus

infans

Digitized by Google

infans eſt, isque ſedens, dextram genu ſuo dextro impoſitam et ſiniſtram eleuatam habens, facie et mole Bergeriano l. c. haudquaquam aequalis. Eſt et Danubius forma Trithonii in ſtatua aerea effictus, amphoram manu tenens, ex qua Iſter profluat. Reliquas quoque ſtatuas aeneas Szönyini repertas, et manibus noſtris contrectatas, nominum dumtaxat tenus iam referemus, eodem promptuario litterario adſeruatas. Statuam ſcilicet Iſidis, Veneris Cnidiae nudae, Satyrae ludentis, Deucaleonis, Somni, Polyxenae ſe interimentis, Romuli, Mercurius alter maiori alter forma minori, Venus cum Cupidine et Delphine, Cupido, Caput Panis, Miles armatus, Larua, equus, Avis ignota, Gallus, Puer ludens, duo Dii Piſauri vnus ſtans alter ſedens, Fragmentum Crucifixi antiqui, Iupiter cum Leda in Tabula aenea, Digitale, Drachma vna pondere nummi noſtratis Cremnicienſis, aliae. Gemmas quoque diuerſi generis ad nos ex eo loco adlatas bona prouidi poſſeſſoris venia commemorare e re noſtra eſſe iudicauimus, tales illae ſunt: 1) Carniolus ſeu Sardus orientalis, vocibus ABRAC. AMON. ſignatus. 2) Carniolus occidentalis. GIBEL. DANATA. DARIES. DAR. DARIES. ASTA. RIFS. notatus. 3) Carniolus occidentalis, HOSPITA FELIX VIVAS. 4) Carniolus orientalis. KYPIA XAPE. 5) Onyx bicolor, cuius Albae ſubcaeruleae inſculpta eſt facies triformis, reliqua parte abeunte in piſcem cum Inſcriptione HYM. 6) Iaſpis maculata cum inſculptis ſignis Zodiaci, ſcorpione et cancro. 7) Iaſpis aeque maculata cum inſculpto ſolo ſcorpione. 8) Rubinus orientalis pretioſiſſimus, cui affabre inſculpta effigies Tityri nudi in gramine ſedentis, dextra mentum ſuffulcientis, ſiniſtram genu ſuo imponentis, inter pedes fiſtulas duas longiores erectas habentis, adiecto famoſi gemmarum ſculptoris Nicomachi nomine, lecto inuerſo ſic litterarum ordine Ɔ M O Ɔ I N. 9) Onyx bicolor, cui inſculpta forma columbae, ramum olivae roſtro tenentis, ante et poſt ſe pullos habentis, cum Inſcriptione litterarum inuerſa Ɔ I Ɔ. forte Chriſtus Ieſus crucifixus: Militis chriſtiani annulum fuiſſe exiſtimamus. 10) Annulus hygiaeus,

integer

integer ex ſolido chalcedone ruditer efformatus. 11) Laocoon a ſerpentibus, teſte Hygino, occiſus, vel Hercules Draconem ſepticipitem, Lerneam Hydram dictam, enecans, ex corallo rubro, obſeruatis rite ex lege artis muſculis, integre effabricatus, inclinato paullulum ad dextram capite, torua facie, promiſſa barba, capillis ad frontem reclinatis, genitalibus membris integre expreſſis et ſublatis in altum manibus vtrisque repraeſentatus. Nec non 12) Caput Hadrianine Imperatoris, vel potius Ieſu Chriſti Soſpitatoris noſtri, quod ob ſimilem in utroque oris et vultus habitum non facile diſtinxeris, collotenus integrum pollicem unum longum ex Sardoniche opere exſculpto ſcite affabri latum: de qua Chriſti et Hadriani facierum ſimilitudine videſis apud Theod. Hazaeum, de ſtatua Haemorrhouſae in ſylloge Differt. Bremae ann. 1731. in 8. edit. Sed quis ſingulas Romanae vetuſtatis delicias Szönyenſes enumerauerit? Non exiſtimem vllum in vniuerſa Pannonia inueniri locum, qui plura aut numiſmata, aut alia vetuſtatis Romanae Cimelia recentiori aeuo ſuppeditauerit: ibi nos olim ſitam fuiſſe coniicimus praecipuam Belli arcem Romanorum, quam Dio Caſſius Libr. LXXI. pag. 802. edit. Hanou. an. 1606. in fol. *Receptaculum M. Antonini Philoſophi Imperat.* nominat, atque *dum is cum Barbaris, qui circum Iſtrum fuere, Iazygibus et Marcomannis, nunc his, nunc illis, continenter: quam diu vixit, Bellum intulit, ei Paeoniam ad Iſtrum fuiſſe receptaculum*, memoriae prodidit: Locum hunc, vbi rudera arcis huius viſuntur, hodiedum ab Incolis Pagi Palunnya vel Pannonya promiſcue vocitari praeſentes his ipſis inaudiuimus auribus: huc forte Wolffg. Lazium quoque digitum intendere voluiſſe exiſtimamus, dum in Chronica Archi-Ducatus Auſtriae Germanica MScta, Codice ſcilicet apud Lambecium ch. mutil. Hiſtor. Profan. XXII. fol. 137. cap. I. Paeoniam hanc in collimitiis Auſtriae et Hungariae collocandam putarat. Ita diuitem haec ipſa rudera ſuppeditant Nitri excoctoribus Mineruam, vt nulla ſit in vniuerſa Hungria officina nitraria, ne Kallouienſi quidem nobis vicina excepta, quae hoc

nomine

nomine Szönyienſi huic anteferenda ſit. Agedum populares ſuauiſſimi, ſtudium hocce antiquitatis non modo iucundiſſimum, ſed et in republica litteraria vtiliſſimum, pro ingeniorum noſtrorum modulo excolamus, vt, adhibito diligentiori ſcrutinio, in Pannonia Hungarica Romanam, diu ſatis quaeſitam, certo et inuenire, atque ita tandem merito gloriari poſſimus vniuerſi!

Coronidis loco operae pretium me facturum exiſtimauerim, ſi priſcos Hungariae Medicos, qui nobis ſedulo inueſtigantibus paſſim innotuerunt, eundo per ſecula ad recentiora vſque tempora nominum dumtaxat tenus in ſynopſi hic iam nouiſſime enumerauero:

Seculo XI. *Draco*, Colomanni Regis Phyſicus. Centur. I. artic. 19.

Sec. XII. *Thomas*, Stephani IV. Regis Medicus. Cent. II. Part. I. artic. 16.
Petrus, Comes, primum Spalatenſis mox Archiepiſcopus Colocenſis, acceptiſſimus Belae III. Medicus. Cent. I. art. 66.

Sec. XIII. *Gerardus*, Belae IV. Stephani V. et Ladislai IV. Regum archiater. Cent. II. Part. I. artic. 16.
Anonymi quatuor excellentes Medicinae Doctores Duci Ladislao, Stephani V. Regis filio, graui morbo detento, adfuerunt. Cent. II. Part. II. art. 26.

Alii

Alii anonymi tres aeque celebres Medici Agnetem quamdam anno 1272. curauiſſe referuntur Ibidem eodem.

Mutinius, Praepoſitus Scepuſienſis, Ladislai Ducis Doctor Medicus. Cent. I. art. 60.

Sec. XIV. *Iac. Longobardus*, Epiſcopus Chanadienſis, Caroli I. Phyſicus Centur. II. Part. II. artic. 28.

Iacobus a Placentia, Epiſcopus Chanadienſis mox Zagrabienſis, Caroli Roberti et Ludouici I. Regum Phyſicus. Cent. II. Part. I. art. 40.

Magiſter Perectoldus, Roberti Regis chirurgus et Medicus. Ibidem art. 38.

Benedictus ab Italia, Eiusdem Regis chirurgus et Epiſcopus Nitrienſis. Centur. I. art. 38.

Magiſter Franciſcus, Ludouici I. Medicus. Cent. II. Part. I. art. 16.

Ladislaus, Epiſcopus Weſzpremienſis, deinde Varadienſis, Ludouici I. Phyſicus. Cent. II. Part. II. art. 26.

Magiſter Petrus Wenceslai et Roberti Regum Phyſicus regius et Apothecarius Budenſis circa ann. 1303. ex Inſtrumento litterario mox demonſtrandus.

Sec. XV. *Ladislaus Dem'endy*, Praepoſitus et Vicarius Colocenſis, Sigismundi Regis Phyſicus. Cent. II. Part. II. art. 9.

Guil. Varignana, Meladini Boſniae et Croatiae Bani Medicus, inſignis Sigismundi tempore in Hungaria paſſim Practicus. Cent. II. Part. I. art. 38.

Antonius, Med. Doctor, Archiepiſcopus Raguſinus in Dalmatia, praeſens cum Sigismundo in Concilio Conſtantienſi. Cent. II. Part. II. art. I.

Simon Colſtein, Profeſſor Medicinae in Vniuerſitate ſtudiorum Budenſi, ad Concilium Conſtantienſe miſſus, Phyſicus Sigismundi. Cent. II. Part. II. art. 8.

Ioan. Hunnelburgenſis, Sigismundi Phyſicus Cent. II. Part. I. art. 30.

Magiſter Ioannes, Artium Profeſſor, Doctor in Medicinis, Archidiaconus Hunteniſs circa an. 1425. Cent. II. Part. II. art. 23.

Thomas, Decretorum et in Medicinis Doctor eadem aetate, Archidiaconus Nitrienſis, Canonicus Strigonienſis et Vicarius. Ibidem.

Michaël, AA. LL. Magiſter, Med. Doctor, circa an. 1422. Canonicus Zagrabienſis. Cent. II. Part. I. art. 30.

Martinus, AA. LL. Magiſter, Med. Doctor, Plebanus Budenſis. Cent. II. Part. I. art. 28.

Io. Stock, Praepoſitus Vet. Budenſis, mox Scepuſienſis, Sigismundi, Alberti, et Eliſabethae Archiater. Cent. I. art. 86. et Cent. II. Supplem.

Mar-

Marquardus, Canonicus Zagrabienſis, dilectus Ladislao V. Poſthumo Medicus Anno 1453. Cent. II. Part. I. art. 27.

Anonymos, Patriae Medicos plures Ladislao Poſthumo moribundo inſeruiſſe Siluius et Bonfinius referunt.

Iul. Milius, Coruini Regis Archiater, Cent. I. art. 2. et Cent. II. Part. I. art. 33.

Franc. Fontana, eiusdem Regis Phyſicus. Cent. II. Part. I. art. 15.

Chriſtophorus Gallus, *Bartholom. Montagna*, Galeotus Martius, Michaël Váradi Ord. S. Pauli I. Eremita, Epiſcopus Caſertanus, Philip. Valor, et plures alios, qui Matthiae aetatem ornarunt, enumerauimus ſingulatim Medicos Cent. II. Part. I. art. 15.

Branche, Petri Vàrdai, Archiepiſcopi Colocenſis Sec. XV. Phyſicus. Cent. II. Part. I. art. 9.

Io. Erdélyi; Alchimiſta Chryſopoeus Sec. XV. Monachus Chartuſianus in Scepuſio. Cent. II. Part. I. Art. 14.

Io. Fichtel, Beatricis Reginae Archiater. Cent. II. Part. I. art. 45.

Io. Megerlinus, Med. Doctor, Plebanus in Villa Humperti pone Cibinium in Tranſiluania, circa an. 1430. Cent. II. Part. II. art. 31.

Magiſter Sebaſtianus, Medicus Coruinianus, Cent. II. Part. I. art. 15.

Franciſcus Fontana Mathiae Corvini Phyſicus et orator Centur. II. Part. I. Artic. 15.

Ioannes Vangio Francus Transſilvanicarum gentium Medicus Sec. XV. celeberrimus Cent. I. art. 95.

Sec. XVI. *Io. Manardus*, Med. Doctor, Wladislai II. archiater. Cent. I. art. 55. et Cent. II. Part. II. Supplem.

Magiſter Laurentius Medicus Leuſchovienſis in Scepuſio Cent. I. art. 49.

Nic. Melchior Olahus exeunti ſeculo XV. in aula Wladislai II. Alchymiſta adeptus, ad Archiepiſcopen Strigonienſem poſtea ſublimatus. Cent. II. Part. I. art. 29.

Magiſter Hieronymus, Wladislai Coniugis Reginae archiater, Cent. II. Part. II. art. 33.

Anonymi medici Budenſes regnante Wladislao plures referuntur, quorum quatuor praeclariſſimi ſanitati Math. Phrygepanii inuigilarunt. Cent. I. art. 26.

Georg. Wirth, Med. Doct. Ludouici II archiater, et conſcientiae arbiter. Cent. II. Part. I. art. 51.

Io. Kaſſai, regnante Ludouico II. Medicus. Cent. I. art. 40. et Cent. II. Part. I. Supplement.

Adria-

Digitized by Google

Adrianus, Med. Doct. Archidiaconus Dobocenſis, Ioannis I. Regis Phyſicus. Cent. I. art. 1.

Io. Euangeliſta, Iſabellae Reginae Medicus. Cent. II. Part. II. art. 12.

Ioſ. Struthius, Med. Doct. Iſabellae Phyſicus. Cent. II. Part. II. art. 47.

Ioſ. Tectander, eiusdem Reginae Archiater. Ibidem art. 48.

Magiſter Sebaſtianus, Medicus et Botanicus Cibinienſis, Ioannis Lebelii Practici in Tranſiluania Praeceptor. Cent. I. art. 55.

Albert. Nouiocampianus, Ioannis II. Reguli ſtudiorum moderator, et Phyſicus. Cent. II. Part. II. art. 35.

Martinus Brenner, eodem in Tranſiluania tempore Medicus, Cent. II. Part. II. art. 6.

Georg. Blandrata, Arii adſecla, Ioannis II. Archiater. Cent. I. art. 11.

Reliquos aliis committimus enumarandos, oculorum enim imbecillitate impediti hic iam filum abrumpere cogimur inuiti, ab aliquo quopiam reipublicae litterariae noſtrae ciue mox connectendum.

Additamenta nova ad Biographiam Medicorum Hungariae.

In Centur. I. ad Artic. 15. Operibus *Mart. Carcei de Karczagujiſzàllàſa* adnumeratur 3) Diſſertatio inaug. med. *De Haemoptiſi.* Lugd. Batau. an. 1671. 4.

—— Ad Artic. 16. operibus *Io. Cſuzi* adtexitur 5) Differt. inaug. med. *De Rachitide.* Franeq. an. 1702. in 4.

—— Ad Artic. 34. operibus *Io. Ad. Hoffſteteri* adiiciuntur 3) *De Cinnabaris natura*, Haffn. an 1714. 4. De hac Cinnabari natiua Hungarica ad normam Acad. Nat. Curioſ. iam ante ſcripſit Gabr. Clauderus Ien. an. 1684. in 4.

4) *De Papauere et opio eſculentis*, et *eorum vi medica*, Halae an. 1704. epiſt.

—— Ad Artic. 54. Operibus *Dau. Sam. Madai* additur, quod ille Odarum Horatii, opera et ſtudio Frid. Ludouici Comitis Solmenſis ligato ſermone Teutonico expreſſarum, Lib. I. II. et V. praefationibus adornauerit, edit. Brunsvig. an. 1756. 1757. 1760. in 4. Pater vero *Daniel Madai*, Artic. 53. memoratus Diſſert. de *Aſcite Hydrope*, Hafniae an. 1699. in 4. vulgauerit. Verſatur iam *Dau. Sam. Madaius.* Noſter inter coelites, an. enim ſuperiore 1780. d. 2. Iul. ſuperato ferali, quo conflictabatur morbo, aetatis an. 72do ſatur dierum, e viuis exceſſit. Breui poſt, die nimirum ſeptima Octobris etiam gener illius *Ferdinandus L. B. de Wolff*, celeberrimi Chriſtiani Wolffii filius vnicus, tabe conſumtus, exſtinctus eſt. Reliquit *Madaius* hic filium *Carolum Auguſtum*, dignitatum et virtutum paternarum haeredem vnicum. En typum nummi memorialis, honoribus popularis noſtri *D. Madai*, ab amico, qui litteris I. A. AP. in numiſmate innuitur, dicati:

Ad



——— Ad Artic. 56. operibus *Petri Melii* accenſentur Num. 13. *Mindnyájan örüllyünk hü kereſztyének*, 's a' t. Hymnus eſt in natalitiis Chriſti vertente quouis anno decantari ſolitus: initiales litterae verſibus praefixae auctoris nomen produnt: *Melius fecit in Debrecen.*

17) *A' Kereſztien Tudomanynac röuideden valo ſummaja.* Quia primum folium deeſt, nec tempus nec locus editionis indicari poteſt, complet in 8. plag. 9. Ita quaeſtio prima incipit: K. *Michoda vagy te?* Fel. *Iſtentöl es az Iſtenec kepere es haſonlatoſſagra teremtetet ember vagyoc.* Inſcriptus eſt libellus Franciſco Nemeti, arcis Tokaj praefecto, a Siglero in Chronologia pag. 81. et Iſtvanſio Hiſtor. Libr. XXII. pag. 277. commemorato. His prooemium terminatur verbis: *Irtam te Nagyſagodnac ez kiis könyuet, kerem nagyſagodat vegye te Nagyſaga io neuen, es legy otalma az Belial iregy poronthii ellen ez kónyunek. Vale. Somogy Peter Meſter, a te Nag. Szolgaia.* Catecheſin hanc Melius, quum Magiſtrum ſe hic adpellat, in vſus auditorum ſcholae ſuae Debrecinenſis conſcripſiſſe, veroſimile videtur. Duo eiusdem Melii praemiſſi

Digitized by Google

ſunt libelli in forma dialogorum concinnati; vterque lacer eſt, ille conſtat plag. 8. in 8. e naufragio ſuperſtes quaeſtio prima talis eſt: K. *Ha te vr. vagy, paraſzna, baluaniozo, rezeges gylkos veltal, hat hogy bizhatol?* huius vero duas de vampyris, ſtrigibus, incubo quaeſtiones Centur II, part. I. pag. 46. 47. iam recitauimus.

18) *A Debreczembe öſzue gyült Kereſztien Praedicatoroknac igaz es ſzent iras ſzerint valo vallaſoc.* 1) *Az egy valo iſtenſegröl.* 2) *Az ſzent Haromſagrol.* 3) *A Chriſtus valo iſtenſegeröl. 's 'a t. Debreczembe nyomtatta Töröc Mihal.* 4. plag. 7. Dedicatio talis eſt: *A Magyar orſzagi iambor es kereſztien Aros nepnec, ackic Debreczemben, Szonbadban, Kaſſan, es Varadon laknac, az egy Iahtol es Iehovatol 's a's t.* ita inter alia; *hogy enyivel is inkab megteſſek az ö eretnekſegec, ackiq Magyarol nem ertic, De akol is ki attam es meg nyomtattam.* Valete, *Debreczembe* 16. *Iul. An. D.* 1567. *Ihaſz Peter à ti kegyel: attyaſia de Horhi, Debreczembe lelki Paſztor.*

19) *Articuli ex verbo Dei et lege naturae compoſiti ad conſeruandam Politiam eccleſiaſticam in Vngarica natione, et formandam vitam Chriſtianam in omnibus ordinibus neceſſariam. Debrecini excudebat Michaël Töröc An. M. D. LXVII.* in 4. plag. $8\frac{1}{2}$. Articuli ſunt numero LXXII. quorum LII. ſonat de Catecheſi Palatina in Eccleſiis explicanda: inſcripti ſunt Eccleſiae ſanctae Catholicae, Sponſae Chriſti: et mox in ſynodo quoque generali Varadina, an. 1591. 6. Iun. celebrata approbati, anno et formato eodem Debrecini recuſi. Eiusdem ſunt argumenti articuli XXVII, opera Georg. Göncl an. 1577. congeſti. *De Diſciplina eccleſiaſtica ſ. gubernationis eccleſiaſticae legitima in Hungarica natione cis Tibiſcum ex verbo Dei petita* etc. Debrecini excud. *Ioannes Czaktornyai* An. Dn. 1591. in 4. plag. $2\frac{1}{2}$. Articuli illi adtexti ſunt *Brevi Paſtorum Confeſſioni ad Synodum, Debrecini An.* 1567. *celebratam, convoca-*

vocatorum 1) *de vno Jah.* et 2) *de Jehova Elohim ſ. Triade.* 3) *de Mediatore.* 4) *De cauſa peccati* etc. Debrecini excuſ. a Mich. Töröc An. M. D. LXVII. in 4. plag. 10. Sereniſſ. Principi Domino *Joanni Secundo*, Dei gratia electo Vngariae, Croatiae etc. Regi — Petrus Melius vel Ihaſz de horhi, paſtor Eccleſiae in Debrecen, Sereniſſ. M. V. Cliens ſubdidiſſimus.

—— Ad Artic. 82. *Samuele Spilenbergero*, archiatro Bethleniano Regio, adſcribuntur talia opera 1) Diſſert. inaug. med. *De Morbo Hungarico*. theſibus LXXV. comprehenſa. Baſil. an. 1597. in 4. typis Io. Schroeteri. Reuerendiſſ. Viris, DD. Mgro *Anton. Plattnero*, *Valent. Carl*, Leutſchovienſibus inſcripta.

2) *Zur Zeit der Infection ſoll man vor allen Dingen nachſolgende Mittel brauchen. Volget zum* 2. *die Curation. Doctor S. Spilenberger.* Leutſchouiae typis Dan. Schultz 1622. 4. plag. 1.

3) Apoſtrophe ad ciues:

Denus vt hic valido conſiſtit corpore truncus,
Et pulcra facie reſpicit aſtra caput:
Sic veſtra inuicto, Ciues, ſtet pectore virtus,
Aſt conſtans animo ducat ad aſtra fides.

Samuel Spilenberger, Med. Doct. Dom. Iudicis Ionae Dirneri gener ſuperius poſita probando et firmando haec in perpetuam memoriam ſcribebat 27. Iul. anno Da paCeM. Haec in decuſſo turris Iglouienſis culmine reperta ſunt manu Spilenbergeri notata.

4) Diſſert. med. *De antipraxi viſcerum.* praeſ. G. W. Wedelio. Ienae an. 1683. in 4. Dauidem Spilenbergerum agnoſcit auctorem. Qui de medica hac Spilenbergiorum familia ſcire plura deſiderat, excutiat, oportet, varia Epitaphia gentis huius, Leutſchouienſibus typis exſcripta, Ephemerides in primis litterarias Vindobon. an. 1775. Particul. XXXV. pag. 274.

—— Ad Artic. 98. operibus *Io. Weberi* adduntur 1) *Emblemata praealto ſolio nixa, aquilas, leo-*

Digitized by Google

nes, gryphos, lunas, ſoles, planetas, et ſidera, virtutum imagines referentia.

6) *Tabula, opere non ineleganti fabrefacta, aram ſacrificiis fumantem exhibens:* vbi *Weberus* cum vxore, ſorore, liberisque, compoſito ad pietatem vultu et manibus, Deum de genu adorare viſuntur, promanantibus veluti ore his Ioſuae verbis, cap. 24. 15. *Ego autem et domus mea ſeruiemus Domino.* Sed cur tabula haec ſuperbe ſatis picta e templo paroeciae Germanicae nationis Euangelicorum Eperienſi, vbi haerebat adpenſa, fuerit foras eliminata, docet *Io. Rezikius* in Theatro ſuo MScto, Tragoed. III. §. 6. Hoc ipſo capite id quoque longa mox enarratur ſerie, *Fridericus* quoque et *Daniel*, Weberi filii, quam diro, iuſſu Comitis *Antonii Caraffa* an. 1687. adfecti fuerint capitis ſupplicio, vt ſcilicet clementiſſimi Imp. Leopoldi Magni Decreto IV. artic. 5. 6. 7. talis in hominum coetu inſolita agendi licentia coërceri meruerit. In noſtra quoque ciuitate hac egregius iſte belli dux, Eques Hiſpanus, nomen genusque ſuum quo facinore, anno, qui dictum praeceſſerat, vltra quam crederes, mire-obſcurauerit, perennatura illius in omne aeuum memoria flebili vberius exponitur ſermone *in Declaratione afflicti ſtatus Liberae Regiaeque Ciuitatis Debretzen occaſione Congregationis Poſonienſis decima octaua Octobris aliisque ſubſequentibus diebus Anno Domini* 1696. *celebratae. Celſiſſimo Principi Inclyti Regni Hungariae Palatino*, PAVLO ESZTERHASI (Tit.) *caeterisque ſtatibus praeſentata, et prius concinnata per* Ioannem Poſalaki, *iuratum praefatae Ciuitatis Notarium.* Debrecz. an. 1696. in 4. plag. 2. Adiectis vero opera *Stephani Kuthy*, Actuarii, ad marginem lemmatibus, repetita ibidem an. 1755. in fol. plag. 2½.

In

In Centur. II. Part. I. Ad Artic. 19. pag. 86. lin. 24. In catalogum Profeſſorum Debrecinenſium in Hiſtoria Eccleſ. Hungar. Lampeana conditum, et a nobis cum augmento d. l. repetitum interſeratur Petrus Tarczali, vtrobique omiſſus, tale enim in Faſtis ciuitatis noſtrae publicis adnotatum legimus: *Anno* 1636. *die* 10. *Ian. Ad Memoriam. Pridie huius diei, id eſt,* 9. *Ianuar. introductus eſt in Rectorem Scholae doctiſſimus* Petrus Tarczali, *per litteras interprete Michaële Toth ex Semien inuitatus.*

—— Ad Artic: 31. pag. 144. lin. 16. Inſcriptionibus Romanorum in Comitatu Szaladienſi erutis adiunguntur: 1) In vico *Salföld* nuncupato, vbi ciuitatis noſtrae Iudex primarius, D. *Ludouicus Domokos*, inſigne habet heredium, talem aedes ſacra, Eccleſiae Romanae ritibus addicta, lapidem ſepulcralem, ſuperne corde inuerſo cum ductibus tortuoſis, inferne vero duobus geniis corymbos tenentibus affabre ornatum, et ſuperioris liminis parti in aditu inſertum, adſeruat, hac notatum epigraphe, cuius hoc eſt exemplar, qua legi potuit, mutilum ac corroſum.

ICA-

Digitized by Google

I C A N I V S T I I
— V I N N O — . —
— I — . — I XXII SI — —
C A I I A T I S V R A
C I — . — . — . — — .
I I P P I C — . — . — .

2) Similis lapis in pago eiuſdem prouinciae, *Kék-kut* appellato, cuſtoditus, Roſa vna atque Tulipis quinque ſuperne, ſubtus vero amphora duplici delphine natante ſtipata ornatus, eam hodiedum exhibet inſcriptionem, quae in hanc exſculpta eſt ſententiam:

D M
P D V B I A
H S E
A N I X X ^ P
I S P T I V S S M
N I A N L X X X
— . — C P ^

—— Ad

—— Ad Artic. 38. *Perchtoldum* Phyſicum ſuum Carolus Robertus Rex Hungariae nouo cumulat beneficio in iſto litterario Inſtrumento, in ſcriniis noſtris haerenti, cuius in compendio argumentum tale eſt: *Anno* 1327. *Carolus Rex ad Villam Perchtoldi Medici ſui* Iſte *vocatam in Comitatu Poſonienſi ſitam omnibus liberam migrandi facultatem concedit.* Iam ante Caroli Roberti Regis huius tempora in exordio Seculi XIVti officinam pharmaceuticam Budae olim exſtitiſſe, eamque a Phyſico regio quopiam *Petro* dicto, curatam fuiſſe edocetur illo antiquioris aeui Inſtrumento, cuius tale eſſe ſummarium accipito: *Anno Chriſti* 1303. *vinea in territorio Kuesdmal Petri Phyſici* et Apothecarii Budenſis *per Fratres Domus Hoſpitalis S. Regis Stephani de Strigonio a pendenda decima eximitur, cum önere tamen vnius fertonis ſinni argenti quotannis pendendi.*

In Centur. II. Part. II. ad Artic. V. pag. 28, lin. 30. addatur: *St. Balogius* Noſter, *Ruyteri*, ſummi Praetoris naualis Hollandici, opera ex triſti Hiſpanorum mancipio an. 1676. d. 11. Febr. Neapoli eliberatus, eam breui ſingularem benigniſſimi Imperatoris quoque Leopoldi, Batavis, et Brittonibus efficaciter Bruynninxio interprete ſupplicantibus, liberaliter mox expertus eſt gratiam, vt acceptis ab eo litteris liberi commeatus, vna cum plerisque infelicibus Sociis ſuis a vexatione ſuperſtitibus tuto in Patriam reuenire liceret, tali mox regio praemuniendus Diplomate, quod ab Ordinibus Regni Sempronium an. 1681. conuocatis artic. 26. publice poſtea ſic impertitum eſt: *Confirmato hoc loco primo Pacificationis Viennenſis Articulo, exercitium religionis omnibus* —— *juxta Articulum primum an.* 1608. *liberum permittitur, ac Praedicantibus quoque et ſcholarum Magiſtris alias vel proſcriptis, vel propter certas reuerſales munia ſuae profeſſionis exercere non valentibus, liber in regnum reditus, liberaque Religionis ſuae profeſſio et Exercitium, caſſatis eatenus*

nus: etiam ipſorum Reuerſalibus, conceditur; vt nullus Regnicolarum in libero ſuae Religionis exercitio a modo impoſterum quoquo modo turbetur. Sed neque Aug. et Helu. Conſ. addicti ad caeremonias Confeſſioni ſuae contrarias compellantur.

—— Ad Artic. XIII. pag. 104. poſt verbum *admiramur* interſerantur ſequentia: Singulari id quoque genti *Forgachianae* cedit decori, quod Illuſtriſſ. ac Reuerentiſſ. Paullus Forgáts, *Comes* hic, auiae maternae ſuae originem ab ipſo Ioanne Cantacuzeno, Orientis quondam Imperatore litteratiſſimo, certis apud nos ſuperſtitibus documentis, recto poſſit deducere tramite. *Nicolaus vero etc.*

—— Ad Artic. XXVII. pag. 215. in nota aſteriſco ſignata numiſmati delineato ſubnectantur. In eodem vico *Vàmos*, Weſzprémio contermino, ante decennium repertum tenemus alium quoque ſecundi moduli Numum aereum Iuliopoli in Bithynia conflatum, in antica facie circum caput Sept. Seueri Getae Imp. nudum criſpis capillis Graeca hac notatum inſcriptione, detritis primis litteris — CЄΠΤ ΓЄ ΤΑC Κ — cuius pars poſtica templum quatuor columnarum exhibet, in cujus media area ſtat Dea ſtolata, dextra ſcyphum, ſiniſtra tenens cornu copiae, tali cum perigraphe ΙΟγΛΙΟΠΟΛЄΙΤΩΝ et quidem litera vltima N. ſub baſi templi collocata. Differt omnino is ab omnibus illis ac ſingulis, quos *Io. Waillantius* in numiſmatibus Impp. Augg. et Caeſarum graece loquentibus Amſtel. an. 1700. in fol. edit. pag. 116. ſeqq. longa ſerie enarrauerat. *Toothvaſonii*, in vicinia loci prioris, haud ita pridem erutum promam quoque nunc e ſcriniis noſtris Numum aeque rariſſimum, conſularem puta, *Apronii* denarium aereum, et modo inſcriptionis et facie prorſus diuerſum ab iis, quos *Patinus* pag. 35. in Familiis Romanor. ex Numiſmat. illuſtratis Pariſ. an. 1663. in fol. edit. aut

Sigeb.


Sigeb. *Havercampius* in Theſauro Romanarum Familiarum Morelliano, Amſtel. an. 1734. in fol. edit. enumerauerunt: cuius facies prior aram habet ſimplicem cum MESSALLA GALLVS III. VIR circumſeptam, poſterior vero in peripheria SISENNA APRONIVS AAAFF et in medio S C. notata eſt. Nondum annus elapſus eſt, quum Lanius quidam Sempronienſis conteſtandae veteris amicitiae cauſſa dono ad nos adtulit argenteum Tit. Sempronii Gracci denarium, in agro Sempronienſi inuentum, ſed aeque a Patinianis et Morellianis vel Havercampianis diuerſum, in vna parte capite Conſulis ſpicato atque S. C. notatum, altera vero ſigno cohortis, aquila legionis, aratro trifolio ornato, ſtiva aut potius decempeda, atque inſcriptione TI. SEMPRONIVS Q. DESIG. GRACCVS ſignatum. Eum vero T. Sempronii Conſulis numum vocibus hunc fere in modum TI. SEMPRONIVS GRACCVS FRVGIFERATOR IN PANNONIAM MISSVS notatum prolixius deſcribere haudquaquam poſſumus, quo ciues Sempronienſes gloriari clar. *Dan Haynocʒium* nobis diſcipulis in praelectionibus ſuis olim repetitis vicibus commemorauiſſe probe recordamur: proferant, obſecramus, nobiles tanti cimelii conſeruatores, vnde primam Vrbis ſuae deducunt originem, numum indicatum in lucem litterariam, a nullo, quod equidem ſciam, rei numariae ſcriptore in apricum productum.

Dum vltima haec opuſculi noſtri philyra iam ſub prelo ſudaret typographico, tunc demum paullo ſerius reſponſoriae hae venerandi viri, Ioſ. Torkos, Eccleſiaſtis Sempronienſis primarii, per Veredarium nobis adferuntur litterae, anni labentis 1781. die 9. Mart. Sempronii ſignatae: quae quia ante ſtatim prolata nouis illuſtrant luminibus, placuit illarum argumentum hic ſubnectere integrum, vt recentiſſimo hoc documento fieret palam, virum hunc politiſſimum ardenti hodiedum erga bonas litteras teneri deſiderio; nos vero in maximo certe ponere lucro, ſi quando ab eiusmodi

viris

viris in republica litteraria notiſſimis erudiamur: — —
„ Placuit tibi, Amice plurimum obſervande, inter-
„ ruptum hactenus a longo inde tempore commercium
„ litterarium reſtaurare datis tuis nuper ad me litteris,
„ ſingulari prorſus humanitate tua et eruditione refertis.
„ Certiorem me reddis per easdem de Numo T. Sem-
„ pronii Grachi, egregiae vrbis veſtrae pharmacopoeo
„ per quemdam Lanium Sempronienſem dono oblato,
„ qui haud ita pridem in agro noſtro Sempronienſi re-
„ pertus fuerit. — — Recordaris hac ipſa occaſione
„ numi alterius Semproniani, cuius aliquando b. d.
„ Haynoczius, Gymnaſii olim noſtri Rector digniſſi-
„ mus, tuus in iuuenta apud nos praeceptor mentio-
„ nem vice non ſimplici in ſuis praelectionibus fece-
„ rit, tamquam numiſmatis in ciuitate noſtra obuii,
„ cuius epigraphe ſit ſequens: T. Sempronius Graccus
„ frugiferator in Pannoniam miſſus, petisque, vt ſi
„ quae iſtius numi inter nos exſtarent veſtigia, ea-
„ dem tecum ſcripto communicarem, ſaltim vti meum
„ de eodem iudicium TIBI aperirem. Delatam be-
„ neuole hanc abs TE mihi prouinciam non modo
„ ſumma cum voluptate recepi, ſed etiam in eadem
„ defungi, quoad fieri poterat, conſtitueram; vti-
„ nam vero voto tuo in hocce negotio ex aſſe reſpon-
„ dere potuiſſem. Primum, quod hic praeſtiti, erat,
„ quod a clar. b. d. noſtri Haynoczii filio, qui inter
„ nos Candidatum S. Theol. ſolide doctum in praeſens
„ agit, percontatus fuerim, num ipſi aliquid de hoc
„ a beato ſuo parente, numiſmatis genere innotuerit,
„ vel quidpiam de eo inter illius ſcripta repererit?
„ qui vero plura, quam quae ſub lit. A. propria ſua
„ manu exarata ad me deprehenduntur, mihi in hoc
„ argumento ſuppeditare non potuit. Poſtea dum apud
„ perilluſtr. D. Iudicem Ciuitatis noſtrae conſultiſſi-
„ mum Hochholzerum data occaſione de hoc numo ſci-
„ ſcitabar, incidi in MSCtum quoddam Anonymi hu-
„ jatis ab eo mihi ſuppeditatum, in quo equidem
„ iconem Numi cuiusdam Semproniani, a me ſic, vt
„ vides, delineati, deprehendi:

„ quae



,, quae vero num cum illa Sunteri icone, cuius cl.
,, Haynoczius ſub Lit. A. meminit, conueniat, quis
,, ipſum Sunterum non poſſidet, penitus ignoro. Me-
,, minit illius praeter Mediobarbum et Vaillantium
,, Laurent. Begerus in Theſauro numiſmatico Duc.
,, Croy, ab Alb. Rubenio in fol. Colon. Brandenb.
,, an. 1700. edito, et Pfeifferianus numerum catalo-
,, gus, qui idem hoc numiſma inter argenteos Iulii
,, Caeſaris refert, et notat, quod id rarius etiam in-
,, ter numos Auguſti reperiatur. Ex his ſi nihil aliud,
,, ſaltem hoc concludi poteſt, quod Sempronius Quae-
,, ſtor temporibus Julii Caeſaris et Octau. Auguſti cer-
,, to vixerit. Omnis interim opera mea in numo Sem-
,, pronii frugiferatoris reperiundo fruſtra fuit. Fateor,
,, quod ex parte mea, mihi TIBI vt quam ſtudioſiſſime ve-
,, lificaturo, nihil prorſus defuit, quod ſciſcitando et
,, percontando in huncce numum non impenderim;
,, nemo tamen ex noſtris, etiam iis, qui olim diſci-
,, plina b. d. Haynoczii vſi ſunt, quidpiam in hoc
,, argumento mihi detegere potuerunt. Forte numus
,, iſte frugiferatoris erat adulterinus; forte epigraphe
,, eſt ſubleſtae fidei; forte Haynoczius in citatione
,, numi commemorati ad hunc, de quo ſupra diſſerui,
,, Quæſtoris deſignati numum reſpexit: ſane poſtremum
,, hoc mihi nimium veroſimile videtur. Siquidem 1mo
,, frugiferatoris vocabulum mihi quam ſuſpectum eſt,
,, et indignum, qui referatur ad aetatem linguae lati-

Digitized by Google

„ nae auream, qua Auguſti ſupra dicti imperarunt. „ 2do. Sempronius QV. vixit, vt ſupra monui, tem„ pore Auguſtorum. 3tio. Emblemata in facie numi „ noſtri averſa occurrentia; aratrum, aquila Romana „ cum ſigno militari Romano et decempeda ſatis in„ dicare vedentur Sempronium QV. hunc cum colonis „ in Pannoniam, in qua numus inuentus eſt, miſſum „ fuiſſe. Haec iam ſunt, per quae opinionem meam „ de numo T. Sempronii frugiferatoris, petito tuo ſa„ tisfacturus, non omni, aliqua tamen ex parte pro„ ponere mihi viſum fuit, limatiſſimo tuo iudicio re„ linquens ea, quae a me in argumento hocce arduo „ commemorari poterant; maioremque in modum abs „ TE petens, haec mea quantulacumque ſint, aequi „ bonique conſulere velis. Quae in ſupra citato MScto „ ad origines ciuitatis noſtrae Semproniensis pertinen„ tia commemorantur antiquitatum genera, quae vel „ ante ferale Vrbis noſtrae incendium in Inſcriptioni„ bus aliiſque vetuſtatis monumentis viſebantur, vel „ poſt illud hodienum vſque viſuntur, ſiquidem TIBI „ noſſe viſum fuerit, alia data occaſione tecum com„ municare haud intermittam etc. etc. Semproni ad „ d. 9. Mart, 1781.

Lit. A.

Ichnographiam Vrbis noſtrae exhibuit Daniel Suttinger, S. C. M. architectus militaris, quam an. 1681. *occaſione Comitiorum Regni, atque inaugurationis regiae, Senatui Populoque Semproniensi dedicauit in fol. mai. accurate adumbratam. Eidem Ichnographiae additus eſt typus numi, in agro Semproniano reperti. De ſide huius numi Barthius noſter non dubitauit. Epigraphe haec eſt:*

„ Num. arg. Titi Sempronii, a quo Vrbi no„ men cum ſymbolo deductae coloniae nuper „ hic repertus.“

Numi autem Inſcriptio haec eſt:

TI SEMPRONIVS GRACCVS. Q. DESIGN.

—— Ibi-

— Ibidem, pag. 216. lin. 9. poſt verba *magnificentiae monimenta* ſubiiciantur haec: Triſtia haec veteris Budae oppido an. 1778. caſu detecta rudera clar. Vir, *Stephanus Schönviſner*, primarius regiae Bibliothecae Budenſis cuſtos, iuſſu AVGVSTAE eruditiſſimo Commentario Budae an. eodem in fol. alph. 1. pl. 8. c. fig. 3. edito illuſtrauit, illaque ex forma monimenti, et partibus, harumque nexu vetus Romanorum aeuum ſapere, priſcarumque Balnearum ac ſpeciatim Laconici concameratae ſudationis, Caldariique Romani publici reliquias eſſe demonſtrauit, numiſmata ibidem reperta et laterculos igne coctos characteribus Romanis conſpicuos ſcite admodum explicauit, Inſcriptiones Romanas partim opera ſua in ea vicinia collectas in lucem nunc primum eduxit, partim a *Wolffg. Lazio*, commentariis ſuis de Republ. Romana interſertus repetiit, alia. Gratiſſimam omnino, vt quidem ſperamus, orbi litterato is e popularium noſtrorum numero facturus eſſet operam, qui omnes ac ſingulas huiuscemodi Romanorum Inſcriptiones in Pannonia noſtra Hungarica detectas, et iam in Libris eruditorum ſparſim luci publicae expoſitas, in vnam cogeret Volumen in modum *Io. Seiverti*. Cibinienſis, qui Inſcriptiones monumentorum Romanorum Tranſiluanicas, ſingulari induſtria collectas, ſtanno Vindobonenſi an. 1773. in 4. interſperſa breui ſed docta interpretatione, publicauit.

Argumenta reliquo Operi Nomina Patriae Medicorum ſuppeditare poterunt ſequentia:

A. Paullus Adami, Io. Ignat. Albrecht, Io. Alſtedius, Io. Artzt, Steph. Artzmannus, Matth. Auctus, Auguſtinus, Io. Apoſtolovits.

B. Io. Balbus, Sam. Baligha, Io. Bàtsmegyei, Mich. Bàlog Sóos, Io. Bàti, Sam. Beddeus, Io. Theoph. Belius, Io. Benedek, St. Benkótzi, Io. Berger, Io. Iac. Binn, Birgel, Lud. Birkel, Io. Ephr. Boehm, Mich. Bölöni, Lad. Bruz, Car. Bukiſch, Ioſ. Balog.

C. Ant. Caneſtrini, Georg. Mich. Caſſai, Io. Centner, Ad. Chenot, Chriſt. Chernel, Barth. Chryſaeus, Chytraeus, Io. Chernyei, St. Cloſius, Nic. Conhard, Andr. Conrad, Diom. Cornarius, Io. Henr. Cramer, Ioſ. Cſapó, Lad. Cſernàk, Sam. Cſernànſzky, Andr. Curtius, Io. Czeglèdi, Io. Paul. Cziegler.

D. Io. Guil. Deccard, Io. Thom. Degenhard, Franc. Ad. Deimbl, M. Thom. Dentulini, Dietrichius, Greg. Dömök, Sam. Dombi, Sam. Drauth.

E. Ge. Sig. Ebhard, Io. Chriſt. Elhard, Io. Iac. Engel, Caſp. et St. Enyedi, Steph. et Ioſ. Erdèlyi.

F. Ioſ. et Paul. Fabritius, Elias Facetius, St. Farkas, St. Fejèrvàri, Ioſ. Felfaluſi, Ge. Felvintzi, Ferrati, Car. et Franc. Godofr. Fiſcher, Io. Bapt. Foegler, Ge. et Sam. Fogaraſi, Mart. Foit, Andr. et Io. et Balthaſ. Franciſci, Magiſter Franciſcus, Mart. Henr. Frankenſtein, Mich. Gabr. Fromknecht, Andr. Fronius, Iac Fucker, Io. Mich. Fuerſt, Io. Andr. Furlani, Paul. Fuichich, Io. Fabri.

G. Io. Gathi, Gerngroſz, Io. Gezeuovius, Io. Gilg von Gilgenberg, M. Mich. Giraldus, Io. Mich. Glatzinger, Sam. Gloſius, Dauid iunior, et Steph. Gömöri, Io. Mich. Graaff, Simon Grynaeus, Andr. Car. Groſſe, Abrah. Gruber, Dav. Gruenblat, Ge. Grundel, Io. Bapt. Grundler, Io. Guneſch, Io. Sam. Gabriel.

H. Io. Godofr. Haberland, Nic. Hammer, Hartung, Steph. Hathvani, Ioſ. Haupman, Troſtfr. Hegenetius.

ſius, Mart. Heinzely, Hennel, Matth. Hentzidai, Herman, Io. Hertel, Sam. Hervartowſzky, Magiſter Hieronymus, Io. Mich. Hoffinger, Sam. Horvàth de Hoſzſzufalva, Io. Bapt. Horvàth, Io. Chriſt. Huber, Io. Sam. Hueber, Io. Hunnelburgenſis, Iac. Hutter, Ignat. Hudeliſt.

I. Georg. Iànoſſi, Ibrànyi, Henr. Ioni, Ge. Iudex, Matth. Inſtitoris.

K. Honor. Wilh. Kaſtenholtz, Io. Frid. Kehrn, St. Keller, Lud. Kepler, Franc. Kereſzturi, Io. Mich. Keſzler, Andr. Keyl, Ioſ. Kis-Vitzai, Klein, Mich. Klement, Mart. et Ioſ. Chriſt. Knogler, St. Anton. Kochlatſch, Mart. Koelſch, Sam. Kolosvàri, Paul. Kömives, Io. Körmendi, Io. Car. et Io. Kövesdi, Koller, Komorſzky, Korman, Kreſchowſzky, Chriſt. Krieger, Io. Georg. Kuettel, Ignat. Koczin.

L. Io. Bapt. Lalangue, Mich. Car. Landani, Io. Godofr. Lange, Paul. et Ge. Lani, Io. Lenhardt, Ioſ. Sigism. Liedeman, Frid. Lieffman, Paul. Lipſzky, Io. et Andr. Liſchovini, St. Lumniger, Io. Loebelich.

M. Petr. Madàts, Ier. Maehrl, Sig. Major, Franc. Xav. Mare, Dan. Martini, Markot, Io. Marthius, Io. Matolai, St. Mathyus, Mich. Maxai, Ioſ. Mileſz, Io. Ant. Miliarius, Petr. Milloradowitſch, Sam. Millner, Dan. Wilh. et Io. et Godofr. Moller, Molnàr, Io. Frid. Mylius, Mart. Myſz, Mayer Malàtz, Paul. Malus, Ioſ. Maſchitz, Ioſ. Nep. Melchiori, Franc. Molitor, Macerati.

N. Io. Nadànyi, Ge. Nagy, Sam. Neuman, St. Némethi, Nicoleti.

O. Oswaldus, Io. Oervendi, Oesme, Mich. P. Oreſzi, Sam. Bernh. Oppenheim, Orgovànyi.

P.

P. Franc. junior, et Andr. Pariz Pàpai, St. Parſchitius, Sam. Pauer, Gabr. Pazmandi, Io. Pedemontanus, Ioſ. Perbegg, Andr. et Petr. Pètſi, Perſa, Magiſter Petrus, Mich. Pfeiffer, Io. Ferd. Pillich, Pitterman, Elhard. Placer, Ioſ. Plenck, Mich. Polgàri, Portner, Ad. Ignat. Prandt, Nic. Privigyei, Io. Procop, Ant. Pruchman, Ge. Purkircher, Ioſ. Petrogalli.

R. Ignat. Radnitzky, Theoph. Raenner, Sam. Rátz, Sam. et Io. Ad. Rayman, Ioſ. Raymund, Ioach. Reticus, Io. Rezenei, Gideon Ribe, Iſraël Ribezius, Car. Godofr. Richter, Georg. Rod, Achat. Frid. Roſcius, Ge. Roth, Sig. Theoph. Rothe, Car. Frid. Rumbaum, Ftanc. Mich. Raab, Ge. Ruel, Iac. Reineg.

S. Io. et Car. Wilh. Sailler, Io. Salius, Io. Schanckebanck, Sam. Chriſtoph. Schedius, Schilpacher, Io. Schirmer, Io. Chriſt. et Io. Georg. Schmidt, Andr. Schoppel, Io. Ge. Schneller, Io. Gottl. Schuller, Iac. Schunn, Iac. Schuſter, Io. Bapt. Schluga, Ignat. Io. Nep. Schwannenfeld, Io. Mich. Schwartz, Io. Ant. Scopoli, Magiſter Sebaſtianus, Ioſ. Securius, Alex. Sebeok Sz. Mikloſi, Car. Szeli, Io. Mich. Segner, Mich. Seivert, Andr. Selingus, Ioſ. Staehling, Luc. Seuler, Ioſ. Sgolanits, Mich. Ignat. Shoretits, Mart. Simoni, Franc. Slaby, Ioſ. Somogyi, Sam. Sontag, Andr. Soterius, Steiner, Laur. Stocker, Stuckard, Mart. Szent-Ivànyi, Sam. N. Szoboſzlai, Valent. Seredi, Storius, Dan. Steinkherli.

T. Paul. Tarczali, Matth. Temlin, Andr. Teutſch, Dan. Textoris, Mich. Gottl. Theis, Ge. Ericus Thill, Magiſter Thomas, Andr. Topolits, Io. Torkos, Mich. Torner, Elias et Mich. Theoph. Trangus, Wenceſl. Trnka, Io. Troeſter, Ioſ. Gottl. Trogmayer, Io. Mart. Troſt, Mart. Tutius, Tzak, Tudek.

V. Iac. et Steph. Vàſàrhelyi, Gabr. Vezza, Sam. Vereſtoi, Dau. Vietoris, Steph. P. Vetſei, Mich. Vgrotzi.

W. Sigism. et Andr. Wachsman, Ge. Wàghi, Dan. et Eſa. Waldman, Luc. Wagner, Io. Iac. Werniſcheck, Io. Car. Wieland, Ioſ. Winkler, Ioſ. Winder, Io. Theoph. Windiſch, Iac. Ioſ. Winterl, Weiſz, Wampe, Car. Ant. Woyta.

Z. Georg. Zacharides, Gabr. Zàgoni, Steph. Bara Zagoni, Zamolxis, Maximil. Honor. Zolicoffer, Mich. Zurbrucken, Andr. Zey, Zoltàn.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

WIDENER LIBRARY
HX IGQZ G

Digitized by Google

Digitized by Google